Benedicti Victorii Faventini empirica : huic nostrae secundae editioni haec accesserunt Camilli Thomaii Ravenatis methodus rationalis, &c.; Trotulae antiquissimi authoris, curandarum aegritudinum muliebrium liber unicus.

Contributors

Vittori, Benedetto, -1561.
Ravennatis, Camilli Thomaii.
Trotula.
Dubois, Jacques, 1478-1555.

Publication/Creation

Venetiis : In Officina Erasmiana, Vincentii Valgrisii, 1555.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/v4b9g9kf

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org


F NTINUS,
B DICTUS
V ORIUS
IBICA







6587
6.6.9
A. XXIX. Vic

13 A. 3

2 4 5 3

Florence
29/8/10.

(1) VICTORIUS

(2) SYLVIUS J. morborum nitmorum. [1555]

29/8/10.

245830

BENEDICTI VICTORII FAVENTINI MEDICI CLARISSIMI empirica.

Huic noſtræ ſecundæ editioni hæc acceſſerunt,

Camilli Thomaij Rauennatis, methodus rationalis, &c.

Trotulæ antiquiſſimi authoris, curandarum ægritudinum muliebrium liber unicus.

Cum Priuilegio Summi Pont. & Illuſtriſ. Senatus Veneti.



VENETIIS, IN OFFICINA ERASMIANA,
VINCENTII VALGRISII.
M. D. L V.

SANCTISS. AC BEATISS. PATRI DOMINO DOMINO NOSTRO IVLIO TERTIO PONT. MAX.

Benedictus Victorius felicitatem.



ERCVLES ferarum domitor, Sanctiſsime Pater, immortalitatis nomẽ apud poſteros probè conſecutus eſt, & in præcipuum deorum numerũ à priſca gente meritò relatus fuit: propterea quòd homines plurimis geſtorũ ſuorũ laboribus iuuerit, & maximam orbi terrarũ vtilitatem præclara facinorum virtute præſtiterit. Haud igitur iniuſtum ſanè fuit, ſi tantus Heros æternam ſibi famam comparauerit, quippe cùm vitam pro conſeruando hominũ cœtu, calamitoſas ærumnas tam ſtrenuè ſuſtinẽs, expoſuerit. Honeſtiſsimum generoſi laboris prẽmium, eſt veræ gloriæ decus. Hoc equidẽ animo euoluens, & mecum accuratè perpendens, nolui nec laboris nec ſudoris conatibus vnquam parcere, donec rapidus meę vitę decurſus in communẽ opem delabens procumberet. Mortalis humanæ vitæ cõditio omnibus morborum telis propoſita, & periculorum caſibus ſemper inuoluta, facilè è medio tollitur: & hinc aliò migrat, niſi

commoda præsentis subsidij vis iam tum peritè præparetur. Librum itaque innumeris medicaminibus refertum, & proba experientiæ regula perpensum, summis vigilijs, diligentiq; lucubratione constructi: vt quæ olim à me verisimè comperta sunt, in vnum volumen congesta iure prodirent. Non profectò (vt ingenuè fatear) mens eò se contulit, nec animi acies id nimirum dijiudicauit, vt à me inuenta, & iampridē cognita, pro gloriola captanda in lucem progrederentur: verum enimuerò vt Reipublicæ christianæ potisimùm prodessem, & vita à non minimis noxis illæsa, quo ad fieri potest, conseruaretur. Nec herclè multi iuuenes defuerũt, qui me supplices vehementer rogauerunt, crebrisq; efflagitationibus vrgentes à me petierunt, vt isthæc nostra in publicum ederentur: vt etiam cùm in manus studiosorum defluxerint, ab omnibus copiosè celebrarentur. Eorum tandem me vicit pietatis ardor. Sed vt liber noster tutius per ora virorum euolando versetur, prudentem cætero rum virorum cõsuetudinem penitus obseruare decreui, vt quæ peperit ingenium, in patroni alicuius vlnis piè excipiantur. Ad te igitur Beatissimè Pater recens nostræ fœturæ munus cãdidè mittitur, & id ipsum ea quidem voluntate liben ter complectaris, qua tibi charitate diligẽter offertur. Ex industria rudem penè stylum scriben tis obtinui, cùm rudes medendi magistros melius rei operam, quàm styli curam conijcere, animaduerte-

maduerterim. Non enim phaleratis verborum lenocinjs ingruentes morbi profligantur, at exquiſitis remediorũ præſidijs procul inde excludũtur. Dogmaticum nequaquam ſodalitium me execrandis impiorum dictorum aculeis iniquè laceſſat, nec calumnioſis conuitiorum latratibus mè acerbè inceſſat: quippe quòd ſupercilioſa ipſius dogmata cõſultò omiſerim, & quòd me magis Empiricæ iam nunc familiæ, quæ cauſas aſpernans, explorata ſolùm remedia excogitat, vltrò addixerim. Proinde conſcius ſanæ mẽtis error pœnam non expoſtulat, & actor ſciẽs ſaltans, è ſcena non exploditur. Cæterùm nec tuas laudes magnis rerum pręconijs enumerare hîc opus eſt, cùm tu vir maximus, niſi à maximo dicendi genere concipi non poſsis. Quare noſtram Empiricam lubenti animo ſuſcipias quæſo, & interim mancipij tui memor, ſoſpes ac incolumis viuas feliciſsimè. Vale.

SANTENVS COTTIDERVS
MEDICVS CARRARENSIS
IN PRAECLARISSIMVM
D. Benedictum Victorium
præceptorem.

QVI ciuem seruat, tunc cĩuica serta meretur,
Qui ciues curat, quid meret? omne bonum.
Exornat uarijs medicam Victorius artem
Præceptis, nouit quæ sua uita diu.
Cùm noua nauis agit celerem per littora cursum,
Frangit et aduersas ardua puppis aquas.
Arcus in oppositos extentus fortiter ictus,
Cùm stabili certum robore tentat opus.
His tutò poteris benè fungi: certior usum
Tunc explorabis. si sapis, apta tene.

BENEDICTI VICTORII FAVENTINI EXHORTATIO, AD MEDICVM RECTE, SANCTEQVE MEDICARI CVPIENTEM.

DIXIT insipiens in corde suo, non est Deus, Dauidis LII. Noli tamen tu, qui medicus es, illo insipiētiæ nomine teneri, est enim medicus opus Dei, creauit enim illū altissimus, Ecclesiast. XXXVIII. Deus quoq; omnia fecit uerbo suo, & sapientia sua, Sapientiæ IX. Igitur Deus sua sapientia creauit te, & tu sapientiam assistricem semper habebis, qua omnes homines sanitati erunt restituti, qui operibus tuis submittentur. Vbi autem Dei sapientia à te abfuerit, in nihilum computaberis, Sapientiæ IX. Ob quam rem sapiens eris, si in corde tuo dicas, est Deus, & omnia opera tua optima erunt, quoniam diuina, uniuersa autem Dei opera valde bona, Ecclesiastici XXXIX. Si igitur Deum esse crediderís, ueritatem facies, & in lucem uenies, operaque tua manifestabūtur optima, quoniam in Deo facta erunt, Ioan. III. Et iterum, crede fili Deum esse, quoniam opera tua, quæ in humanum corpus operaberis perficiētur: Nam Dei cura erit de te, vt dixit Apostolus Petrus prima epist. capite V. ubi ait, quoniam Deo cura est de nobis. omnem igitur sollicitudinem tuam proiice in Deum, & sub potēti manu eius humiliaberis, & exaltabit te in tempore uisitationis ægrorum. & adhuc crede fili Deum esse, quoniam medicina à Deo est, Ecclesiastici XXXVIII. dicentis. Altissimus creauit medicinam de terra, creauitque eius scientiā, dixit enim: & dedit altissimus hominibus scientiam, quam uoluit honorari in mirabilibus suis, & in hominibus curans medicus mitigabit dolorem, & unguentarius facit pigmenta suauitatis,

& unctiones cõficiet ſanitatis, & nõ conſummabuntur opera eius. hæc ille. Eandem mentem habuit Plato in libro de furore poëtico, ubi ait. Nónne cuique arti facultas à Deo tribuitur? & in conuiuio dixit: artes à Diis propter amorẽ humano generi traditas, ut ab Apolline medendi artem. Et huic alludens Hippocrates dixit ſecundo de priſca medicina: hancque artem medicinæ dignam eſſe cenſuerunt, quã Deo (quemadmodum putant) acceptam ferunt. Et dixit in libro de natura fœminea: in morbisque hæc dico ſentióve, maximam quidem cauſam, & potiſsimum quid in hominibus eſſe diuinum numen. Ait etiam Hippocrates in libro de ſacro morbo: mihi quidem uidentur, qui magica arte utuntur nec Deos putare, nec ſi ſunt quicquam poſſe, nec prohibere poſſe. Quare mihi graues in Deos eſſe uidentur. Vtigitur præceptis Hippocratis obtemperare ualeas, ut decet, nedum Deum eſſe te credere uelim, ſed & ipſum firmo animo colere. Dixit hoc Hippocrates in libro de probitate, ub ait: medicina plurimum Diis concedit, Deosque colere reperitur. Medici nanque plurimum Diis concedunt. Hoc etiam dixit Hippocrates in tertio de ratione uictus, ubi loquitur de ſomniis. de ſignis autem cœleſtibus, ſyderibusque cum quis gnarus peritusque fuerit, & doctus, ſic prouideto, nutricatoque, Diisque ſupplicato, & poſt ait. Terræ verò Mercurio, Heroibusque ſupplicato: quam etiam ſententiam attulit Hippocrates in libro de languentium ſomnijs. Nempè idem uidebis ab Hippocrate libro de aere, aquis, & locis, vbi ait. cum pauperes Deos contemnant, ditiores verò contra. Plurimum enim Deos colunt, plurimaque ſacrificia faciunt, cum diuitijs abundẽt. Pauperes verò minus. Hortor igitur te fili, quia homo es, & rebus uniuerſis melior, & quippiam è cæteris diuinitus ſortitus es, & ſimilis Deo, vt ait Galenus in libro, An animal ſit, quòd in utero eſt, uirtutem, & bonitatẽ aſſequi debere. Et quia medicus es, & philoſophus, ideo ſapiens es, & ſimilis Deo, ut dixit Hippocrates in libro de probitate, vbi ait, Medicus enim vir ſapiẽs, eſt, & philoſophus Deo ſimilis, & quoniam Dei ſapientia eſt uirtus, & bonitas, aſſequere igitur uirtutem, & bonitatem, & ſapiens efficieris & ſimilis Deo. iuxta illud Galeni in libro de cognoſcendis, & curandis animi morbis, dicentis:

ſanè

sanè Deo similem esse sapientẽ,& ob hoc quòd sapiens eris, sine peccato procedes, vt ibidem ait Galenus. Quapropter in omnibus tuis operibus felicitaberis, & Deus adiutor erit tibi,non autem eris tu Deo adiutor. quoniam Deo nihil est ab homine adiutorij, Iob xxvi. Dices autem tu quomodo Deum esse credam, quem non vidi vnquàm? Huic dixit Galenus in ix.de decretis Hippocratis, & Platonis, vbi ait. Quòd si propterea quòd ipsum Deum non videmus,nõ esse etiam dicamus,similitudinem iudicij in artibus minimè seruabimus. quemadmodũ enim ridiculum est,si quis eo quòd videat aliquem quippiam fabricantem, iccirco artificem existimet, etiam si male fabricatas partes aliquas fuisse deprehẽderit. sic cum optimè constitutam nauim, vel domum, vel lectícã conspexeris,licet ignores quis ea condiderit, si absq; arte,sed fortuna extitisse ea omnia existimes, meritò eris deridendus. quo fit,vt absurdum sit existimare causam fabricę nostri corporis, & eorum, quæ apud nos sunt, & continuè apparent,temerariam,& fortuitam,& non artificialem. Habes igitur signa fili apud nos, quibus Deum esse cõfiteberis, quorum maximè est omnium animantium, ac nostri corporis fabrica,vt probat Galenus in libro de fœtus formatione. crede igitur Deum esse,& ipsum cole.& illius nomine operaberis, & benè tibi succedet. iuxta illud Marci xvi. in nomine meo si super ægros manus imponent benè habebunt. Et si non vides eum, Beati enim qui non viderunt, & crediderũt,Ioan. xx. Nemo enim Deum vidit vnquam, Ioan. i. neq; nouit,neque videre potest nisi Christus,Io vi.& ad Timotheum vi.Hortor igitur te fili, Deo ac eius voluntati obedire,ipse enim & te pro sui voluntate vtetur,vt dixit Isa. xlv. veh qui contradicit factori suo, & post ait. Ego suscitaui hominem ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam. igitur fili in his quæ in arte medẽdi operaberis,nihil mali inducas, credens id in occulto factum esse. Dixit enim Ecclesiasticus xvi.non dicas, à Deo abscondar, quoniam nihil occultum est Deo. Et xxiii. Dixit,& homo non intellexit, quoniam omnia videt oculus Dei. sanè inquã Deum cole, quoniã ab æterno bonus est, & nõ à seipso bonus redditus est. Quapropter & nos omnes eum naturali amore prosequimur,vt ait Galenus in libro,quòd animi mores corporis

tempe-

temperaturas sequuntur. Et post dixît authore Platone in Timęo. Nam nec denique est factus aliquando, cum perenniter ingenitus sit, ac sempiternus. Igitur quoniã Deo nihil occultum est, Ecclesiastici XVI. Ideo Deum vbique opinaberis, & cuncta videre. Dixit enim Hieremias XXIII. Putás ne, Deus è vicino ego sum dicit Dominus, & non Deus de longè. Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus. Nunquid non cœlũ & terram ego impleo? dicit Dominus. Igitur hortor te fili vt in omni tui medicatione à Deo auxilium petas, & bene tibi erit. iuxta illud Pauli ad Ephesios XXXIII. vbi ait: nõ est Deus alius, vt Dei rectissimi assensor cœli, auxiliator tuus, &c. Præterea hortor te fili, vt iusiurandũ Hippocratis obseruare coneris, præsertim per ea, quæ ad ægros sanandos attinent. Aegrotantibus igitur victus rationem constitue pro facultate eorũ, & iudicio tuo commodam, omneq; detrimentum, & iniuriam ab eis prohibebis. Porrò neque vllius preces apud te adeò validæ fuerint, vt cuipiam venenum sis propinaturus, neque etiam huius rei semper verendæ consiliũ dabis: similiter autem neque mulieri talum vuluæ subditicium ad corrumpendum conceptum, vel fœtum, consilium dabis. Dico quoque tibi fili. Quòd in quãcunque domum ingressus fueris, ob vtilitatem ægrotantium intrabis, & ab omni iniuria voluntaria inferenda remotus eris, ab operibusq; venereis abstinebis, siue muliebria, siue virilia fuerint. Menti quoq; habeas nobiles, pauperesq;, liberos etiam atque seruos, æqua lance medicari. Quæcunque etiam inter curandum videris, aut audieris, cognoueriśque in communi hominum vita, ea tanquam arcana apud te continebis. Quòd si ita feceris, porrò, & integrè, & sanctè vitam, & artem tuam conseruabis.

TYPO-

TYPOGRAPHVS LECTORI.

IVINAM profectò, & omni laude dignam Platonis sentẽtiam existimaui, cuius etiam meminit Cicero in libro Officiorum, qua neminem sibi soli natum esse, sed id temporis, quo nobis uita hac frui datum est, totum partim in adiuuanda patria, partim in demerendo humano genere consumendum esse censet. Quamobrem ego omni ingenio, omniq; industria semper studui, ut hominibus prodesse possem. hinc fit ut si non aliter, saltem hac mea impressoria arte studiosis adiumẽtum aliquod afferre indies coner. huiusce uerò meæ propensæ erga studiosos uoluntatis testes possunt esse omnes, qui rei literariæ operã sedulò dare curant, quippe qui multa doctorum uirorũ uolumina in nostra officina diligẽtissimè, & castigatissimè impressa, præ manibus habeant. Quin quotidie noua etiam publicare studemus. En igitur amice lector in præsentiarũ tibi damus nouum hoc Medicinalis Empiricæ opus Excellentissimi domini Benedicti Victorij Fauentini. Ex cuius lucubratione facillimè comprehendere poteris eximiam Medicæ facultati utilitatem accessisse, et humanæ saluti optimè consultum fuisse. Quam si alacri animo susceperis, curabo ut maiora indies, atque excellentiora celeberrimi huius uiri opera, quæ uir ille undequaque doctissimus in manibus habet, cum incredibili omnium studiosorum utilitate in lucem exeant. Vale.

TABVLA

TABVLA MORBORVM
ET INFIRMITATVM CONTEN TARVM IN EMPIRICA
Excellentiſsimi Domini Benedicti Victorii Fauentini.

A

ACCIDENTIA animæ pag. 274
Accidentibus febris continuæ acutæ quibus remedijs ſuccurratur 289
Apoplexiæ curatio 12
Apoſtematis ſtomachi curatio 95
Apoſtematis hepatis curatio 111
Apoſtematis matricis curatio 173
Ardoris urinæ curatio 185
Aſthmatis curatio 56

C

CALCVLI renum curatio 192
Cauſæ febris continuæ acutæ in generali 257
Cauſonidis curatio 312
Colicæ & iliacæ paſſionis curatio 127
Confortantia membra principalia, & his ſeruientia 284
Cordis paſſionum curatio 81
Coxorum, & puſtularum apparentium in facie curatio 250
Curatio antiqui doloris 1
Curatio febris putridæ continuæ acutæ per uictus rationem 263

TABVLA

D

DENTIVM doloris curatio 41
Diareæ cholericæ curatio 138
Diabeticæ paſſionis curatio 199
Doloris capitis curatio 1
Doloris, & tinnitus, & ſurditatis aurium curatio 35
Doloris hæmorrhoidarum curatio 205

E

EDEMATIS curatio 240
Emorrhoidarum curatio 205
Epilepſiæ curatio 3
Epilepſiæ per conſenſum curatio 9
Exercitium febrientis quale 273
Exitus matricis curatio 172

F

FEBRIS peſtilentialis curatio 361
Febris quartanæ curatio 331
Febris lipiriæ curatio 331
Febris epialæ curatio 330
Febris quidditas & modi in generali 254
Febris putridæ continuæ & acutæ quidditas in generali 256
Febris putridæ continuæ acutæ curatio per uictus rationem 263
Febris putridæ continuæ acutæ curatio per materiæ concoctionem 274
Febris putrida eſt ægritudo ex repletione ibidem
Febris putridæ continuæ acutæ curatio per euacuationē materiæ 280
Febris cholericæ puræ à puritate choleræ curatio 301

Febris cholericæ interpollatæ curatio 303
Febris quotidianæ curatio 320
Febrium compositarum, quæ emitritei dicuntur, curatio 338
Febris ethicæ curatio 347
Flegmonis curatio 227
Fluxus sanguinis narium curatio 39
Fluxus uentris cholerici curatio 138
Fluxus dysenterici curatio 141
Fluxus hepatici curatio 149
Fluxus superflui superfluitatum albarum à matrice curatio 178

G

Gomoreae curatio 186

H

Hepatis doloris curatio 109
Hepatis apostematis curatio 111
Herisipellæ curatio 236
Hydropis curatio 115
Hydropis ascitis curatio 118

I

Icteritiae citrinæ curatio 124
Iliacæ & colicæ passionis curatio 127
Inanitionis utilitas 274

M

Matricis præfocationis curatio 168
Matricis doloris, ac tumoris, & uentositatis curatio 154
Melancholiæ curatio 28
Menstruorum retentionis curatio 159

Menstruorum

Menſtruorum ſuperflui fluxus curatio 164
Mictus ſanguinis curatio 189
Morpheæ curatio 249

N

Nasi & oris fœtoris curatio 42

O

Ophtalmiae, ac doloris oculorum curatio 37
Oppilationis, & tumoris ſplenis curatio 151
Oris, & naſi fœtoris curatio 42

P

Passionvm cordis curatio 81
Paſſionis colicæ, & iliacæ curatio 127
Partus facilitatio, & doloris eius mitigatio 196
Paralyſis curatio 15
Phreneſis curatio 22
Pleuritidis curatio 62
Præfocationis matricis curatio 168
Puſtularum & coxorum apparentium in facie curatio 250

S

Scabiei curatio 244
Sciatici doloris curatio 221
Sinochæ & ſinochi curatio 315
Signa continuarum & acutarũ febrium in generali 259
Somnus febrienti nocuus 272
Surditatis, & tinnitus, ac doloris aurium curatio 35
Squinantiæ curatio 44
Sputi ſanguinis à pulmone curatio 48
Stomachi doloris curatio 87
Stomachi apoſtematis curatio 95

Singultus

Singultus curatio 107
Splenis oppilationis ac tumoris curatio 151
Superflui fluxus superfluitatum albarum à matrice cura
tio 178
Superflui mictus inuoluntarij, uel diabeticæ passionis cu=
ratio 199

T

TESTICVLORVM tumoris & doloris curatio 215
Tinnitus, & surditatis, ac doloris aurium curatio 35
Tussis curatio 73

V

VARIOLARVM & morbilorum curatio 387
Ventositatis ac tumoris matricis curatio 154
Vigilia, & quæ circa eam attendenda 273
Vlcerum pulmonis, & sputi saniei curatio 52
Vlcerum matricis curatio 176
Vomitus curatio 102
Vrinæ ardoris curatio 185

FINIS.

BENEDICTI VICTORII FAVENTINI MEDICATIO EMPIRICA.

DE DOLORE CAPITIS

CAPVT PRIMVM.



AD DOLOREM *capitis antiquũ, remedium tale est. Præcedente lenitione uentris, si dolor magis retro adfuerit, uenam frontis secabis. Quòd si magis antè ægrum infestabit, sanguisugas post aures apponito, dum tamen prius secetur cephalica cubiti dextri, uel sinistri, secundum quòd dolor infestat.*

Aliud.

Recip. Corticẽ cepæ, sub feruentibus cineribus decoque. Demum frustum eius auri imponito ex eadẽ parte qua dolor existit, super quod inungito sic. olei laurini, olei rosati completi calidi ana drach.s. Demum cum bõbice claudito, idemq; obseruabis, si intẽsus auris fuerit dolor. Aliud in unaquaq; materia ualens, & est expertißimum unguentum, cum quo uolo ut inungantur pulsus temporum, & frons tota.

Recip. Succi camomillæ recentis unc.iiij. succi rosarũ recentium un.ij. succi rutæ recentis, succi betonicæ, ana un.i.s. succi radicum althcæ un.ij. olei rosati omphacini lib.i.s. Alabastri optimi & purißimi un.iij. pulucrizetur subtiliter alabastrum, & per noctem & diem infundatur in oleo omphacino: deinde cum cæra alba optima quantum sufficit, ex omnibus conducatur unguentum. quod utiq; unguentũ ualet omni dolori capitis à quacunque materia pendente, sive per es-

sentiam, siue per consensum, siue cum febre, siue sine fuerit, siue per se dolor sit, siue per accidens ipsius febris: & in omni tempore paroxysmi nos possumus uti, excepto principio.

Aliud.

Vbi dolor capitis tantum ægrum infestaret, ut absque dubio timeremus de corruptione operationis alicuius uirtutis membri.

Recip. De prædicto unguento unc.s. opij gran.iij. inungantur cum prædicto unguento pulsus temporum, & si alicui alteri parti capitis adfuerit dolor, eidem unguentum applicabis.

Aliud.

Vbi dolor diuturnus in aliqua parte capitis infestaret ægrum.

Recip. Mucilaginis fœnugræci, mucilaginis seminum lini, mucilaginis seminũ meliloti ana unc.i. unguenti prædicti alabastrini unc. i. olei liliorum alborum unc.s. misce, & in mortario bene ducantur, quousq; fiat unguentum, cum quo ungatur pars capitis dolens: demum super ipsa extendatur paululum de lana succida. Fortificabis etiã si expedit cum quatuor granis opij, & hoc est bene expertum.

Aliud.

Et ualet in omni dolore capitis in quacunq; materia, & in quocunq; tempore.

Recip. Rosarum rubearum, florum camomillæ, meliloti, calamenti, abrotani ana M.ij. bulliant in lib.xl. aquæ & uini albi potentis usq; ad consumptionẽ medietatis. deinde abluãtur quotidie cum huiusmodi decoctione calida, crura à genu infra, & brachia a cubito infra, mane et uesperi, stomacho nõ impleto. Vbi uerò dolor capitis ortum habuerit à morbo gallico,

lico, purgato capite sequentibus pilulis.

Recip. Pilularum aurearum scrup. ij. pilularum de fumo terræ drach. s. misce cum syrupo uiolato. fiant pilulæ numero quinq;. capiat inde per xx. dies continuos apud diluculum sequentem potionem super dormiendo.

Recip. Decocti ligni guaiaci secundum artem facti lib. vi. folliculorum senæ, betonicæ, sticados arabici, polypodij querci ana ma. s. turbith boni, agarici electi ana drac. ij. s. misce, & bulliant omnia usq; ad consumptionem tertiæ partis. deinde colentur, & de colatura.

Recip. unc. vi. oxymellis simplicis unc. ij. misce pro una uice. cõtinuet hunc decocti modum, & bene erit. ubi uerò est dolor capitis per consensum ab utero, fiat sanguinis missio ex saphena in talo.

Demum fiant lotiones prædictæ, addendo matricariam, & sequetur modum curæ dispositionum matricis post dicendum.

DE EPILEPSIA. CAP. II.

CVM epilepsia apud antiquos Medicos reperiatur duplex, una quidem per proprietatem, alia uerò per consensum.

Primo curabimus epilepsiam proprietatis, secundo communitatis.

Et quia maior expedit cura in præseruatione à casu in paroxysmum epilepticum, quàm curare in actu paroxysmi.

Ideo primo dicemus curam præseruatiuam ad epilepsiã.

Secundo uerò, quid agendum sit hora paroxysmi.

Primo igitur laudo, quòd si epilepsia fuerit in corpore carnoso cõplexionis sanguineæ, cũ rubedine faciei, & appa-

rentia uenarum in oculis, & caliditate membrorum uicinatorum cerebro, quòd fiat phlebotomia.

Prima quidem diuersiua, & euacuatiua ad longinquas partes, & hæc fiat per sectionem saphenæ dextri pedis, & intermedio uno die phlebotomia fiet ex communi dextri cubiti. Demum uerò transactis tribus diebus, secetur uena cephalica in curuatura eiusdem cubiti. quibus phlebotomijs expeditis, dum ad eas præcesserit uentris lenitio, consulo, quòd digeratur materia peccans, quæ etsi sanguis peccet secundum plurimum, tamen est per admixtionem ipsius pituitæ cum eo. quapropter cum phlebotomia sit euacuatio epilepsiæ sanguineæ, secabis uenam non expectata digestione. si tamen expediet, digestio erit in epilepsia pendente à pituita per essentiam in cerebro.

Digestiuum igitur erit sequens.

Recip. Oxymellis simplicis unc.i. mellis rosati colati unc. s. aquarum betonicæ, saluiæ, buglossæ ana unc.i. misce, continuato digestiuo per vij. dies continuos. & apparentibus signis digestionis in materia, purgetur materia à capite sequẽti purgatorio, semper à leuioribus curam inchoando.

Recip. Pilularum de Hiera Nicolai, masticinarum Cõciliatoris, aurearum Nicolai, ana scrup.i. misce cum syrupo de sticados, fiant pilulæ numero v. Facta hac prima purgatione, quiescat æger per sex dies continuos ab ulteriori purgatione: quoniam assidua purgatio in epileptico agitando materias, damnum ingerit. Demum laudo quòd quolibet uesperi cùm æger cubare uoluerit, capiat bolum infrascriptæ mixturæ.

Recip. Diacori, conseruæ sticados, conseruæ saluiæ ana unc.i. radicum pæoniæ subtiliter puluerizatæ drach.ij. misce

cum

cum syrupo de sticados, fiat mixtura. Dosis est unc.s. pro qualibet uice. Mane uerò in eisdem sex diebus per tres horas ante cibum, laudo quòd æger capiat unc.s. præparatarum radicum masticando et expuendo ferè per tempus unius horæ.

Recip. Radicum acori unc.iij. & aduerte quòd in quibus libet diebus purgationis, uel nõ purgationis, si patiens aluum strictam habuerit, quotidie clystere unum stomacho ieiuno imponatur, quod sit talis compositionis.

Recip. Florum sticados arabici, florum camomillæ, betonicæ, & sansuci, saluiæ, rutæ ana m.i. mercurialis, foliorũ maluæ, uiolariæ ana m.s. bulliant in sufficienti quantitate aquæ, usq; ad consumptionem medietatis aquæ. Demum de colatura.

Recip. unc.s. Hieræ compositæ unc.i. olei rutæ unc.iij. sacchari rubei unc.i.s. uitelli oui numero.i. saliis communis drach.iij. misce, & imponatur clystere.

Transactis uerò sex diebus, laudo ut in cura præseruatiua ab epilepsia iterato patiens purgetur præcedẽte digestione cum sequenti syrupo.

Recip. Syrupi de hyssopo, syrupi de sticados sine speciebus, mellis rosati colati ana un.s. aquarum hyssopi, betonicæ, saluiæ ana unc.i. misce. his expletis syrupis septẽ diebus continuis, apparentibus signis cõcoctionis purgetur materia sequentibus fortioribus pilulis.

Recip. Pilularum cochiarum almansoris, pilularum de agarico mesuæ, aurearum nicolai ana scrup.i. Ellebori nigri præparati, propter id quod de melancholia illi morbo coniungitur, scrup.s. misce cum syrupo de hyssopo. fiant pilulæ numero iij. quas patiens capiat post primam dormitionem de nocte.

Et aduerte, quòd in ægritudinibus cerebri, quanto pilulæ groſſiores ſunt, tãto efficacius operantur à cerebro, propter longiorem moram, quam trahẽt in ſtomacho. Facta hac purgatione ſecunda, conſulo ut apponantur tres ſanguiſugæ uenis hæmorrhoidalibus ipſius patientis. tãto efficacius hoc faciis, quanto quòd ſigna ſanguinis apparuerint. & extrahatur ſanguis pondere unciarum quatuor. melancholicis enim hæmorrhoides conferunt. Demũ quieſcat patiẽs per ſex dies continuos ab ulteriori purgatione, in quibus laudo, quòd in ueſperi cum ibit dormitum, ipſum capere debere bolum infra ſcriptæ mixturæ.

Recip. Conſeruæ Iuæ unc.i. conſeruæ ſaluiæ un.s. radicũ pæoniæ ſubtiliter puluerizatarum unc.s. miſce cum ſyrupo de iua & fiat mixtura. Mane uerò quolibet in ijſdem ſex diebus uolo patientem uti & maſticatorio, & lotione in extremitatibus, quorum quolibet materia detrahetur à capite, maſticatorium tale eſt.

Recip. Maſticis unc.i. pæoniæ unc.s. paſſularum enucleatarum unc.ij. puluerizentur puluerizanda, & omnia inſimul cum contuſis paſſulis miſceantur, & fiant maſticatoria ad formam nucis auellanæ, de quibus quolibet mane patiens unũ maſticando expediat. & materiam à capite attractam ad os expuere conetur. Facto uno maſticatorio, laudo ipſum patientem abluere ſibi pedes à genu infra, & brachia à cubito ad manus, ſequenti lotione.

Recip. Calamenti, betonicæ, florum ſticados arabici, florum ſticados montani, maioranæ, rutæ, iuæ ana M.i. radicum pæoniæ unc.s. miſceantur, & bulliant in forti lixiuio uſq; ad conſumptionem tertiæ partis, & uſui reſeruetur. His ſex diebus exactis, laudo fiendam fore fortiorem tertiam purgationem,

tionem,ut ea apertiorem uiam habeamus ad cætera applicanda,& ad localia exercitanda.

Digeratur igitᵗ materia tertio iſto ſyrupo ſequẽte.

Recip.Oxymellis compoſiti,ſyrupi de hyſſopo,mellis roſati colati ana unc.s. aquarum pæoniæ, hyſſopi, ſaluiæ ana unc.i.caſtorei ligati in petia ſubtili et rara ſcrup.s.miſce. Et de mane ſyrupo caleſacto in diluculo,& colato,patienti exhibeatur.& ſic præcisè eodem modo continuabis per ſeptem dies continuos. Octauo uerò die purgetur materia ſequentibus pilulis.

Recip. Pilularum cochiarum almanſoris ſcrup.ij. pilularum fœtidarum ſcrup.i. Ellebori nigri præparati, Caſtorei optimi ana ſcrup.s. fiant cum ſyrupo de ſticados pilulæ numero v.& aduerte quòd has medicinas,et in doſi,& in uirtute debes metiri ſecundum robur uirtutis patientis,& ſecũdum ætatem,quoniam in pueris,uel in ſenibus patiẽtibus epilepſiam nimium graues ſunt prædictæ medicinæ. Quapropter magis & minus id relinquo iudicio & arbitrio prudentiſſimi medici.

Ad epilepſiam per proprietatem cxpertum eſt, ſequens remedium optimè conferre, ſi patiẽti per ſeptem horas ante cibum quolibet mane detur drach.i.infraſcripti pulueris.

Recip.ueſicarum Apri ſylueſtris cum propria urina numero ij. exicentur in furno lento igne, adeò ut non comburantur. quibus exiccatis ſubtiliter pulueriẓentur, & de tali puluere detur drach.i. cum aqua pæoniæ quantum ſufficit ad diſſoluendum, & reperies utile præſidium ipſi corpori epileptico.

Ad idem, & eſt expertum, ſi detur patiẽti epile-

psiam quolibet vesperi in ingressu lecti sequens antidotum.

Recip. Castorei optimi drach.s. pulueris radicum pæoniæ scrup.i. misce cum syrupo de sticados. fiat pilula una, quæ patienti exhibeatur.

Ad idem, & est expertum & optimum, si patienti epilepsiam per proprietatem, detur infrascriptus bolus, quolibet mane per septem horas ante cibũ.

Recip. Cranei humani drach.i.s. pulueris pæoniæ drac.s. mithridati optimi drach.ij. misce, pulueri zatis pulueri zandis, & fiat bolus.

Ad idẽ, & est expertũ, si patiens quolibet mane quod sequitur masticet per vnam horam cõtinuè, & materiam fluentem à capite expuens, optimum inueniet iuuamentum.

Recip. Radicũ acori conditarum unciam.s. pro una uice.

Ad idem, & est expertum, si patienti propinabis dare in ingressu lecti sequentem bolum, ipsumque detinendo in ore plusquàm sit possibile, demũ ipsum tranglutiendo inuenies ipsum optimè ualere.

Recip. conseruæ Saluiæ, conseruæ sticados ana drach.ij. pulueris radicum pæoniæ drach.s. misce, & patienti dato modo dicto.

Ad idem, & est expertum, si patienti in ingressu lecti dabis vnam de infrascriptis pilulis, inuenies magnum præsidium ex his.

Recip. pulueris hyssopi, pulueris praßij ana drach.s. pulueris radicum pæoniæ drach.i. assæ fœtidæ scrup.i. castorei drach.s. pulueri zentur pulueri zanda subtilißimè, & cũ syrupo de hyssopo, reformentur pilulæ numero septem. Quòd si hu-

si huiusmodi remedia non cõtulerint, laudo ut sine timore aliquo offeratur cauterium corpori patienti epilepsiam, et non solum unum, quinimo & tria.

Primum cauterium sit semper actuale, & sit de directo commissuræ coronali.

Secundum uerò sit in fontanella. i. spondilibus colli, in prima uel secunda spondili, ubi collum iniungitur craneo.

Tertium sit infra genu per quatuor digitos in parte sylue stri infra duos musculos. dico hoc in adulto corpore potente hæc medicamenta tolerare, in puero uerò epileptico non nisi apud primam, uel secundam spondilem colli committendum est cauteriũ. Facto uerò altero, uel pluribus de his cauterijs, regatur patiens regimine medicinarum ante dicto, quoniam plerunque necessitas cogit nos offerre cauteria à principio morbi.

Et hæc de epilepsia per proprietatem dicta sint.

DE EPILEPSIA PER CONSENSVM.

Ad Epilepsiam per consensum, cùm secũdum plurimum epilepsia per consensum, ab aliquo membro corporis humani sit per malum fumum absq; præsentia humoris communicatum ipsi cerebro, & uentriculis eiusdem, qui fumus quandoq; est sapiens substantiam & naturam humoris peccantis, quandoq; uerò est fumus uentosus ab illo affecto membro ad cerebrum communicatus.

Ideo laudo, quòd prima epilepsiæ curatio per consensum, sit corrigere malam complexionem mẽbri ipsius consentientis, & euacuare ab eodem membro causam existentem in eo fiendæ epilepsiæ in cerebro. Et quoniam secundum plurimum uentriculus uel aluus propter fœtidas & corruptas materias

materias existẽtes in ipsis magis, quàm in alijs membris, epilepsia ipsi cerebro communicatur.

Ideo laudo, ut æger lenitiua medicina prius euacuetur, quæ medicina etsi stomachalis est, uel fuerit, non absoluatur tamen à medicina habente uirtutem capitalem.

Leniatur igitur primo venter cum sequenti medicina.

Recip. floris cassiæ nouiter tractæ unc.i. radicũ pæoniæ subtiliter puluerizatæ drach.ij. misce, & fiat bolus cum saccharo. Demum concoquere debes præsentem materiam existẽtem in stomacho unà cum decoctione communicata uenis, cùm secundum plurimum ad ipsum stomachum mali humores confluunt à uenis.

Syrupus digestiuus est talis.

Recip. Syrupi de Betonica, ualet enim stomacho & capiti, syrupi de mẽta, oxymellis simplicis, syrupi de endiuia, mellis rosati colati ana drach.iij. aquarum betonicæ, mentæ, buglossæ ana unc.i. misce. continuato syrupo per tres dies continuos apparentibus signis concoctionis, dabis sequens purgatorium.

Recip. Diacatholiconis drach. vi. electuarij rosati mesuæ drach.ij. electuarij indi maioris, electuarij de dactylis, electuarij succi rosarum ana scrup.i. misce cum aqua decoctionis radicum pæoniæ, polypodij quercini, folliculorum senæ, & florum omnium cordialium, fiat potus. quòd si pergratum fuerit magis patienti capere medicinam in forma pilulari, sumat per duas horas ante lucem infrascriptas pilulas.

Recip. Pilularum fœtidarum, indarum, aggregatiuarum, aurearum ana scrup.i. misce cum syrupo de menta, fiant pilulæ numero septem.

Ad idem,

Ad idem, consulo facta purgatione, alternis diebus patiens vtatur infrascripto clysterio euacuante ab intestinis, & stomacho, virtutem sui cerebro communicante.

Recip. *Absinthij, mentæ pulegij, calamenti ana. M.i. radicum pæoniæ, polypodij quercini ana drach.ij. anisorũ, fœniculi, carui, dauci, ameos ana M.s. agarici ligati in petia drach.ij. uiolariæ, mercurialis, ana M.i.s. Bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis. Deinde colentur, & de colatura.*

Recip. *unc.x. Benedictæ, hieræ simplicis Galeni ana unc. s. olei rutæ unc.iij. mellis rosati unc.ij. sacchari rubei unc.i. salis cõmunis dra.ij. uitelli oui numero.i. misce, et fiat clystere.*

Ad idem, laudo quòd quolibet mane, & vesperi per duas horas ad minus ante cibum capiat bolum infrascriptæ mixturæ, quoniam & omnibus membris naturalibus confert, ventositates & malos fumos ipsorum resoluendo.

Recip. *Aromatici rosati, electuarij pliris arcoticon. Diagalangæ ana unc.i. Diairis, Diacori ana unc.s. radicum pæoniæ subtiliter puluerizatæ drach.ij. misce cum syrupo de menta, & fiat electuarium.*

Ad idem consulo, & est expertum, & est secretũ, si patiens vtatur bis in septimana, vel ter in ingressu lecti vna de sequentibus pilulis, proculdubio sanabitur ab Epilepsia, nedum per consensum, verumetiam per proprietatem.

Recip. *Castorei optimi, Assæ fœtidæ ana drach.s. radicũ pæoniæ subtiliter puluerizatæ drac.i. aromatici rosati: dra. ij. misce cum syrupo de menta, & fiant pilulæ numero. vij.*

Ad idem,

Ad idem, & expertum est, si patiens vnam de sequentibus pilulis ceperit in ingressu lecti quolibet vesperi uel alternis diebus.

Recip. *Ellebori nigri bene præparati, & mundi drach.i. ſpecierum diagalãgæ drach.i.s. radicũ pæoniæ ſubtiliter puluerizatæ drach.s. miſce cum ſucco abſinthij, & fiant pilulæ numero nouem. Quòd ſi his remedijs non curetur* Epilepſia *hæc per communitatem, conſulo, ut deueniamus ad manũ chirurgicam. et à quocunq; membro inferiore cõmunicetur* Epilepſia *capiti, conſulo, ut fiant duo cauteria in duobus cruribus infra genu in parte ſylueſtri per quatuor digitos intra duos muſculos. Demum conſulo, quòd ſi medicus benè expertus cognouerit membrum, à quo communicetur* Epilepſia *cerebro, ſicut cognouit. Galenus de punctura facta in digito pedis ab animali uenenoſo, propter quam ab illo membro communicata fuit* Epilepſia *ipſi cerebro: tunc temporis cauteri zetur membrum tale. Sicut, cùm ſecundum plurimum ſit à ſtomacho, cauterizatur de directo mali granati. Et quoniam omnis ægritudo per conſenſum ad aliquod membrum, ſi prolongetur, efficitur per eſſentiam in illo membro.*

Ideo laudo, quòd ultra hæc cauteria continuante morbo, cauterizetur commiſſura coronalis, ut prius dictum eſt.

Et hæc de Epilepſia.

DE APOPLEXIA. CAP. III.

CVM AD *fortem* Apoplexiam *impoßibilis ſit curatio. Ideo eiuſdem regimen & curam derelinquamus preſbyteris. Quoniam uerò leuis* Apoplexia *etſi difficilem habeat curam, non tamen impoßibilem, ideo eius curam perſtringemus. primò debet* Medicus *conſiderare à qua materia, uelu-*

ti à

ti à præcedente causa, fiat Apoplexia. Quòd si sanguis fuerit, illico phlebotometur æger primò ex uena cõmuni extrahendo sanguinem pondere unc. vi. habita uirtutis considerationе, & ipsius ætatis: hinc uerò à quatuor uel quinq; horis iteratò æger phlebotometur ex cephalica cubiti dextri extrahendo sanguinem pondere unc. iiij. ad plus: hinc uerò ad sex horas, quod per me expertum est, & bene contulit, phlebotometur uena recta frontis extrahendo sanguinem pondere unc. iij. quibus phlebotomijs celebratis præcedente uẽtris lenitione, laudo quòd fiat sequens clystere.

Recip. Betonicæ, saluiæ, hyssopi, centaureæ, aristologiæ, florum sticados arabici, mercurialis ana M.i. florum camomillæ, anisi, ana M.s. Agarici, pulpæ coloquintidæ ana drach.ij. ligetur in petia agaricus cum pulpa coloquintidæ, & bulliant in sufficienti quãtitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis, deinde de colatura.

Recip. unc.x. Hieræ logodionis, Hieræ compositæ ana unc.s. mellis rosati unc.ij. olei rutæ unc.iij. sacchari rubei unc.i.s. salis communis drach.iij. uitelli oui numero.i. misce, & componatur clystere. Et nota quòd clysteria, quæ in apoplexia fiunt, debent esse fortia magis, quàm in epilepsia, propter uirtutes omnium membrorum sopitas esse. Et ideo difficulter excitari possent ad expellendum sibi nociuum. Facto clysterio laudo, ut non expectes digestionem in materia, cùm paroxysmus Apopleticus sit ualde acutus, & in ualde acutis expedit mederi in eodem die, igitur dentur sequentes pilulæ patienti apoplexiam. quòd si propter impedimentum datum musculis deglutionis æger liberè non poterit pilulas deglutire, dissoluantur in aqua saluiæ quantùm sufficit.

Recip. Pilularum cochiarum, almansoris, fœtidarum ana.

drachs.

drach.s. Aurearum Nicolai scrup.i.misce cum syrupo de sticados, & fiant pilulæ numero.v. et aduerte quòd pilulæ debent esse in maiori dosi, ut melius excitent sopitam uirtutem expulsiuã patientis apoplexiã. Facta euacuatione à toto corpore per dictas pilulas, consulo ut patiẽti apponantur cucurbitulæ scarificatæ cum sequenti ingenio, quo bene me reperi.

Primo forti frictione fricentur pulpæ crurum sub genu, deinde applicentur cucurbitulæ eo in loco, & scarificentur. Demum fiat fortis frictio supra coxas infra nates, & iteratò cucurbitulæ apponantur, simili scarificatione facta. deinde præcisè eodem modo super natibus sic ascendendo, usque ad spatulas, in quibus facta forti & laborioſa frictione, apponãtur quatuor cucurbitulæ, similiter scarificando, & in isto ingenio habebis optimum modum diuertendi & trahendi materiam à capite patientis apoplexiam. His omnibus peractis. & si simus in eadem ægritudine eiusdem naturalis diei, laudo ut detur patienti cauterium actuale de directo commissuræ coronali, & conseruetur apertum plurimis septimanis. Deinceps laudo, quòd si patiens non poterit deglutire syrupos, quòd continuè ori ipsius imponatur drach.i.uel.ij. mitridati optimi, ualet enim ad huiusmodi morbum, & ante, & post euacuationem, & digestionem in materia. Si debilitate morbi patiens poterit liquida transglutire, consulo ut ipsi detur sequens digestiuum per tres dies continuos.

Recip. Syrupi de iua, de hyssopo, oxymellis compositi ana unc.s. Aquarum iuæ, saluiæ, hyssopi ana unc.i. Ne mireris si calidis utor, quoniam ut plurimum materia, ueluti coniuncta causa ipsius apoplexiæ, est pituitosus humor replens caua cerebri: ubi à calidis facilè soluitur, tum etiam, quoniam ipsis calidis posset in toto corpore febris accendi. quo fit ut apoplexia,

plexia, spasmus, & eius causa soluatur. Continuabit igitur hos syrupos per tres dies. posteà laudo ut totum corpus purgetur sequentibus pilulis.

Recip. Pilularum cochiarum Almans. fœtidarum ana drach.s.ellebori nigri, castorei optimi ana scrup.i. misce, & fiant pilulæ numero vij. & patienti exhibeantur in medio noctis.

Ad apoplexiam pituitosam expertum est, si patiens vtatur sequẽti mistura quater uel quinquies in die: releuabitur enim à paroxismo apoplexiæ.

Recip. Conseruæ iris, conseruæ acori, diamusci amari ana unc.s. castorei optimi drach.i. misce, & cum syrupo de sticados fiat mistura: & si possibile est, patiẽs semper in ore detineat quantitatem aliquam, licet paruam, hmõi misturæ.

Recordare tamen theriacam magnam mirabile præsidiũ afferre apopletico, si acceperit drachmam unam per duas horas ante lucem, & nihil comedat, nisi sex transactis horis ab assumptione theriacæ. At quoniam apoplexia non dat inducias neq; patienti, neq; medico, quin certissimè terminetur in mortem, uel in paralysim alicuius particulæ corporis humani (est enim paralysis crisis apoplexiæ) ideò de paralysi dicam in sequenti capite.

DE PARALYSI. CAP. IIII.

Cvm Paralysis à doctoribus ponatur duplex, una quippe uniuersalis, altera uerò particularis: uniuersalis quidem, cùm totum teneat corpus animalis, quæ est uniuersalis spasmus, cum quo stat minimè uita, cùm sit fortis apoplexia, ideò nollem ut ad eam medicus se intromittat curandam. Particularis autem paralysis duplex est: Vna nõ equidem

dem multùm distans ab uniuersali paralysi: & est quæ tenet alteram medietatem totius humani corporis, uel dextram, uel sinistram, cuius paralysis alterius partis timor est de casu alterius. Altera uerò est paralysis particularis, quæ uni soli particulæ accidit: sicut sunt omnes illæ particulæ, ad quas terminantur nerui in corporibus nostris: ueluti est paralysis linguæ, paralysis faciei, brachij, uel digitorum unius, uel ambarum manuum, uel pedis, & hanc paralysim particularē sic curabimus. Nam si hæc paralysis accidat corpori multùm carnoso, & sanguineæ temperaturæ, quòd in præteritis temporibus multiplicauerit, & usus fuerit regimine generatiuo sanguinis, & humorum calidorum, laudo fieri phlebotomiam uenarum ex parte sana, & sanguis extrahatur, multiplicando numerum, potius quàm quantitatem. quoniam natura assuescet ex paulatina & multiplici illa phlebotomia ad conducendum materiam à membro læso ad membrum sanū: quo fiet ut materia illa sparsa facta debilior, citiùs resoluatur à uirtute fŏrti partis sanæ: & sic illi qui credunt, quòd ex phlebotomia partis sanæ, uel ex fricationibus factis in eadē parte sana, conducatur paralysis in partem sanam, errant: quoniam ignorant uirtutem sparsam esse debiliorem seipsa unita. Quapropter cùm ipsis fricationibus trahatur & spargatur materia ad partem sanam, huius robur potentius est, ideoq; celeriter soluitur, & uitiata pars sic sanabitur. Sic igitur laudo, post phlebotomiam, uel nulla adhuc præcedente phlebotomia, frictiones fieri in parte sana, dum tamen non te lateat, non solùm frictiones diuersiuas in parte sana factas præstare præsidium, sed etiam frictiones leues resolutiuas, & non attractiuas in parte læsa multum iuuamentum præstare, eo quòd frictionibus illis excitatur calor naturalis membri

membri ad resoluendum materiam illam morbi, & reserantur uiæ, ut spiritus ipsi possint ad illud membrum transire, & ipsum uiuificare. Facta phlebotomia, laudo ut patiens paralysim, euacuetur sequenti pharmaco. Et non attendas eis qui in ægritudinibus frigidis uolunt expectare digestionem in materia, cùm pleriq; sua multitudine peccent, eoq; tempore, quo digereretur, æger moreretur, et ideò audax eris à principio ipsi paralytico dare sequenteis pilulas, quoniam cùm non laboriosè euacuent, rectè concedemus eas à principio.

Recip. Pilularũ de hiera simplici scrup. ij. agarici trochiscati drach. s. misce cum syrupo de sticados, fiant pilulæ numero quinq;, & dentur patienti in medio noctis. Facta prima euacuatione, digeratur materia sequenti Syrupo, continuato per septem dies in diluculo.

Recip. Oxymellis simplicis (cùm ut plurimũ materia sit pituitosa, & confluens à capite) mellis rosati colati, syrupi de sticados ana unc. s. aquarũ hyssopi, betonicæ, buglossæ ana unc. i. misce, apparentibus signis digestionis in materia quantumcunq; non completis. Cùm sit morbus ualde diuturnus, patienti dabis sequentes pilulas.

Recip. Pilularum cochiarum Almans. de hiera Nicolai, agarici trochiscati ana scrup. i. diagridij gran. i. s. misce cum syrupo de sticados: fiant pilulæ numero quinq;, & exhibeãtur ut priùs. Facta hac prima purgatione, laudo ut aperta fronte medicus applicet cauterium patienti paralysim, uel totius lateris dextri, uel siniſtri, et non sit medicus perplexus in tali cauterio, quoniam est de melioribus præsidijs, quibus speres ut paralyticatus curari possit. Et aduerte, cùm paralysis lateris dextri uel siniſtri sit per obstructionem factam in nucha, ut uirtus animalis motiua, & quãdoq; sensitiua impediatur

pediatur in transitu ad neruos continuatos parti dextræ uel sinistræ, tribuentes illis motum & sensum: ideò si paralyticatum fuerit brachium, fiat cauterium in prima, uel in secũda spondili colli uersus craneum, cùm ea in parte fluat materia à capite ad neruos dantes motum brachio, impediens trã situm uirtutis animalis ad brachium. quòd si simul uel crus, uel pes paralyticatus fuerit, proculdubio laudo fieri secundum cauterium in spondilibus ipsius spinæ prope caudam, & ex his duobus actualibus cauterijs medicus se bene reperiet in curatione paralysis tenentis alteram medietatẽ totius corporis. His cauterijs peractis, laudo ut iteratò digeratur & purgetur materia sequenti syrupo, & pilulis, semper ad fortiora tendendo.

Syrupus digestiuus talis est.

Recip. Oxymellis simplicis, syrupi de sticados, mellis rosati colati ana unc.s. syrupi de iua Nicolai drach.ij. aquarum iuæ, betonicæ, hyssopi ana unc.i. misce. Apparentibus signis digestionis in materia, syrupo quidem continuato per septem dies, laudo ut purgetur cùm sequentibus pilulis.

Pilulæ digestiuæ tales sunt.

Recip. Pilularum fœtidarum, cochiarum Alman. de hiera Nicolai ana scrup.i. castorei optimi scrup.s. misce, et cum syrupo uiolato fiant pilulæ numero v. & exhibeantur patienti in medio noctis, ut simul & à capite, & à membris inferioribus euacuent. Facta hac digestione cum purgatione peccantis materiæ, laudo, ut regatur patiens paralysim & cum his quæ interius assumuntur, & exterius applicantur, ualentibus à sui natura ad ipsius paralysis curationem.

Primùm igitur expertũ ad paralysim cuiusuis lateris sit, si patiens

si patiens bis in septimana capiat sequentem bolum.

Recip. *Terebentinæ lotæ cũ aqua iuæ unc.s. specierũ hieræ simplicis Gal. drach.iij. misce, et detur patiẽti in diluculo.*

Ad idem expertum in præseruatione à paralysi, & in curatione præsentis dispositionis, si patienti quolibet vesperi in ingressu lecti detur infrascriptus bolus.

Recip. *Conseruæ iuæ, conseruæ saluiæ, conseruæ acori ana drach.ij. misce, & fiat bolus, qui exhibeatur modo dicto: demùm uerò patienti per horam ante lucem detur drachma una mithridati optimi: & sic continuãdo per duodecim dies, uidelicet uesperi dando bolum, & uersus diem dando mithridatum optimum, uidebis experimentum.*

Ad idem, & est expertum, si dabis patienti quolibet vesperi in ingressu lecti vnam de sequentibus pilulis.

Recip. *Iuæ, herbæ paralysis, betonicæ, florũ sticados Arabici ana drach.i. exiccentur in umbra, & subtilissimè puluerizentur: deinde*

Recip. *Turbith boni, & gummosi drach.i.s. agarici optimi, & electi drach.ij. coloquintidæ drach.s. zinziberis, salis gemmæ ana gran.x. rheubarbari optimi, & electi drach.i.s. spicæ gran.vij. specierum hieræ simplicis Gal. unc.s. scamoneæ præparatæ drach.i. omnia insimul subtilissimè puluerizentur, & cum succo iuæ fiat pasta pilularum, quæ nominetur pasta pilularum de iua: dosis est pilula una unius scrupuli, quando patiens uoluerit cubare in uesperi. Et nota, quòd si patiens paralysim, non quidem quotidie, sed ad minus bis in septimana, capiat hanc ordinatam pilulam, uidebis repentinum iuuamentum in paralysi. Et attende, quòd in quatuor*

anni temporibus, præcedentibus digestionibus cum syrupis supra scriptis, si exhibeatur patiẽti drachma una prædictarum pilularum loco purgationis materiæ, admodum præseruabis à casu in paralysim corpus ipsum paratum in eam cadere, & meritò hæ pilulæ possunt dici glorioſæ in paralysi.

Ad idem, & est expertum, & secretũ, si ter in die patiẽti paralysim exhibeatur media vncia infrascripti electuarij, manè videlicet per tres horas ante cibum, vesperi verò per duas, & in ingressu lecti, pro qualibet scilicet vice dando ei vnciam mediam.

Recip. Cerebri leporis recentis, & assati, uel in patella frixi lib.i. succi saluiæ, succi iuæ, succi radicũ acori ana drac. iij. cinnamomi electi, garyophyllorũ, piperis nigri ana drac. s. terebentinæ lotæ cum aqua, iuæ unc. iij. sacchari dissoluti in aqua iuæ quantum sufficit, & conducatur electuarium secundum artem: & scias esse mirabile.

At idem, & maximè valet vel in tempore frigoris, vel in medio tempore si per triduum dabis patienti quolibet mense infrascriptum potum. primò sic ipsum conficies.

Recip. Aquæ ardentis lib.i. radicum iuæ, radicum acori, radicum hyssopi, ana drach.ij. piperis nigri, garyophyllorũ, nucis muscatæ ana drach.i. fŏlij drach.s. omnia insimul bene contundantur, & in petia subtili linea ligentur, & infundantur in aqua ardenti per duos dies naturales, deinde coletur aqua, & sic dabis patienti.

Recip. Aquæ ardentis prædictæ unc.s. aquæ iuæ, aquæ endiuiæ ana drach.iij. misce, & detur patienti in diluculo, et nõ comedat nisi per horas sex post assumptionem dictæ aquæ. Et aduerte quòd si cum prædicta aqua dilues membrum paralyticatum

ralyticatum semel in die, & etiam eo die, quo patiens epotaret hanc aquam, magnum præsidium præstabis patienti.

Ad idem, & est expertum, si quolibet mane fricueris membrum paralyticum, & mox post fricationem factam cum panno calido, leuiter tamen, inunges membrum cum sequenti vnguento.

Recip. Olei destillationis terebentinæ unc.ij. unguenti de bdellio descriptione Mesue unc.iij.misce, & calidum inungatur membro, deinde ei applicato pellem uulpinam, totum membrum tegentem. Et aduerte quòd pellis uulpina membro paralyticato magnum affert iuuamentum, si primitus eam suffumigaueris cum sequenti puluere.

Recip. mirrhæ, masticis ana drach.ij. olibani drach.i.s. garyophyllorũ, cinnamomi, nucis muscatæ, ligni aloës, macis, ana drac.i. omnia simul subtiliter puluerizẽtur, deinde pulueres cũ aqua ardenti irrorẽtur: demùm ipsis exiccatis, iteratò cum prædicta aqua irrorentur. & sic irrorando, & exiccando quinquies procedes: demum iteratò subtiliter puluerizentur, ex quo puluere poteris suffumigare pellem uulpinam, ponendo drachmas duas prædicti pulueris super accẽsis carbonibus, ubi fumus per totam pellem suscipiatur, & membro applicetur, & efficacius erit, si puluis aspergatur ipsi pelli uulpinæ, & calida membro applicetur, & semper æger sic ligatam pellem ipsi membro exportet. & uidebis mirabile opus, nedum in paralysi, uerùm & efficacissimum in tremore.

Ad idem, & est expertum: & certè optimè valet, si patienti paralysim in aliquo membro præceden tibus purgationibus, vngatur totum membrum sequenti oleo.

Recip. Olei de euphorbio, de caſtoreo, ana unc. ij. olei de piperibus, maſticini, coſtini ana unc. iij. olei camomillæ unc. iiij. aquæ ardentis libram. s. bulliant inſimul lento igne uſque ad conſumptionem aquæ: demum cum prædicto oleo calido manè & ueſperi membrum paralyticatum inunges, moxq; uulpinam pellem præparatam ut ſupra, eidem applicabis.

Ad idem, & eſt optimum, & expertum, ſi membrum paralyticatum ſemel in die ponatur in ſequenti oleo in quo moram trahat ad minus per horam, vel per duas tertias horæ.

Recip. Olei communis quantum expedit pro quantitate membri paralyticati, radicum iuæ, radicum acori, radicum hyſſopi ana unc. ij. thuris, maſticis, ana unc. s. caſtorei, euphorbij drach. i. ſeraphini, ammoniaci ana drach. iij. garyophyllorum, nucis muſcatæ, ligni aloës ana drach. ij. s. miſce omnibus contundendis groſſo modo contuſis, omniaq;, inſimul in oleo bulliant igne lento uſq; ad conſumptionẽ quartæ partis olei, deinde coletur, & in dicto oleo calido membrum paralyticatum imponatur; primitus tamen membrum ipſum leui fricatione fricato: poſtquàm uerò membrum exierit balneum, ſtatim inunge ipſum cum unguento de bdellio Meſue calido, & ipſum eadẽ pelle uulpina calida circundato. Et aduerte quòd licet utraq; pellis uulpina, ſcilicet præparata & non præparata ab artifice pellione ueneat, ualeatq;: efficacior tamen eſt, ſi non ſit à pellione præparata, ſed ſolùm exiccata. Et hæc de paralyſi.

DE PHRENESI. CAP. V.

Cvm Phreneſis ſit cerebri calidum iam confectum apoſtema, cuius curationem uanam & caſſam dicunt medici, ob

dici, ob uitium in membro principali iam confirmatum esse, ideò nostra intẽtio curatiua erit prohibere, ne phreneſis fiat, cùm ipſa effecta, in uanum laborant medici.

Apparẽtibus ſignis futuræ phreneſis, quæ ſunt ſigna præſentis paraphreneſis, ut dolor capitis aſſiduus, rubedo totius faciei, caliditas nimia, rubedo oculorum cum inſigni apparẽtia uenarum in ipſis, fixio intuitus, ſitis, ariditas linguæ, inquietudo, actiones non ſolitæ, & mentis aliqualis alienatio, ſiue hæc adſint uigore febris exiſtẽtis acutæ, ſiue ab alia cauſa, his quidem indicabis præſentem paraphreneſim, & timorem futuræ phreneſis. Quamobrem ſi adfueris à principio apparitionis huiuſmodi ſignorum, laudo ut utaris omni ingenio diuerſionis, aut retractionis uel uaporum malorũ aſcendentium ad cerebrum, uel materiarum raptum tendentiũ ad ipſum caput à deſuper in deorſum: et ſic laudo fieri primitus clyſtere ſequens.

Recip. Florum camomillæ, florum ſticados arabici, roſarum rubearum, ana M.i.s. foliorum maluæ, uiolarum, mercurialis ana M.i. furfuris groſſi ligati in petia M.ij. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſq; ad conſumptionem medietatis aquæ: deinde coletur, & de dicta colatura accipe uncias decem, olei uiolati unc.iij. Et aduerte quòd in phreneſi multũ ualet oleum uiolatum, quoniam in ea admodum uiget inſtantia uigiliarum: uiola autem ſomnifera eſt: quare prohibẽda eſt in ſubetica diſpoſitione. accipe etiam caſſiæ nouiter tractæ, hieræ ſimplicis Galeni ana unc.s. uitelli oui numero.i. ſacchari rubei unc.i.s. ſalis communis drach.ij. miſce, & inijciatur clyſtere. demùm facto ænemate, conſiderabis an adſit totius corporis plenitudo: ſi adeſt, tunc mittes ſanguinẽ ex uena communi, ſeu nigra cubiti dextri pondere quinq; uncia-

rum. Facta hac phlebotomia, eadem die consulo per unã horam post, patientem debere sumere infrascriptum bolum.

Recip. Sacchari rosati, conseruæ acetositatis citri, diabuglossati ana drach. ij. misce, & patienti dato. Sequenti uerò die, stomacho ieiuno, perseuerante morbo, fiat phlebotomia cephalicæ cubiti dextri, mittendo sanguinẽ pondere quatuor unciarum. Facta hac phlebotomia, per duas horas post utetur clysteri supra scripto, aduentante uesperi, per horam ante cibum laudo fricationes fieri sursum à spatulis incipiendo, & deorsum trahendo per nates, per coxas, & per pulpas crurium. Sequente uerò die, quæ est dies tertia à prima phlebotomia, laudo in diluculo pro euacuatione choleræ ad sursum motæ patienti dari infrascriptum bolum.

Recip. Floris cassiæ nouiter tractæ drach. vi. Reubarbari electi drach. i. spicæ gran. v ij. electuarij rosati Mesue, electuarij de succo rosarum ana scrup. iiij. misce, & detur patienti modo dicto. Facta hac euacuatione, iubeo patientem quiescere per totum sequentem diem, scilicet ab exhibitione medicinarum, excepto quòd ea die sequenti injciatur illi clystere lotiuum ex aqua hordei, saccharo, & uitello oui. Quarta uerò die, adhuc perseuerante morbo, laudo fieri phlebotomiam cum apertione uenarum hæmorrhoidalium, cum extractione sanguinis pondere trium unciarum. attenta tamen uirtute patientis. Si uerò his diuersionibus & phlebotomijs adhuc perseueret morbus, laudo ut quinta die medicus injciat digestionem in materia cum infrascripto syrupo, in quo non modò est uirtus humorum æquatiua, uerumetiam acuminis choleræ remissiua.

Recip. Syrupi rosati, de succo acetosæ, acetositatis citri, de succo endiuiæ ana unc. s. aquarum acetosæ, buglossæ, cichoreæ

choreæ ana unc.i.misce. Eodemq; die laudo, intentione diuersionis, & etiam euacuationis, fieri fricationes in natibus & spatulis, cum appositione cucurbitularum scarificatarũ, primò in natibus, secundò uerò in spatuliis. Et aduerte, cùm tu uolueris cum euacuatione diuertere ex appositione cucurbitularum, debes incipere à deorsum scarificando in sursum, cùm uerò uolueris ipsis cucurbitulis diuertere sine euacuatione (quod fit non scarificando) incipere debes à sursum trahendo. Laudo quoq; eadem die & sequentibus medicum uti fortibus ligaturis in adiutorijs brachiorum, & in coxis quoque uti lotionibus cum aqua calida.

Recip. Decoctionis rosarum, florum comomillæ, melilo-ti, uiolarum, nenupharis, anethi ana partes æquales à genu infra, et à cubito in manus: his enim lotionibus non solùm diuertetur materia, & eius uapor à capite, sed etiam somnus prouocabitur, qui admodùm necessarius est in phrenitide. Si uerò his præsidijs factis patiens nõ alleuietur, debes post has diuersiones aggredi membrum læsum, uidelice caput, ne materia figeretur in cerebro, & apostema generaretur: quod timendum est, cùm præcedentia auxilia non contulerint. Laudo igitur, ut applicentur sanguisugæ uenis post aures, et mittatur sanguis pondere duarum uel trium unciarum. moneo tamen, cùm semper eleuetur materia sursum, ne obliuiscaris à principio morbi applicare oxyrhodinum fronti usq; ad duo tempora, confectum ex aqua rosata, aceto, & oleo rosato.

Nunc uerò quia sumus ferè in statu morbi uel ad minus in augmento, applicabis fronti sequẽs oxyrhodinum, cuius uirtus non solùm est repulsiua materiæ eleuatæ ad caput, uel illius uaporis, sed etiam iam fluxæ resolutiua.

Recip. Olei rosati unc.iij. aquæ rosatæ unc.ij. aceti optimi

uini

uini albi un.i.castorei in his dissoluti drach.i.Et aduerte quòd in hoc oxyrhodino adaucta sunt resolutiua, minora uerò facta sunt repulsiua, quia longè distamus à principio morbi, cuius contrarium obseruare debes in eodem morbi principio, augere scilicet repulsiua,& minuere resolutiua.ita uidelicet.

Recip.aquæ rosatæ unc.iij.aceti optimi unc.ij.s.olei rosati unc.i.s.misce. Si uerò his peractis,adhuc morbus perseuerat, timere debes phreneticũ apostema esse in procinctu suæ generationis: quapropter tunc temporis audax eris ad phlebotomandum uenam rectam frontis, & mittere sanguinem pondere trium unciarum. hæc enim phlemotomia omnis malas capitis extirpat ægritudines,& tunc temporis ex ea apparebit notabile iuuamentum ipsi ægrotanti. Si uerò cognoueris digestionem apparere per sufficientia signa ex assumptis syrupis quinque, uel sex, laudo ut patienti per diem unam post phlebotomiam frontis, detur infrascriptum purgatorium.

Recip. Diasenæ lenitiui, diacatholiconis ana drach.iij. Reubarbari electi drach.i.s.spicæ gran.vij.electuarij de succo rosarum,electuarij de dactylis ana scrup.iiij.misce, infundatur Reubarbarum cum spica in aqua endiuiæ cum modico uino odorifero quantùm sufficit per decem horas, deinde fortis fiat expressio, & omnia insimul cum decoctione communi florum & fructuum cum aqua bulliant rosarum rubearum, florum sticados Arabici ana drach.ij.agarici optimi ligati in petia drach.i.misceantur,& fiat potus.Hac medicina capta, & purgato debitè corpore, sperandum est causam antecedẽtem & coniunctam phrenitidis, quo ad sui maiorem partem, bene fuisse purgatam. quapropter, apparente adhuc morbi perseuerantia cum aliquali mentis alienatione, laudo medicũ

pluribus

pluribus ingenijs supra caput uti, ut resoluatur residuum materiæ remanentis.

Primitus igitur abradantur capilli uersus frontem et supra totam coronalem commissuram, uel totum caput tondeatur: demùm utaris fomentatione sequenti supra commissuram coronalem manè scilicet & uesperi.

Recip. Florum camomillæ, florum uiolarum, florum nenupharis, rosarum rubearum, florum sticados Arabici, anethi ana M.i. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usque ad consumptionem tertiæ partis, deinde cum spongia elota in prædicta decoctione tepida, & bene expressa, capiti pluries applicetur.

Secundum ingenium est, ut accipiantur pulli columborum uiui, & per dorsum euiscerati, & cum sua actuali caliditate commissuræ coronali applicentur, & moram trahant usq; quo incipiant frigefieri.

Tertium ingenium est, ut catuli unius mensis euiscerati uiui cum sua actuali caliditate eidem commissuræ coronali applicentur.

Quartum ingenium est, ut pulmones agni, uel castrati cũ sua actuali caliditate eidẽ commissuræ applicentur: his enim ingenijs, quod remansit de materia potente generare apostema phreniticum proculdubio resoluetur. Et aduerte, quòd cùm una de causis potissimis maximè obnocuis phrenitidi sit instantia uigiliarum, debes tu omni cura & omni solicitudine prouocare somnum in tali patiente: ob quam rem utere sequentibus ingenijs in prouocatione somni.

Primum ingenium est, ut uesperi, quando uult cubare, fiant sequentes lotiones à genu infra, et à cubito ad manus calidè, diluendo quoq; ipsius patientis nares, & tempora.

Recip.

Recip. Florum camomillæ, florum uiolarum, florum anethi, florum nenupharis. ana M.i.s. Corticum radicum mandragoræ. M.s. seminũ iusquiami albi unc.s. misce, & bulliant in sufficienti quantitate aquæ ad consumptionem tertiæ partis, & usui seruetur.

Secundum ingenium est, ut facta lotione prima, mox ungantur tempora, & pulsus manuum, & pedis cum sequenti unguento.

Recip. olei nenupharis, unguẽti populeonis ana unc.s. croci, opij ana. gran. iij. misce pro linimento.

Tertium ingenium est, ut cum sequenti uino calido in ingressu lecti diluantur aures, & nares.

Recip. uini albi dulcis lib.s. seminum iusquiami albi drac. ij. bulliant usq; ad consumptionem medietatis, & coletur uinum, & usui reseruetur.

Quartum ingenium, ubi præcedentibus ingenijs patiens non dormiret, qualibet hora noctis capiat infra scriptum potum, & proculdubio dormiet.

Recip. Syrupi de papauere, aquæ lactucæ ana unc.ij. misce pro una uice. si uerò his omnibus salutaribus remedijs æger noluerit dormire, neq; uoluerit curari, commendabis eũ Deo, & presbyteris. Et hæc dicta sint de phrenitide.

DE MELANCHOLIA. CAP. VI.

ADVERTANT Medici practicantes, non trahere liberum commercium cum melancholicis, quoniam plerunq; magnum ipsis posset contingere malum, sicuti euenit cuidam medico Bononiensi Ludouico de Leonibus nuncupato: melancholicus etenim quidam ostendens se uelle blãdiri suæ excellentiæ, applicauit fortissimas manus gutturi: & nisi ego præsen-

præsentialiter adfuissem, cum suffocasset: & ideò cum securitate omni conetur medicus melãcholicum uisitare, imò hortor, si expediet, ut faciat ipsum quandoq; ligare, demùm uerò consideret medicus, à quo humore melancholia ipsa originem trahat. an ab humore sanguineo: cuius signa apparebunt talia: rubedo faciei, & oculorum, caliditas apparens in partibus auicinatis ipsi capiti, großicies, seu amplitudo, & plenitudo uenarum, & plurimus risus, & hic plurimus risus est unum de potißimis signis attestantibus super melancholiam factam ex sanguinis aduστione. Si uerò nullum horum signorum apparuerit, uel remißè apparuerit unà cum furore, ferocitate, & maniaca cõfidentia, tunc statues melancholiam esse per aductionem ipsius choleræ. Si uerò his non apparentibus, sed potius dominium frigiditatis in toto corpore percipietur, unà cum apparente timore, & tristitia, & ploratu ipsius patientis, statim dijudicabitur melancholiã esse ab aduστione naturalis melancholiæ. ob quam rem, si melancholia fuerit à sanguine aduσto, curabis ægrum ab initio his sequentibus ingenijs.

Primo phlebotomabis ipsum ex uena nigra, cùm credendum sit, in eo abundantiam sanguinis esse, & hoc præcedente uentris lenitione, quæ fiat cum sequenti clyστere.

Recip. Epithymi, thymi, florum sticados Arabici, uiolariæ, mercurialis, fõliorum maluæ ana. M.i. furfuris großi ligati in petia. M.i.s. bulliant in sufficienti quantitate aquæ ad consumptionem medietatis: posteà accipe de dicta colatura unc.x. caßiæ nouiter tractæ unc.i.s. olei uiolati unc.iij. de sacharo, sale, ouo quantum expedit, accipiat & inijciatur clyστere. Et aduerte, ut obserues præceptum principis, & aliorum doctorum antiquorum, ut in exitu sanguinis, si sanguis

apparebit

apparebit clarus,limpidus, & ſubtilis, ſectam uenam obſeres,quoniam tunc phlebotomia bonum rapiet, & malum derelinquet. Si uero huiuſmodi ſanguis craſſus, turbulentus,ac niger apparuerit,tunc phlebotomiam cõplebis pondere quinque,uel ſex unciarum ſanguinis,habita quippe conſideratione ad ætatem,& ad uirtutem. Facta hac phlebotomia, conſulo ut conuertas te ad digeſtionem materiæ peccãtis: & ſic dabis digeſtiuum, in quo dicatur eſſe uirtus calefaciendi, & humectandi,magis autem humectandi,quàm calefaciendi, ex eò quia humor peccans in melancholia, aduſtione ipſa factus eſt frigidus,& ſiccus, tam etſi ex humoribus calidis plerunque fiat,& propter hoc,quòd tenet ueſtigium caloris primæ mineræ,licet frigidus ſit,plerunq; reddit animal ridiculoſum, ferox,& maniacũ: licet humor ipſe frigidus ſit. Cùm igitur humidum caloris acuitatem, uel ipſius caloris ueſtigium obtundat, ideò applicanda præſidia ipſi melancholico plus humida ſint,quàm calida. Dabis igitur illi ſyrupum hunc.

Recip. Syrupi de pomis ſimplicis un.i. ſyrupi uiolati unc. s. aquarum buglоſſæ,uiolarum, borraginis ana unc.i.miſce. Recordare,quòd in omni adminiſtratione ſyruporum in ipſa melancholia non eſt malum apponere ſyrupum uiolatũ, cùm ut plurimùm melancholici patiantur inſtantiam uigiliarum, & tua intentio debet eſſe in prouocatione ſomni: et hoc maximè completur cum ſyrupo uiolato. Tranſactis uerò duobus diebus à prima phlebotomia, phlebotomabis cephalicam cubiti dextri,extrahendo ſanguinem pondere trium, uel quatuor unciarum, ſed ſemper digeſtiuum continuabis per ſex dies continuos, & ſeptimo die apparentibus ſignis concoctionis,dabis patienti infraſcriptum purgatorium.

Recip. Diaſenæ lenitiui drach. vi. ſpecierum hieræ ſimpli

cis

cis Galeni drach.ij. confectionis Hamech drach.ij.s.dissoluã-tur cum decoctione communi florum, & fructuum quantum sufficit: & cum qua bulliant folliculorum senæ, epithymi, polypodij quercini ana drach.ij. & fiat potus, qui exhibeatur patienti duabus horis ante lucem. Sequenti uerò die capiat patiens in diluculo sequentem bolum.

Recip. Diabuglossati, sacchari uiolati ana drach.ij. misce. Vesperi uerò eodem die ante cœnam fiant lotiones ad extremitates ipsius patientis cum infrascripta decoctione calida, satis adaucto gradu caloris, continuè deorsum, & fortiter trahendo.

Recip. Rosarum rubearum, florum uiolarum, florum sticados Arabici, maioranæ, florum camomillæ, anethi ana. M. i.s. bulliant in aqua fluminis currentis usque ad consumptionem tertiæ partis. & usui reseruetur: & sic continuabis cum his diuersiuis lotionibus per tres dies sequentes. Si uerò eisdem diebus patiens somno priuaretur, uesperi post assumptam cœnam solicitabis ipsi patiẽti lotiones somniferas, quas diximus in capite de phrenesi, non relinquendo, si expedirẽt, alia ingenia, quæ ibi retulimus ad somnum inducendum. His quatuor, uel quinq; expletis diebus, perseuerãte morbo, phlebotomabis uenas hæmorrhoidales, iuxta præceptum Hippocratis, NEPHRITICIS ET MELANCHOLICIS HAEMORRHOIDES INNATAE, BONVM. Et ipsis incisis cũ phlebotomo, uel cum sanguisugis, extrahes de sanguine pondere trium unciarum. Facta hac hæmorrhoidarum apertione, laudo, ut iteratò materia purgetur, quia omni septimana conueniens est ad minus semel purgare corpus melancholici. A quacunq; melancholia prouenerit morbus, exhibeatur ei sequens medicina.

Recip.

Recip. Hieræ ſimplicis Galeni unc.i. cõfectionis hamech drach.i.s.miſce,& diſſoluantur cum aqua decoctionis epithymi,fölliculorum ſenæ,& polypodij quercini. Facta hac purgatione,ſi morbus perſeueret, & cum ſignis dominij ſanguinis, quorum potißimum eſt riſus, indubitatò uenam rectam frontis ſecabis, extrahesq; ſanguinem pondere trium unciarũ, & ſic facta phlebotomia hac, ſi melancholia adhuc perſeueret, ipſi capiti applicabis fomenta, pullos columborum, catulos,ijs ingenijs, quibus uſi fuimus in capite de phreneſi: & ſic curabis,Deo iuuante, melancholiam à ſanguine. Si uerò fuerit melancholia cum maniaca confidentia, & feroci furore,eam curabis his ſequentibus ingenijs.

Primò (præcedente clyſteri lenitiuo ad remißionem ſeruoris, & ebullitionis choleræ) facies phlebotomiam ex nigra, uel uena hepatica: quippe non tantum de ſanguine extrahes, quantum ſi melancholia eſſet à ſanguine, ſed ſolùm tantum, quantum expediet pro remißione ebullitionis choleræ,& ſanguinis. quieſcat autem æger ſequẽti die,in qua medicus ſolicitus ſit tenere ipſum ligatum,ne ſibi, & ipſi ægrotanti aliquid mali contingat. Tertia uerò die poſt phlebotomiam,purgetur patiens ſequenti purgatorio.

Recip.Diacatholiconis drach.vi.electuarij roſati Meſuæ drach.ij.reubarbari optimi electi drach.ij.s. ſpicæ gran. xij. incidatur reubarbarum cum ſpica, & deinde ſubtiliter puluerizetur, & cum modico uini albi odoriferi irroretur, & diſſoluantur omnia cum ſequenti decoctione.

Recip. Quatuor florum cordialium ana. M.s. corticum myrobalanorum citrinorum unc.s.epithymi,thymi, fölliculo cum ſenæ, polypodij quercini ana drach.ij. bulliant in ſufficienti quãtitate aquæ uſq; ad cõſumptionem medietatis: de-

inde

inde colentur, & colatura usui reseruetur. Facta hac euacuatione, si morbus perseuerabit, tunc eis præcise ingenijs poteris uti, quibus usus es in curatione melancholiæ sanguineæ, conuenient quippe & phlebotomiæ factæ ratione infrigidationis, qua remittitur cholerica ebullitio. Si uerò melancholia fuerit ex adustione melancholiæ naturalis, eam curabis sequentibus ingenijs.

Primò de hoc melancholico non timebis cùm ipse de unaquaq; modica re timorem sibi acquirat. Si uerò cognoueris hominem ipsum esse plenum sanguine, ipsum phlebotomabis, & non aliter: quoniam curatio melancholiæ à melancholia est multi, & boni sanguinis generatio: sed si expediet ipsum phlebotomare, phlebotomabis ipsum ex uena basilica lateris sinistri, cùm in tali morbo multùm consentiat splen, & eandem cautelam seruabis in sanguinis missione, quam iam diximus, uidelicet: SI SANGVIS exierit clarus, & subtilis, siste sanguinis missionem: si uerò turbidus, & crassus, sequere cum extractione sanguinis quatuor unciarum ad plus, ne magis corpus infrigidetur & exiccetur, & hoc intelligatur semper præcedente clystere leniente: demùm uerò materiam digerere debes, continuando infrascriptum syrupum per septem dies.

Recip. Syrupi de pomis compositi, de fumoterræ maioris, uiolati, de epithymo ana unc. s. aquarũ melissæ, buglossæ, borraginis ana unc. i. misce. Et aduerte, quòd captis quatuor de his syrupis, nõ errabis, si patiẽti cum sanguisugis aperias hæmorrhoides cum extractione illius sanguinis melancholici, et fæcalis pondere quatuor unciarum. Septimo uerò die, apparentibus signis concoctionis, pro sequenti die dabis ei medicinam infrascriptam.

Recip. Quatuor florum cordialium ana M.s. myrobalanorum Indorum, chebulorum ana drach.ij. epithymi, thymi, folliculorum senæ, polypodij quercini ana drach.i. bulliant in sufficienti quantitate lactis caprini usq; ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & in colatura dissolue diasenæ lenitiui drach.vi. confectionis Hamec drach.ij. epithymi subtiliter pulueriza ti, pulueris hieræ simplicis Galeni ana drach.i.s. & fiat potus. Sequentibus uerò diebus laudo, ut omni septimana patiens capiat unciam mediam infrascriptæ medicinæ in diluculo, dissolutæ cum aqua lactis caprini: quæ medicina nominatur Triphera de epithymo.

Recip. Tripheræ magnæ unc.i. specierũ Hieræ simplicis Galeni unc.i.s. epithymi unc.s. pulueriz entur pulueriz anda, & cum modico sacchari fiat mistura. ultra enim quòd hæc medicina euacuabit humorem peccantem, prouocabit somnũ, de quo medicus in melancholia debet esse maximè solicitus.

Ad idem, recordetur medicus confortare fontem, & radicem uitæ cum epithemate cordiali infrascripto manè, & uesperi ante cibum.

Recip. Aquæ melissæ, buglossæ, borraginis, rosatæ ana lib.s. quatuor florum cordialiũ ana dnach.i. ligni aloës, been albi, & rubei, ossis de corde cerui ana scrup.ij. croci scrup.i. aceti optimi unc.iij. uini albi odoriferi unc.iiij. pulueriz entur pulueriz anda, & misce pro epithemate cordis.

Ad idem, debet medicus solicitare, ipsi patiẽti dare bolum infrascriptæ misturæ per tres horas ante cibum mane, & uesperi.

Recip. Diamusci dulcis, diamusci amari ana drach.ij. diabuglossati, diaborraginati, sacchari uiolati ana unc. i. misce cum syropo de pomis: & fiat electuarium.

Ad idem,

Ad idem, & est expertum, si patienti melancholiam à melancholia ipsa, quolibet mane in diluculo dabis tria oua sorbilia plurimùm conferũt: tótque diebus continuabis hæc oua, quoad ipse assumet in potu centum, & unum ouum, cum sequenti puluere parumper superasperso ipsi ouo.

Recip. Epithymi, thymi ana drach.ij. sacchari albissimi unc.i. croci gran.iij. cinnamomi electi drach.i. puluerizentur omnia subtilissimè, & fiat puluis.

Ad idem. Valet & ad expellendam melancholiam lætitia, & gaudium: stare in cantilenis, in ludis, & sonis: & habitare cum personis sibi domesticis, & familiaribus, & præcipuè cum puellis iucundis. Et hæc de melancholia.

AD DOLOREM, ET TINNITVM, ET surditatem aurium. CAP. VII.

Primò euacuetur materia cum infrascriptis pilulis, alijs uniuersalibus præcedentibus.

Recip. Pilularum sine quibus, aurearum Nicolai, agarici trochiscati ana scrup.i. misce cum syrupo de sticados: & fiant pilulæ quinq;. Post, auribus intus, & extra apponas sequens emplastrum maximi doloris sedatiuum.

Recip. Sepæ sub feruentibus cineribus coctæ numero.i. butyri recentis unc.ij. olei camomillæ, olei rosati ana, unc.i. croci drach.i. misce, & in mortario conducatur emplastrum, & ipsum calidum auribus apponatur diu, noctuq;: omnem enim auris dolorem tollit, apostema soluit. & si ad suppurationem conducendum est apostema, hoc ipso emplastro conducetur.

Aliud, expertum in forti dolore, & tinnitu, & surditate aurium.

Recip. Olei de caſtoreo unc. ij. olei roſati, amygdalarum amararum ana unc. i. aquæ ardentis unc. ij. miſce, & bulliant uſq; ad cõſumptionem aquæ ardentis, deinde in ingreſſu lecti quolibet ueſperi infundantur prædicti olei calidi guttæ quatuor in foraminibus aurium, & obſtruantur foramina cum bombice odoris muſci. & hoc eſt bene expertum.

Aliud, ſurditati mirabiliter cõferens, & dolori, & ſibilo aurium.

Rec. Cyclaminis, id eſt panis porcini, lib. s. ſcilicet de radice, & optimè à cortice mũdetur, deinde fortiter, & minutiſſimè trituretur: cui adde olei camomellini, olei roſati, amygdalarum amararum ana unc. ij. apponantur igni, & bulliant uſq; ad conſumptionem medietatis olei. deinde cum forti expreſſione coletur oleum, de quo oleo in ingreſſu lecti imponantur foraminibus aurium guttæ quatuor calidæ. Póſt uerò panem porcinum ſic trituratum accipe, & more emplaſtri toti auri impone, & liga: manè uerò aurem mundato ab huiuſmodi cyclamine, & cum modico uini albi odoriferi calidi aures abluito: & ſic per decem dies uel plus continuato: & uidebitur optimum experimentum.

Aliud ad idem, & eſt bene expertum.

Recip. Aquæ uitæ unc. iiij. radicum cyclaminis unc. s. nucleorum perſicorũ, amygdalarum amararũ ana numero iiij. infundantur hæc omnia triturata in prædicta aqua uitæ per tres dies naturales continuos, deinde fiat fortiſſima expreſſio eorum, & de prædicta aqua uitæ guttam unam tantùm ueſperi in ingreſſu lecti in foraminibus aurium ſtilla, & cum bombice claudatur: & ſic continuando alternis diebus in ſurditate, & tinnitu, uidebis pulcherrimum experimentum.

Aliud

Aliud ad idem.

Recip. *Radicum altheæ mundatarum, & subtiliſſimè inciſarum unc.iij. radicum cyclaminis ſimiliter trituratarum unc.ij. fœnugræci, ſeminum lini ana unc.s. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ, deinde colentur, & colaturæ adde, butyri recentis unc.s. olei amygdalarum amararum, olei roſati ana unc.i. miſce, & fiat emplaſtrum, quod die, & nocte calidum auribus ipſis apponatur.*

Aliud ad idem.

Recip. *Furfuris groſſi, milij ana M.s. ſalis communis M.s. florum camomillæ, ſeminum lini, ſeminum cimini ana M.i. miſce, et in tegula benè caleſiãt, deinde irrorentur cũ modico uini albi odoriferi, & manè & ueſperi fomententur aures.*

Aliud domeſticum, & mulieribus familiare, & optimè expertum.

Recip. *Olei nucum lib.i. bulliat in aliquo uaſe, & eo tunc, quo fumum emittit propter ebullitionem, tunc per embotum dictus fumus in foraminibus aurium recipiatur.*

AD DOLOREM OCVLORVM, ET Ophthalmiam. CAP. VIII.

SI OCVLORVM *dolor fuerit cum præſentia ſanguinis ad ipſos collecti, expertum remedium.*

Primò *eſt phlebotomia cephalicæ: pòſt uerò appoſitio ſanguiſugarum poſt aures, uel appoſitio uentoſarum cum ſcarificatione in parte colli, qua iungitur craneo: & hoc præcedente uentris lenitione.*

Aliud, vbi fuerit dolor in oculo vel cum ſanguinis præſentia, vel ſine, in ſedatione doloris remedium tale eſt.

Recip. Aquæ albuminum oui unc.ii. lactis mulieris unc. iii. succi camomillæ ana unc.i. madefiant petiæ lineæ, & oculo imponantur quousq; calefiant, & iteratò apponantur. Si uerò uehementissimus esset dolor, his grana duo opii iungito, & dolor sedabitur.

Aliud ad idem.

Recip. Medullæ panis optimè tritæ unc.i. medullæ pomorum dulcium bene tritorum unc.ii. lactis mulieris unc.i. olei rosati unc.s. misce omnia insimul: & fiat emplastrum, quod oculo apponatur. Si uerò uehemens dolor fuerit, ei adde croci, opii, ana gran.iii. & est benè expertum in sedatione doloris.

Aliud, quod valet in dolore, siue defluxu sanguinis ad oculum.

Recip. Mucillaginis sem. altheæ, mucillaginis sem. fœnugræci ana unc.ii. lactis mulieris unc.i. meliloti subtiliter puluerizati unc.ii. olei rosati unc.i. farinæ hordei unc.i. misce, & fiat emplastrũ: cui adde (si expedit) opii, croci ana gran.iii.

Aliud, mirabiliter conferens in dolore oculi in qualibet causa.

Recip. Sief albi drach.s. dissoluatur in lacte mulieris, & oculo imponatur.

Aliud ad idem.

Recip. Vnguenti dicti Alabastrini superius descripti unc.i. lactis mulieris unc.ii. misce, & infundantur petiæ lineæ in dicto liquore, & oculo apponantur.

Aliud remedium, vbi cum dolore simúl esset fluxus sanguinis ad oculum.

Recip. Boli armeni, sanguinis draconis, pilorum leporis combustorum ana drach.ii. puluerizentur subtiliter, & cum albu-

albuminibus ouorum dissoluantur: demùm cum patiens ibit dormitum, fiat linimentum in fronte super supercilia oculi patientis, & supra oculum apponatur, & ligetur medulla panis albi madefacta in aqua rosacea, & sic moretur per totam noctem, & est optimum experimentum. Si uerò ob nimium dolorem patiens deueniret ad diminutam uisionem, utatur semel in septimana sequentibus pilulis in ingressu lecti.

Recip. Pilularum lucis, sine quibus ana drach.s. misce cũ syrupo de sticados, & fiant pilulæ quinq;, & continuè post assumptionem harum pilularum abluat patiens oculos cum infrascripta lotione, quæ ualet in conseruando uisum, in sedando dolorem, & confortando oculum.

Recip. Aquæ berbenæ, aquæ rosatæ, aquæ fœniculi ana unc.iiij. uini albi potentis unc.iij. tutiæ præparatæ, sacchari candi ana drach.iij. aloës hepatici drach.ij. omnia insimul, puluerizatis puluerizandis, misceantur: & sic per diem naturalem in infusione permaneant, demùm colentur, & colatura oculi abluantur.

Aliud conferens & oculorum dolori, & maculis existentibus in eis.

Recip. Succi fœniculi, succi berbenæ ana unc.s. unguenti alabastrini dicti drach.ij. misce, & cum pluma, cùm patiens uadit dormitum, modicum de prædicto unguento ponatur in angulis oculorum.

DE FLVXV SANGVINIS Narium. CAP. IX.

EXPERTVM est ad fluxum sanguinis narium apertio hæmorrhoidarum per sanguisugas, consentiẽte ætate, & uirtutis robore. Si uerò patiens fluxum sanguinis nariũ fuerit puer

rit puer à septem ad quatuordecim annos expertũ est, quòd appositio sanguisugarum post aures curat.

Aliud ad idem.

Recip. Boli Armeni, terræ sigillatæ, sanguinis draconis ana drach.ij. acatiæ drach.i. puluerizentur subtiliter, & dissoluantur cum succo plantaginis, & albumine oui quantum sufficit, & fiat linimentum fronti, & gutturi.

Aliud ad idem optimè expertum.

Recip. Succi plantaginis, aquæ rosatæ, aceti optimi ana unc.iiij. albuminis oui optimè conquassati unc.ij. acatiæ cum prædictis dissolutæ unc.s. misce, & liniatur frons, & guttur cum petia madefacta in prædictis.

Aliud ad idem benè expertum.

Recip. Succi artbenitæ, succi plantaginis ana unc.ij. thuris, aloës hepatici, mirrhæ ana drach.i.s. puluerizentur puluerizanda, & misce. Infundantur posteà lichinia facta ex bombice, & imponantur naribus, ex quibus fluit sanguis.

Aliud expertum, & mirabile in hoc.

Recip. Aquæ panis porcini quantum sufficit, & ipsam patiens per nares trahat: & repentinum uidebis iuuamentum.

Ad idem mirabile.

Recip. Sanguinis humani, illius scilicet, à quo fluit sanguis per nares, unc.i. uel ij. qui sanguis super laminam ferream igni appositam uratur: deinde subtilissimè puluerizetur, & dictum puluerem naribus insufflabis: & optimum uidebis experimentum.

Aliud ad idem.

Recip. Aceti optimi, aquæ plantaginis ana lib.ij. madefiãt petiæ lineæ in huiusmodi liquore, deinde apponantur plantis pedum,

pedum, uolis manuum, & regioni hepatis, & statim tolletur fluxus sanguinis narium.

DE DOLORIBVS DENTIVM.
CAPVT X.

PRIMO expertum est, quòd si fiat euacuatio cum sequentibus pilulis in ingressu lecti captis, plurimùm conferunt.

Recip. Pilularum de hiera Nicolai, pilularum aurearum eiusdem, de agarico Mesuæ ana scrup.i. misce cũ syrupo uiolato: & fiant pilulæ quinque.

Aliud ad idem: & est expertum.

Recip. Hieræ picræ Gal. unc.s. mithridati drach.ij. aquæ uitæ unc.s. misce, & fiat linimentum, cum quo persæpe in die liniatur dens dolens, & circa illius gingiuam: hoc enim ualet maximè in causa frigida.

Aliud ad idem: quod vtique in causa calida mirabile est.

Recip. Succi semperuiuæ: succi solatri ana unc.iij. lactis uaccini lib.i. olei rosati omphacini unc.ij. misce, & petiæ madefactæ in huiusmodi liquore applicentur maxillæ dentis dolentis.

Aliud ad idem in causa calida.

Recip. Medullæ pomorum dulcium optimè tritorum unc. ij. furfuris grossi unc.iij. olei rosati omphacini unc.i. croci scrup.i. misce, & fiat emplastrum loco dolenti applicandum.

Aliud ad idem in vtraque causa.

Recip. Vini albi potentis unc.s. radicum iusquiami albi unc.i. bulliant insimul usq; ad consumptionem tertiæ partis, uel medietatis uini, & cum dicto uino calido abluatur tota

gingiua

gingiua dentis dolentis: & diu de prædicto uino in ore detineatur iuxta dentem dolentem.

Ad idem,& est expertum.

Recip. Aceti nigri fortissimi unc.iiii. sandaracæ unc.s.bulliant insimul usq; ad consumptionem tertiæ partis: & de dicto aceto calido aliqua quantitas detineatur in loco dentis dolentis.

Aliud ad idem.

Recip. Florum saluiæ, roris marini, betonicæ, sticados Arabici, maioranæ ana M.s. nigellæ, pyrethri ana. drach.ii. bulliant in sufficienti quantitate uini albi usq; ad consumptionem medietatis, & colentur, & prædictæ herbæ colatæ cõtundantur, & ueluti emplastrum maxillæ dentis dolentis applicetur, & dictum uinum calidum in ore retineatur.

Aliud ad idem, si dens dolẽs esset perforatus, impleatur foramen cum sequenti mixtura.

Recip. Theriacæ un.s. pyrethri, nigellæ ana drac.s. aquæ uitæ drach.i. misce, et impleatur foramen dentis. Nota tamẽ, quòd omnibus his expertis non iuuantibus, singulo eorũ poteris addere duo grana, uel tria opii, ubi dolor multùm infestaret cum perseuerantia, & applicare modo prædicto.

DE FOETORE ORIS, ET NASI.

CAPVT XI.

SI FVERIT fœtor oris, & nasi per consensum à cerebro, quod cognoscimus fœtore eorum, quæ per palatum & nares exeunt, compertum est ex experientia qualibet septimana uti semel sequenti medicina.

Recip. Turbith boni, & gummosi drach.ii. agarici electi drach.i. triturentur, & bulliant insiml in sufficienti quanti-

tate

tate aquæ betonicæ, deinde colentur, & cum colatura quantitatis duarum unciarum dissolue pulueris hieræ simplicis drach.iii. syrupi uiolati unc.i. & fiat potus. & exhibeatur patienti in medio noctis: & in quatuor, uel quinq; assumptionibus huius potus curabitur à fœtore oris, & nasi à capite.

Ad idem, benè expertæ sunt hæ pilulæ tribus enim vicibus suæ assumptionis curabitur fœtor oris, & nasi.

Recip. Folii, nucis muscatæ, ligni aloës, garyophyllorum ana drach.i. specierum hieræ simplicis Galeni drach.s. pastæ pilularum masticinarum Conciliatoris unc.i. misce cum melle rosato: fiat pasta pilularum, de quibus pilulis patiens capiat drachmam unam de decem diebus in decem diebus.

Ad idem, optima experta est sequens aqua, cum qua quotidie, stomacho ieiuno, & mundo naso à superfluitatibus, debet caput purgare, eam sursum trahendo.

Recip. Aquæ rosatæ lib.i.s. aquæ uiolatæ lib.i. aquæ maioranæ lib.s. nucis muscatæ, ligni aloës, cinnamomi, galangæ, zedoariæ ana drach.ii. pulueriz entur pulueriz anda subtiliter, & cum prædictis aquis misceantur, & in alambico ponantur, & destilletur aqua, quæ post distillationem aromatizetur cum octo granis musci fini: & purgato capite cum prædicta aqua, uidebis mirabilia in fœtore oris, & nasi.

Ad idem, qñ erit per consensum à stomacho, primò experta est hæc medicina multùm valere.

Recip. Hieræ simplicis Galeni unc.i. turbith boni, & gummosi subtiliter pulueriz ati drach.i.s. misce, & fiat bolus cum saccharo. Hanc medicinam capiat patiens in diluculo.

Ad idem

Ad idem facta purgatione, mirabile experimentum est hoc sequens.

Recip. Vini albi potentis, & odoriferi lib.i. nucis muscatæ, garyophyllorum, cinnamomi, macis ana drach.i. muſci optimi ſcrup.i. puluerizentur puluerizanda ſubtiliter, & infundantur in prædicto uino per duos dies naturales, deinde coletur uinum à ſpeciebus, cui uino adde aquæ roſatæ unc.ij. & patiens quolibet mane, ſtomacho ieiuno, aſſiduet tria, uel quatuor cochlearia prædicti uini.

Ad idem.

EXPERIMENTVM *optimum eſt quolibet mane ſtomacho ieiuno ferè immediatè ante prãdium uti pilula una alephángina uel ad minus alternis diebus.*

Ad idem, optima experta est sequens mistura, de qua quolibet mane, stomacho ieiuno, patiens capiat ad quantitatem castaneæ.

Recip. Diagalangæ, id eſt electuarij de galanga unc.ij. ſpecierum aromatici roſati, ſpecierum diamuſci dulcis ana. drach.i. muſci optimi gran.iiij. miſce cum ſucco pomorum dulcium: & fiat electuarium.

DE SQVINANTIA. CAP. XII.

COMPERTVM *eſt experientia phlebotomiam duarum uenarum ſub lingua eſſe iuuamentum præſtantiſſimum ſquinantiæ, præcedentibus tamen una, uel duabus phlebotomijs: ſcilicet phlebotomia uenæ nigræ, & phlebotomia cephalicæ, hoc eſt magis neceſſarium.*

Ad idem.

Optimè expertum eſt, quòd factis phlebotomijs prædictis, cucurbitulæ appoſitæ in collo ex oppoſito loco dolent

cum

cum ſcarificatione, & ſanguinis extractione, mirabiliter conferunt.

Ad idem.

Experientia optimè compertum eſt, poſt phlebotomiam dictam, prouocationem ſanguinis ex naribus cum ſetis pungentibus maximè conferre.

Ad idem. Factis phlebotomijs, expertum eſt medicinam hanc ex toto ſquinantiam curare.

Recip. Turbith boni, & gummoſi drach.i. bulliat in decem uncijs aquæ diſtillationis glycyrrhizæ uſq; ad conſumptionem medietatis. deinde coletur, & cum colatura diſſolue mannæ electæ unc.iij.uel caßiæ nouiter tractæ unc.i.s. & exhibeatur patienti qualibet hora ſtomacho ieiuno, & præcedente clyſteri lenitiuo, de die, & noctæ, meridie, & in ſero poteſt exiberi.

Ad idem, in principio benè expertus eſt ſequẽs gargariſmus.

Recip. Aquæ diſtillationis glycyrrhizæ lib.ij. ſucci plantaginis, ſucci mororum celſium, ſucci myrtillorum ana unc. ij. miſce, & bulliant ſimul una fòrti ebullitione, deinde coletur, & relinquatur, ut infrigidetur, & patiens eo utatur leui gargariſmo.

Ad idem.

In principio experientia compertum eſt, puluerem foliorum plantaginis exiccatorum, & ſubtiliter puluerizatorum, inſufflatorum cum canna in guttur multùm conferre.

Ad idem.

Vbi indigemvs reſolutione, ualet oleũ camomellinum, oleum uiolatum, oleum amygdalarum dulcium, &

pinguedo

pinguedo gallinæ in æqualibus partibus, inungendo locum doloris cum applicatione lanæ succidæ.

Ad idem, expertum est sequens emplastrum, ubi apostema suo tumore, & sua duritie difficilem reddit anhelitum, quoniam emollit, & resoluit.

Recip. Radicis altheæ minutim incisæ, & mundæ, camomillæ, florum uiolarum, foliorum maluæ, cum radicibus ana M.i. bulliant omnia insimul in sufficienti quãtitate aquæ usq; ad consumptionem aquæ, deinde adde farinæ hordei, farinæ fœnugræci, farinæ seminis lini ana P.i. pinguedinis gallinæ unc.i. olei camomillæ, olei amygdalarum dulcium ana quantum sufficit ad impinguandum emplastrum. quod pluries in die patienti applicetur.

Ad idem, in via resolutionis valet sequens gargarismus.

Recip. Aquæ destillationis altheæ lib.i. syrupi de betonica unc.iij. misce. & fiat gargarismus. Si uerò syrupus non inueniatur, prædicta aqua misceatur cum conserua betonicæ, uel sticados. Si uerò apostema squinanticum non tolleret sui resolutionem, tunc præparetur citissimè ad maturandũ, ut rũpatur, ne obstruẽdo gutttur, subitò ægrum suffocet.

Ad maturandum apostema valet emplastrum sequens, appositum patienti calidum.

Recip. Foliorum maluæ cum radicibus, radicum ireos, florum uiolarum, radicum altheæ ana. M.i. caricarum pinguiũ numero. vi. bulliant in sufficienti quãtitate aquæ usq; ad cõsumptionem duarũ partium aquæ, deinde adde farinæ frumenti. M.i. pinguedinis porci unc.i.s. butyri recentis unc.s. lactis unc.i.s. olei amygdalarum dulcium, liliorum alborum ana quantum sufficit ad impinguandum emplastrum.

Ad idem,

Ad idem, mirabile experimentum habetur in emolliendo, & maturando apoſtema ſquinanticum ex ſequenti gargariſmo.

Recip. *Mucillaginis ſeminum maluæ, mucillaginis ſeminũ caulium ana unc. ij. mucillaginis ficuum unc. iij. butyri recentis unc. i. aquæ deſtillationis glycyrrhizæ lib. iiij. miſce omnia inſimul, & ipſo igne fiat liquor, quo utatur patiens ſæpe, & gargarizando, & lambendo calido. Poſtquam uerò apoſtema ſquinanticum ad maturationem fuerit conductum, experientia compertum eſt, ſequens emplaſtrum ipſum diſrumpere, faciens quoq; ad remanentis reſolutionem.*

Recip. *Nidorum birundinum lib. i. olei amygdalarum dulcium, olei camomillæ ana quantum ſufficit ad conducendum emplaſtrum, & ipſum calidum gutturi applicetur.*

Ad idem rumpendum.

Fortis uociferatio, & fortis motus gutturis in tranſglutiendo, ſicut tranſglutire cruſtam panis, multùm conferre inuentum eſt. Si uerò huiuſmodi non ſuffecerint ad eius diſruptionem, patiens, uel chirurgicus cum digitis ſuis, uel cum cãdela cerea ſubtili gutturi immiſſa faciliter diſrumpentur. Si uerò non ſuffecerint, & chirurgicus oculo, uel tactu apoſtema percipiat, cum ferro diſrũpat. Immediatè poſt eius diſruptionem ad id experimentum ſequens per uiam paulatinè deglutionis, uel per uiam gargariſmi.

Recip. *Aquæ hordei lib. ij. mellis roſati colati unc. iij. miſce, & æger gargarizando in quãtum eſt poßibile, conducat ſaniem ad os, ne ad membra ſpiritualia deſcendat ob nocumenta magna: & ſic æger mundificando uulnus ipſum conſolidabit.*

DE SPVTO SANGVINIS A' PVLmone. CAP. XIII.

AD SPVTVM *sanguinis à pulmone compertum est experientia phlebotomiam ex basilica, qualibet hora factam, iuuamentum præstare: & hoc experimentum maiorem habet efficaciam, si altero die à phlebotomia basilicæ, applicentur tres sanguisugæ hæmorrhoidibus.*

Ad idem, compertum est, quòd facta phlebotomia, sequens medicina optimum conducit iuuamentum.

Recip. *Reubarbari electi drach.ij. torrefiat parum, & subtiliter puluerizetur, & dissoluatur cum decoctione seminum acetosæ, seminum portulacæ, & seminum endiuiæ, et patienti exhibeatur in diluculo.*

Ad idem

Compertum est experientia, si sputum sanguinis, sicut frequenter, & ut in pluribus ex catarro salso, & acuto contingere solet, tunicas uenarum pulmonis frangeret, cauterium actuale factum in commissura coronali ultimum præstare iuuamentum.

Ad idem, optimè expertum est sequẽs antidotũ.

Recip. *Succi portulacæ, succi plantaginis ana unc.i. coraliorum rubeorum drach.i. lapidis hæmatitis drach.s. puluerizentur puluerizanda, & totum hoc exhibeatur patienti qualibet hora, qua sputo sanguinis infestabitur patiens.*

Ad idem, expertum sequens remedium.

Recip. *Gũmi Arabici, tragacanthæ, cornu cerui usti, lapidis hæmatitis usti, coraliorum rubeorum ustorũ ana drac. s. boli Armeni scrup.ij. puluerizentur subtiliter, & cũ duo-*

bus

bus albuminibus oui crudis miſceantur, et patienti totum exhibeatur qualibet hora ſputi ſanguinis.

Ad idem, experimento hoc ſequens remedium optimum eſt.

Recip. *Succi portulacæ, uel plantaginis, ubi non poſſemus habere ſuccũ portulacæ unc.iiij. trochiſcorum de Karabæ drach.ii. puluerizentur trochiſci ſubtiliter, & totum exhibeatur patienti, & ſtatim conſolidabitur uena.*

Ad idem, compertum eſt experiẽtia ſequens electuarium multùm conferre.

Recip. *Loch de portulaca unc.ii. tragacanthæ frigidæ unc.i. boli Armeni, terræ ſigillatæ, ſanguinis draconis ana drach.i. hypochiſtidos, acatiæ, coraliorum rubeorum ana drach.s. puluerizentur puluerizanda ſubtiliter, & cum ſucco plantaginis conficiatur electuarium, de quo patiens qualibet hora portiunculam teneat in ore lambendo.*

Ad idem, expertum eſt, & ſecretum remedium ſequens.

Recip. *Reubarbari electi drach.ii. ſeminum portulacæ, coriandrorum præparatorum ana drach.i. torrefiant bona torrefactione, deinde puluerizentur ſubtiliter & illius pulueris drachmam unam ſumito, & eum ſucco portulacæ quã tum ſufficit patienti exhibeto hora ſputi ſanguinis.*

Ad idem, mirabile eſt, & ſecretum, ſequens medicamentum.

Recip. *Succi milleſolii unc.ii. lapidis hæmatitis uſti drach.ii. puluerizetur lapis ſubtiliter, & totum patienti exhibeatur frigidum, ſicut expertum eſt, omnia, quæ in fractura uenæ pulmonis exhibentur, actu frigida eſſe debere.*

Ad idem, mirabile experimentum eſt ſequens.

Recip. Stercoris muris ſcrup.ij. aniſorum drach.s. pulue-rizentur ſubtiliter, & cum aqua plantaginis quantum ſuffi-cit totum detur patienti: & uidebis mirabilem effectum in conſolidatione uenæ ruptæ.

Ad idem, ſecretum, & infallibile experimentum ſequens datum qualibet hora patienti, & in quocũ que tempore ægritudinis.

Recip. Teſtam oui crudi, abiecta quæ intrinſecus membra na eſt, exiccetuŕq; tali exiccatione, ut poßit ſubtiliter pulue-rizari, de quo puluere ſume drach.ij. aquæ plantaginis unc. iij. miſce, & da patienti qualibet hora ſputi ſanguinis: et ſu-bitam uidebis conſolidationem. Si uerò uis hoc remedium & citius, & efficacius operari, ut confidentiam habeas, quòd de cætero non frangetur uena, per quinq; dies continuos in di-luculo dabis drachmas duas prædicti pulueris diſſoluti in ſe-quenti ſyrupo.

Recip. Syrupi roſati de roſis ſiccis, de portulaca, myrti-ni ana unc.s. miſce.

Ad idem, expertum eſt ſequens medicamẽtum.

Recip. Scoriæ ferri præparatæ unc.i. cornu cerui uſti unc.s. bulliant in decem uncijs aquæ plantaginis uſq; ad con-ſumptionem medietatis, deinde coletur, & colaturæ adde ſuc ci portulacæ unc.i. & patienti totum hoc in duabus uicibus exhibeto.

Ad idem.

Securißimum, & expertum eſt remedium tam in cura-tione ſputi ſanguinis, quàm in præſeruatione ab eo, quolibet mane ſtomacho ieiuno maſticare ſcrupulum unum reubar-bari torrefacti.

Ad idem, optimum videbis iuuamentum, ſi in-

frascripto vnguento inunges costas, & præcipuè vbi percipitur punctura ex ruptura venæ.

Recip. Trochiscorum de Karabæ drach.ij. olei citoniorum, olei rosati omphacini ana unc.s. misce, & cum puluere ducantur, quousq; fiat in formam unguenti.

Ad idem expertum est portare infrascriptum cerotum super costis, mirabile enim affert iuuamentum.

Recip. Seminis portulacæ, seminis acetosæ, seminis plantaginis ana drac.ij. coraliorũ rubeorũ, seminum rosarum rubearum ana drach.i. hypocistidos, acatiæ, granorum myrti, balaustiorum ana drach.ij.s. gummi Arabici, tragacanthæ ana unc.s. masticis drach.ij. omnia unica torrefactione torrefiant, deinde subtiliter puluerizentur, & puluerizata incorporentur cum succo plantaginis, uel portulacæ: demùm cum oleo rosato omphacino, cæra, & pice quantum sufficit, fiat magdaleon, de quo tantam sumas quantitatem, quantam expedit ad ipsum extendendum super corium ad magnitudinem costarum.

Ad idem, expertum est quòd vinum ex toto derelinquere, est vtile, & potare infrascriptam aquã.

Recip. Amidi, coraliorum rubeorum, gummi Arabici, tragacanthæ ana drach.i. bulliant omnia in lib.x. aquæ calibeatæ usq; ad consumptionem tertiæ partis, deinde coletur, & colatura usui potus reseruetur.

Ad idem.

Expertum est, quòd si patiens quolibet die in sero, cùm uoluerit dormire, sorbeat scutellam unam ptisanæ hordeaceæ, ex ea uidebis mirabilem effectum in præseruatione, & curatione ruptæ uenæ.

DE VLCERIBVS PVLMONIS, ET Sputo ſaniei. CAP. XIIII.

EXPERIENTIA *compertum eſt, aßidua ſucci hordei potatione ſanari phthiſin, ad quam curandam eo uictu ſic debes uti.*

Recip. Succi hordei unc. iiij. amidi unc. ij. miſce, & diſſoluantur cum iure pulli quantum ſufficit: et patienti exhibeatur manè in diluculo, aut ſero in ingreſſu lecti: & optimum iuuamentum tibi ſuccedet.

Ad idem, compertum eſt experientia, ſequẽtem potionem phthiſicis multùm conferre.

Recip. Pullam unam euiſceratam, & bene mundam, amidi, tragacanthæ, gummi Arabici ana drach. ij. hordei mundi, & excorticati lib. s. infundantur hæc omnia, præter pullam, in aqua ungulæ caballinæ per noctem, deinde colentur, & prædicta ponantur in uentre pullæ: ſinas deinde, ut bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſq; ad conſumptionem carnis pullæ, demùm facta fòrti expreßione ipſius pullæ ius pullæ, reſeruetur: de quo accipe libram mediam, ſyrupi de glycyrrhiza unc. i. s. miſce, & exhibeatur talis potus patienti phthiſim per decem dies continuos quolibet mane in diluculo, & uidebis curationem completam in præſeruatione à phthiſi, et in curatione præſentis phthiſis.

Ad idem, optimè confert condimentum ſequẽs, imò à ſui natura curat phthiſim.

Recip. Carnis teſtudinis nemoralis lib. ij. coquantur in aqua ungulæ caballinæ, demùm optimè contundantur & diſſoluantur cum iure pulli: cui adde lactis amygdalarum dulcium, emulſionis ſeminum melonis, emulſionis phiſticorum

ana

ana unc.ij. farinæ amidi unc.s. omnia apud ignem conducantur, quousq; perfectè cocta erunt: demùm patienti phthisim loco ferculi & in prandio, & in cœna exhibeatur.

Ad idem, valet condimentum sequens.

Recip. *Caudarum cancrorum fluuialium lib.i. lactis uaccini, uel ouini lib.iiij. bulliant insimul omnia usq; ad consumptionem medietatis lactis: demùm caudæ optimè contundantur, & cum optimo lacte dissoluantur: cui adde farinæ hordei, farinæ amidi ana P.i. lactis amygdalarum dulcium unc. iiij. uitelli oui recẽtis numero.i. sacchari albissimi unc.iiij. misce, & apud ignem conducantur usq; ad ueram coctionem, & patiens phthisim manè, & uesperi comedat quantum conuenit appetitui suo: & est mirabile.*

Ad idem, expertum est solo sequenti condimento phthisicos sanari.

Recip. *Limaciarum nemoralium mundatarum optimè à suis mucillaginibus lib.i. herbæ ungulæ caballinæ benè tritu-ratæ unc.ij. lactis uaccini, à quo non sit extractum butyrum lib.ij. bulliant insimul usq; ad perfectam decoctionem limaciarum, & totum condimentum hoc cum saccharo mixtum detur patienti phthisim loco cibariorum suorum.* Et *hoc de cibarijs.*

Ad idem, expertum est, quod si patiẽs phthisim omni septimana vtatur sequenti medicina, erit ipsi vtile.

Recip. *Iuiubarum, sebesten ana numero.x. glycyrrhizæ mundæ, passularum enucleatarum ana unc.s. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ ungulæ caballinæ usq; ad consumptionem medietatis: deinde colentur, & cum colatura dissolue mannæ electæ unc.iij. uel floris cassiæ unc.i. & fiat*

potus,& patienti detur,ut dixi, uel ad minus in duabus ſeptimanis ſemel.

Ad idem,optimum eſt,& expertum ſequens potio, qua patiens debet vti quolibet mane per tres horas ante cibum.

Recip. *Aquæ deſtillationis radicum petroſelini, aquæ deſtillationis radicum fœniculi,aquæ deſtillationis radicum enulæ, aquæ deſtillationis radicum altheæ ana lib.i.gummi Arabici, tragacanthæ ana drach.iij. amidi unc.s. glycyrrhizæ mundæ unc.i.miſce, & bulliant inſimul uſq; ad conſumptionem tertiæ partis: demum coletur, & colaturæ adde tantum ſacchari,quantum fiat iuleb longum, de quo patiens uncias quatuor quolibet die prædicta hora capiat.*

Ad idem, ſecretum eſt, & benè expertum apud me hoc medicamentũ ſequens: & eſt puluis vnus, quo patiens phthiſim debet vti ſecundum modum infrà dicendum.

Recip. *Seminis papaueris albi drach.vi.ſeminum endiuiæ, ſeminum acetoſæ ana drach.i.s. ſeminum citoniorum mundatorum drach.ij.ſeminum melonum, cucurbitæ, citruli, cucumeris ana unc.i.s. gummi Arabici, tragacanthæ, amidi ana drach.i. ſucci glycyrrhizæ drach.ij. pulmonis uulpis drach. i.s.penidiarum ad pondus omnium, miſce, & torrefiant leui torrefactione omnia,deinde ſubtiliter pulueriz entur.*

Recip. *Prædicti pulueris drac. ij. ſyrupi de iuiubis unc.i. s. aquæ deſtillationis limaciarum unc.iij. miſce, & tepidum exhibeatur in diluculo.*

Item.

Recip. *Prædicti pulueris drach.ij. ſyrupi de papauere, ſyrupi de iuiubis ana unc.i. aquæ ungulæ caballinæ unc.iij.miſce,*

sce, & tepidum patienti phthisim exhibeatur in serò cùm ibit dormitum.

Ad idem, cum prædicto experimento simul sequens electuarium complet curationem phthisis: quod electuarium non solùm curat phthisim, imò quàm maximè corpus humanum restaurat.

Recip. Carnis pulparum fasiani, carnis pulparum caponis, carnis pulparum perdicis ana lib.s. carnis testudinis nemoralis lib.i. bulliant in sufficienti quantitate aquæ uiolatæ usq; ad completam decoctionem, deinde optimè contundantur, & dissoluantur cum aqua ungulæ caballinæ, deinde.

Recip. Amygdalarum dulciuum mundatarum, pinearum, phisticorum, seminum melonum mundatorum, citruli, cucurbitæ ana unc.iiij. fiant omnium istorum emulsiones, quæ cum prædicta aqua dissoluantur, & carnibus commisceantur, deinde.

Recip. Amidi, tragacanthæ, gummi Arabici ana drach.ij. penidiarum unc.ij. sacchari optimi quantum sufficit, & fiat electuarium, cui adde pulmonis uulpis unc.s. cinnamomi electi drach.ij. incorporentur, & fiat electuarium, de quo electuario patiens quater in die naturali capiat unc.i. pro uice, scilicet per tres horas ante prandium, in meridie, immediatè ante cœnam, & in medio noctis.

Ad idem. Inter omnia phthisicis medicamenta expertum est phthisim sanare potatum asininũ lac, quod patiens sumat in mane, & in diluculo parumper super dormiendo, & vesperi in ingressu lecti, vt sequitur.

Recip. Lactis asinini recenter mulcti unc. vi. sacchari albissimi unc.s. misce, & sumat patiens modo dicto: quem po-

tum continuet in uere per menſem, in autumno uerò per uiginti dies.

Ad idem, expertum eſt, vbi cum phthiſi non ſit iunctnm ſputum ſanguinis, cui tamen iungatur catarrus ſalſus, remedium ſequens.

Recip. Succi glycyrrhizæ drach.ii. aloës loti drach.i. paſtæ pilularum de cinogloſſa drach.s. optimè ſimul omnia contundantur, & cum ſyrupo uiolato fiat paſta pilularum, de qua patiens alternis diebus in ingreſſu lecti unam capiat ad quantitatem ſcrupuli unius: hæc enim mundificat ulcus à putredine, ſiſtit catarrum ſalſum fluentem à capite, & pectus à ſuperfluitatibus mundat.

DE ASMATE. CAP. XV.

IN PRINCIPIO *aſmatis experientia compertum eſt ſequentem medicinam excuſare medicum ab ulteriori operatione, quoniam ipſa ſanat ægrum.*

Recip. Glycyrrhizæ mundæ, paſſularum enucleatarum ana unc.s. iuiubarum, ſebeſten ana numero.x. radicum enulæ mundæ unc.s. radicum ungulæ caballinæ drach.ii. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſq; ad conſumptionē medietatis: deinde colentur, & cū colatura diſſoluæ mannæ electæ unc. iii. uel floris caſſiæ unc.i.s. & patienti exhibeto.

Ad idem, expertum eſt ſyrupum ſequentem nō ſolùm in digeſtione materiæ aſmatis. ſed etiam in euacuatione conuenienti ipſius, ob facilitatem ſputi, multùm conferre.

Recip. Radicum enulæ, radicum hyſſopi, radicum fœniculi ana unc.i. iuiubarum ſebeſten ana numero.x. carnium prunorum damaſcenorum numero.x. glycyrrhizæ, paſſularum enucleata-

enucleatarum ana unc.s.capillorum ueneris,ungulæ caballinæ ana drach.vi. aniſorum P.i. ſeminum cartami P.s. bulliant omnia in ſufficienti quantitate aquæ uſq; ad conſumptionem medietatis: deinde colentur, & colaturæ adde amidi, penidiarũ ana unc.i.pulmonis uulpis groſſo modo triti unc.i. s.miſce & iterum bulliant unica leui ebullitione, deinde colentur,& cum ſaccharo,uel melle quantum ſufficit reformetur ſyrupus, de quo ſyrupo bis in die in diluculo ſcilicet, & in meridie capiat infraſcriptam menſuram per octo continuos dies.

Recip.Prædicti ſyrupi unc.ii.aquarum hyſſopi,capillorũ ueneris, ungulæ caballinæ ana unc.i.miſce die uerò nona per duas horas ante lucem capiat infraſcriptas pilulas.

Recip. Agarici trochiſcati, pilularum cochiarum Almanſ. ana drach.s.miſce cum ſucco de glycyrrhiza, & fiant pilulæ numero v.

Ad idem,facta euacuatione præcedente, comperi ſequentem potionem, manè ſumptam, ſanare aſma, dũ ex eadem in veſperi fiat dicendũ clyſtere.

Recip.Gallum antiquum ad minus annorum trium, deinde ipſum per tempus flagellato, ipſum multum defatigando, non autem interficiendo, poſteà ipſum decollato, & immadefactum deplumato, demùm à uiſceribus benè ipſum mundato, & cum uino albo potenti abluito, ipſum modeſtè ſalito, deinde.

Recip. Seminum cartami, ſeminum aniſorum, ſeminum anethi ana drach.ii. radicum enulæ, radicum hyſſopi, radicum praſii ana unc.s.glycyrrhizæ mundæ, paſſularum enucleatarum ana drach.vi. tartari albi unc.s. pulmonis uulpis triturati drach.ii.omnia hæc groſſo modo contundantur, &

in uen-

in uentre galli ſuantur, demùm gallum ipſum in quinquaginta libris aquæ apponito, & ipſum coquito uſq; quo caro ab oßibus ſeparetur, deinde forti facta galli expreßione, gallus proijciatur: demùm decoctionem colato, & aëri eam exponito, ut pars clara reſidentia ſua ſeparetur, demùm partem hanc claram ipſius decoctionis in alio uaſe reſeruato: & ſic deinceps utere eo.

Recip. Prædicti iuris clari unc. vi. oxymellis ſimplicis unc. i. s. miſce, & (ut dixi) patiẽti dato tepidè: ueſperi uerò per horam ante cœnam ſequens clyſtere imponito.

Recip. Iuris galli turbidi lib. i. uitelli oui numero. i. hieræ ſimplicis Galeni drach. v i. olei communis unc. iij. ſacchari rubei unc. i. s. ſalis communis drach. ij. miſce, & injiciatur clyſtere: & ſic continuabis per octo dies continuos: & optimum effectum in curatione aſmatis inuenies.

Ad idem, expertum eſt, & in paroxyſmo aſmatis, & in præſeruatione ab eo quolibet mane per tres horas ante prandium capere vnciam mediam infraſcriptæ mixturæ.

Recip. Terebentinæ optimæ lotæ cum aqua ungulæ caballinæ lib. i. caricarum pinguium lib. s. penidiarum unc. iiij. olei amygdalarum dulcium recentis unc. i. miſce inſimul omnia, & optimè conducantur in mortario quouſq; fiat forma electuarij, quod patiens ſumat modo dicto.

Ad idem.

Optimè expertum eſt uti al ternis diebus ſolùm terebentinæ uncia media.

Ad idem, expertum eſt hoc ſecretum, vti ter in die ſequenti potione.

Recip. Succi enulæ, ſucci hyſſopi ana unc. ij. aquæ ungulæ caballi-

læ caballinæ lib.i. bulliant insimul una forti, & longa ebullitione, demùm cum saccharo quãtum sufficit fiat syrupus: de quo sine aquis capiat unc.ij. manè, in meridie uerò uncias duas, & duas uncias in ingressu lecti.

Ad idem, expertum est hoc remedium adhuc stante paroxysmo asmatis, & est secretum, cum quo multos releuaui à paroxysmo.

Recip. *Sulphuris uiui lib.s. puluerizetur subtiliter, & infundatur in aqua ungulæ caballinæ quantum sufficit per diem naturalem, deinde benè abluatur cum prædicta aqua: demùm cum saccharo optimo quantum sufficit fiat electuarium: de quo capiat & manè, & uesperi, stomacho ieiuno, unciam mediam, & in paroxysmo, & extra paroxysmum, quoniam non solùm curat, sed præseruat etiam à paroxysmo. Si autem superueniet tibi timor de forti exiccatione ipsius pulmonis. qua anhelitus intercipitur propter difficultatem, laudo, ut in ingressu lecti, & in diluculo eisdem diebus patiens capiat infrascriptum potum, nec ob hoc derelinquatur electuarium.*

Recip. *Aquæ hordei unc.iij. syrupi uiolati unc.ij. misce.*

Ad idem, præcipuè tempore paroxysmi, sequés experimentum est mirabile, & probatum.

Recip. *Oxymellis simplicis unc.ij. gummi Armoniaci guttæ quatuor. misce, & totum patienti exhibeatur.*

Ad idem, experientia compertum est optimè conferre, & de repente asma curare, si omni hora patienti exhibeatur tale medicamentum.

Recip. *Oxymellis simplicis unc.s. pulmonis uulpis subtiliter puluerizati drach.s. misce pro una uice, & patienti exhibeatur.*

Ad idem

Ad idem, expertum est asmati mirabiliter conferre, si patienti ter in die naturali exhibeatur vncia media sequentis mixturæ, scilicet per tres horas ante prandium, per duas horas ante cœnam, & in medio noctis: cõtinuando per tres, vel quatuor dies, & non plures, videbitis ægrum sanari.

Recip. *Mannæ granatæ electæ unc.ii. floris cassiæ nouiter tractæ unc.s. penidiarum unc.iii. olei amygdalarum dulcium recentis unc.i. pulmonis uulpis subtiliter pulucrizati drach.ii. misce, & fiat electuarium cum syrupo de hyssopo.*

Ad idem, expertum, & pro pauperibus secretum.

Recip. *Radicum altheæ in umbra exiccatæ lib.i. mellis cocti, & despumati lib.iiii. misce, & apud ignem conducatur quousq; fiat forma electuarii, de quo patiens capiat frequenter: & benè ualebit.*

Ad idem, valet pro pauperibus sequens condimentum.

Recip. *Aquæ fontis claræ lib.ii. porrorum subtiliter incisorum unc.iii. butyri recentis unc.ii. sacchari optimi unc.i. s. uitelli oui numero.i. omnia simul bene agitentur: & in uase propè ignem conducantur, & totum patienti exhibeatur & in prandio, & in cœna.*

Ad idem, & est secretum, & mirabile, & sine dubio curat Asma à quacunque causa, & est electuarium apud me magistrale: & appellatur.

Diabutyrum Benedicti: *de quo patiens debet assumere ter unciam mediam, scilicet in diluculo, in meridie, & in ingressu lecti.*

Recip. *Butyri recentis in perlucida aqua fontis decies eloti unc.iiij. caricarum, nucleorum pini, dactylorum, amygdalarum*

larum amararum ana unc.ij. ſucci glycyrrhizæ, tragacanthæ ana unc.s. hyſſopi, ireos, thymi, ſatureiæ, prasij, pulegij, ſeminum urticæ ana unc.s. cinnamomi, zinziberis, pyrethri ana drach.iij. garyophyllorum, galangæ, piperis nigri, aniſi, carni, cardamomi ana drach.ij. ligni aloës, nucis muſcatæ ana drach.i. aquæ mellis lib.iiij. ſic conficito, caricas paſſulas, & dactylos benè tritos in aqua mellis triduò infunde, poſteà lento igne coque, & uiolenter ſuccum exprime, cui ſucco adde butyrum, & inſuper adde mellis ſpumati lib. v ij. & iterum lento igne ebullito unica fòrti ebullitione, demùm iterum cola, & colaturæ adde grana pini, & amygdalas, benè omnia contuſa, & omnia in mortario nulla intermiſsione benè ducito, alia uerò omnia ſubtiliter puluerizata, prædictis immittito, cui adde, pulmonis uulpis ſubtiliter puluerizati unc.ij. & diutius permiſcendo apud ignem electuarium conducito, & uſui dato.

Ad idem, valet ſequens vnguentum quo totũ pectus manè, & veſperi ante cibũ calido debet inũgi.

Recip. Succi hyſſopi, ſucci altheæ, butyri recentis, olei amygdalarum dulcium ana unc.s. croci ſcrup.s. miſce, & cum modico ceræ fiat unguentum molle.

Ad idem, & optimè valet lotura capitis ſequens, cùm vt plurimùm, aſma ſit per defluxum materiæ à capite ad membra pectoris.

Recip. Foliorum hyſſopi, fòliorum betonicæ, fòliorum ſaluiæ ana. M.s. florum camomillæ, roſarum rubearum, granorum myrti ana. M.i. bulliant in ſufficienti quantitate lixiuij dulcis, & cum eo caput abluatnr ſemel in ſeptimana.

Ad idem, valet optimè ſequẽs puluis impoſitus commiſſuræ coronali veſperi in ingreſſu lecti, obſeruato

seruato tamen, vt semper manè cum setula auferatur prædictus puluis à commissura coronali.

Recip. *Florum camomillæ, meliloti, sampsuci ana drach. 3. rosarum rubearum, granorum myrti ana drach. i. thuris, masticis, sandaracæ, coraliorum rubeorum ana scrup. ii. garyophyllorum scrup. i. puluerizentur omnia subtiliter, & fiat puluis subtilissimus.*

Ad idem.

Expertum est multùm conferre, si in corpore patiente asma, fiant duo cauteria, unũ in parte syluestri brachij dextri longè à iuncturis spatulæ per quatuor digitos: alterum in crure dextro in parte syluestri, distante à genu per quatuor digitos inter duos musculos.

DE PLEVRITIDE. CAP. XVI.

Cvm pleuresis duplex exigat regimen, tentatiuum, & curatiuum, curatiuum regimen pòst habebitis, tentatiuum uerò nunc: hoc autem tentatiuo acquiritur uobis notitia, scilicet an sit pleuritis, an dolor uentosus: & si fuerit humor paucus aut uentositas, illum, uel illam resoluemus his fomẽtis: & sic excusabimur à transeundo ad aliud genus curationis. Fomenta ergo in principio uel curant uel docent curare. Materia igitur existente pauca, & apta per poros cutis resolui, si fuerit sicca, siue cholerica, siue melancholica, cum fomentis humidis resoluenda est, ex quibus filtrum, siue spongia in aqua calida infusa, & optimè expressa, & petia linea subtilissimè conuoluta, & toto loco dolenti applicata, & bis, aut ter iterata, semper post infusionem ipsius in aqua calida, cum optima expressione, & circumuolutione cum petia sicca, quæ remaneat super loco tanto tẽpore quaque

que uice, donec calor ipsius tepescat, & deinde reinfundi in aqua calida oportet, ut suprà: quod aptius fieri poterit, si duæ spongiæ, aut duo filtra habeantur huic operationi deseruientia: ut una earum remota, quàmprimum altera super imponi possit: & apponatur debitè calida, sed non acutè, siue intensè.

Aliud ad hoc conueniens.

Sacculus ex furfuribus frumenti magis, secundum loci dolentis quantitatem, bulliant in aqua leui ebullitione, & loco dolenti, post fortem ipsius expressionem, applicatus, & secundum necessitatem reiteratus, ut suprà, maximè confert. His efficacior est spongia, siue filtrum infusum in aqua descriptionis infrascriptæ.

Recip. Radicum altheæ drach.iij. maluarum M.i. seminum lini unc.s. florum camomillæ, melilo. ana M.i. radices lotæ, & non abstersæ, extracto ab ipsis meditullio, bulliant simul cum reliquis medicinis, in aqua fluuiali, quantum sufficit usq; ad sufficientem decoctionem maluauisci: & fiat, ut ab initio dictum est.

PARIETARIA quoq; cũ oleo in patella mortificata, & loco dolẽti super imposita, est ad hoc efficax: & reiteretur secundum necessitatem, ut suprà. In materia autem humida, siue phlegmatica, siue sanguinea, fomenta conuenientia erunt hæc, uidelicet saccellatio facta ex milio, sale, aut furfure, debitè calefactis, & applicatis, ut suprà. Si uerò uoluerimus calefactoria medicamenta inter sicca, & humida, aspergemus res supra scriptas cùm eas calefacimus, uino, aut aqua, aut aceto, aut ex his simul mistis, deinde in saccu-

lis ponemus, aut prius ex his simul mistis faciemus sacculos, quos calefaciemus super lateribus calidis aspersis cũ supra-

scriptis,

scriptis, aut uerò hos sacculos infundemus in huiusmodi debitè calidis, & post sufficientem expressionem applicabimus, ut suprà. In materia grossa, cum humidis primò, tandem ad sicca procedemus. In subtili, cum succis ad resoluendum materiam profundam fortius resoluentibus indigemus, quàm ad resoluendum superficialem. In resoluendo cum his calefactorijs ordo seruandus est, ut secundùm plurimùm ab humidis inchoëmus, & à debilioribus gradatim procedentes, ad fortius resoluentia, habito semper respectu ad materiam resoluendam: ut si subtilis sit aut grossa; posita in superficie, aut profundo; humida, uel sicca; calida, uel frigida: cùm uerò pleuresis sit uera, apta curari per resolutionem, sputionem, uel resudationem, sex principales intentiones sunt habendæ. PRIMA debita regiminis administratio. Secunda, diuersio materiæ fluentis. Tertia, digestio. Quarta, euacuatio. Quinta, sputi facilitatio. Sexta, resolutio.

Sed ad empiricam accedamus.

AD PLEVRITIDEM prima hora inuasionis doloris lateralis compertum est experientia, phlebotomare basilicã brachij oppositi multùm conferre. Si uerò in quarta uel immediatè post quartam fiat phlebotomia ex basilica eiusdem lateris, citissimam uidebis euacuationem ipsius pleuritidis. Hic igitur est modus phlebotomandi, quem debetis seruare secundum mentem Galeni. Et nota, secundum documenta doctorum, quòd nulla committatur phlebotomia, nisi præcedente uẽtris lenitione uel cum cassia per os assumpta uel cum enemate lenitiuo: quod in pleuritide debet esse tale.

Recip. Hordei mundi pu.i. uiolarum M.i.s. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis, deinde de colatura accipe lib.i. cui adde olei uiolati unc. iij. sacchari

ſacchari rubei unc.ij. ſalis communis drach.iij. uitelli oui numero.i. miſce, & fiat clyſtere. Si uerò contingeret, ut pleuriticus occurrat ipſi medico poſt quartum diem, ſicut plerunq; contingit, oppoſitam uenam non phlebotomabis, quoniam tunc æger moreretur: & etiam ex una duæ fierent, ob tractum materiæ putridæ ab uno latere ad alterum: ſed cùm conſilio ſociorum ueſtrorum eiuſdem lateris uenam ſecabitis.

Ad idem, facta conuenienti phlebotomia, per diem naturalem pòſt, eſt expertum experientia medicinam ſequentem pleuritidem ſanare, quanquam adhuc eſſemus ante quartam, quoniam ipſa euacuat materias in vijs latis à quibus fouebatur apoſtema pleuriticum.

Recip. *Mannæ granatæ unc.iij. diſſoluatur cum decoctione communi pectorali.*

Deſcriptio decoctionis communis pectoralis talis eſt.

Recip. *hyſſopi ſicci, capillorum ueneris, ficuum, dactylorum, ſebeſten, paſſularum, hordei mundi, glycyrrhizæ raſæ ana.p. æquales, bulliant hæ in aqua quantum ſufficit, & (ut dixi) diſſoluatur manna, & detur patienti in diluculo; uel loco mannæ, pro pauperibus poteris aſſumere unciam unam & mediam floris caſſiæ.*

Ad idem, compertum eſt à principio, id eſt, ante quartam, vſum ſequentis electuarij, frequēter lambendo ipſum, multùm in pleuritide conferre.

Recip. *Diadraganti frigidi, diapenidionis ſine ſpeciebus ana unc.i. diacodionis cum ſaccharo unc.s. miſce, & cum ſyrupo uiolato fiat electuarium.*

Ad idem, à principio expertum eſt iuleb ſequēs

multum conferre, si calidum lambendo pleuritico propinetur.

Recip. Syrupi de iuiubis unc.ij. syrupi uiolati unc.i. misce.

Ad idem, à principio repertum est sequens vnguentum pleuritico multum conferre, si mane, & uesperi, eo calido ungatur locus dolens.

Recip. Mucillaginis seminum citoniorum, olei uiolati ana unc.i. olei amygdalarum dulcium unc.s. ceræ quantum sufficit: & fiat unguentum molle.

Ad idem, à principio, præcedentibus dictis euacuationibus, compertum est sequens emplastrum pleuritidem curare, ut non transeat quartam.

Recip. Violariæ M.i.s. florum uiolarum M.ij. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem aquæ, deinde adde farinæ hordei unc.i.s. olei uiolati, olei amygdalarũ dulcium ana quantum sufficit ad impinguandum emplastrũ.

Ad idem, ante quartam compertum est syrupũ sequentem pleuritico exhibitum bis in die, in diluculo scilicet & in meridie, multum conferre.

Recip. Syrupi uiolati, de iuiubis ana drach.vi. aquarum uiolarum, buglossæ ana unc.i.s. misce pro una uice.

Et nota, hæc esse remedia, quæ melius exhiberi debent usq; ad quartam, eo quia tunc intentio medici est incrassare materiam, ne fluat ad membrum pectoris ad magnificandum apostema pleuriticum, uel ad ipsum faciendum: & omnes medicinæ iam enumeratæ talem exercent operationem. Trãsacta uerò quarta die ipsius pleuritidis, debet medicus mutare intentionem curatiuam, quoniam prius erat sua intentio incrassare materiam, post uerò quartam est incidere, & resoluere materiam iam fluxam, & ideò ad modũ Galeni cùm

fluxa

fluxa materia indigeat euacuatione, expertum est phlebotomiam tunc factam ex brachio loci dolentis citissimè curare pleuritidem, & sic laudo, ut fiat adhuc non urgente uehementi necessitate, licet hoc non semper sentiat Auicenna.

Ad idem, post quartam compertum est sequens electuarium multùm conferre ipsum tepidè lambendo.

Recip. *Diapenidionis sine speciebus unc.i.s. diadraganti frigidi unc.s.loch.de pino unc.i.misce cum syrupo de glycyrrhiza, & fiat electuarium.*

Ad hoc compertum est misturam sequentem in pleuritide conferre post quartam, eam calidam lambendo.

Recip. *Syrupi de glycyrrhiza unc.ij. syrupi iuiubini unc.i.misce, & patienti exhibeatur. Aduerte, quòd si pleuritico (sicut frequenter contingit) inungeretur fluxus uentris, siue fuerit ante quartam, siue post, in omni administratione Syruporum debes dare de Syrupo myrtino sufficientem quantitatem: quoniam ultra hoc quòd sistit fluxum, lenit partes pectoris, et facilitat sputum: quæ sputi facilitatio est re uera tota cura ipsius pleuritidis.*

Ad idem, compertum est experientia, veluti diuinum quoddam, omnem pleuritidem curare, & ægrum à morte releuare sequens medicamentum: quòd ægrotanti applicari non debet, nisi in quarta vel transacta quarta.

Recip. *Dialthææ unc.ij. olei amygdalarum dulcium unc.s.misce, cum quo unguento calido ungatur locus dolens, deinde superaspergeloco dolenti sic uncto sequentem puluerẽ.*

Recip. *Cymini unc.s. fiat puluis subtilissimus, & cribre-*

tur: quo puluere superaspersо, sume fōlium caulis super cineribus ignitis calefactum, deinde fōlium ipsius caulis unge cū butyro antiquo non salito: & loco dolenti ipsum calidū applicato: & mirabilis effectus tibi apparebit in sedatione doloris pleuritidis, & in resolutione materiæ apostematis, & hoc remedium tibi honorem conducet, & ægro utilitatem maximam. Et scias, quod hoc remedium ualet in quolibet alio forti dolore, existente in toto corpore à capite infra.

Ad idem, post quartam expertum est sequens vnguentum quod dolori debet applicari, lana succida superpositа.

Recip. Olei decoctionis althææ unc. ij. olei camomillini unc. i. olei amygdalarum dulcium unc. s. ceræ quantum sufficit, & fiat unguentum molle.

Ad idem, expertum est sequens emplastrum curare apostema pleuriticum: imò si lateri pleuritico iungeretur vehemens dolor. huiusmodi emplastri applicatio dolorem sedat.

Recip. Radicum althææ minutim incisæ & coctæ unc. ij. florum camomillæ, florum uiolarum, meliloti ana M. ij. caricarum pinguium numero. vi. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis: demùm colentur, & colaturæ adde farinæ fœnugræci, farinæ seminum lini ana unc. i. farinæ fabarum unc. i. s. olei anethi, olei liliorum alborum, olei amygdalarum dulcium ana quantum sufficit ad impinguandum emplastrum.

Ad idem, secretum est, & optimè expertū præcedentibus euacuationibus si detur patienti infrascriptus potus: & præcipuè, vbi medicus perciperet cum pleuritide iunctam esse ventositatem magnā, augmen-

augmentantem pleuriticum dolorem.

Recip. *Olei seminum lini unc.iiij. succi althææ unc.ij. misce, & fiat potus, & detur qualibet hora, & quolibet tempore ipsi pleuritico, & detur patienti stomacho ieiuno manè, & uesperi.*

Ad idem, consulo, vt post quartam digeratur materia, regulariter operando, & sequens syrupus est expertus multum valere tunc temporis.

Recip. *Syrupi de glycyrrhiza unc.i. de iuiubis, de pomis dulcibus ana unc.s. aquarum ungulæ caballinæ, capillorum ueneris, uiolarum ana unc.i. misce, cùm enim post quartam intentio non sit prohibere, quod fluit, incrassando, uel immobilitando ipsum, sed incidere, quod fluxum est, & partim resoluere, & hæ intentiones in prædicto syrupo inueniantur, ideò est sciendum, ipsum esse conuenientem.*

Ad idem, quoniam adhuc post quartam, apparentibus signis digestionis, conuenit patientem purgare cõpertum est sequentem medicinam pleuriticum curare.

Recip. *Iuiubarum, sebesten ana numero.x. glycyrrhizæ rasæ, passularum enucleatarum ana unc.s. florum buglossæ, uiolarum, borraginis ana unc.s. dactylorum enucleatorũ numero.iij. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ uiolatæ usq; ad consumptionem medietatis, demùm colentur, & colaturæ adde mannæ electæ unc.ij. reubarbari electi infusi in prædicta decoctione secundum artem drach.ij. spicæ gran. vi. & fiat potus.* Et *aduerte pro secreto quod in pleuritide non debet dari reubarbarum in substantia: quoniam sua stipticitate multa, prohibet facilem screatũ: nec debet dari sine decoctione dactylorum: quoniam dactyli stipticitatem reu*

barbari tollunt: aliter in pleuritide non eris ausus super reu barbarum, nisi in infusione, uel decoctione dactylorum.

Ad idem, optimè expertum est, & reperi me abbreuiare curam pleuritidis si manè, & vesperi per duas horas ante cibum detur patienti infrascriptũ pomum ad comedendum.

Recip. Pomum unum dulce, sub cineribus benè decoctum, cui puluis sequens super aspergatur.

Recip. Succi glycyrrhizæ, amidi, penidiarum ana drach. i. misce, & fiat puluis subtilis super aspersus pomo. Si uerò transacta septimana usq; ad undecimam & post ad decimam quartam in pleuritide uirtus ægrotantis benè constet, & dolor lateris adauctus sit, & membri grauedo, & febris, & alia accidentia pleuritidem sequentia incrementum susceperint, proculdubio credendum est apostema non obedire resolutioni. quapropter medicus tunc temporis excusatus est, si maturatiuis ipsis utatur, tentans ipsius apostematis suppurationem. nam in huiusmodi cura quatuor hæ sunt intentiones: prima quarum est maturatio: secunda, ruptio: tertia, absterssio materiæ sanioſæ: quarta, consolidatio. Igitur si harum prima usus fuerit medicus, excusabitur (ut dixi) quoniam medicus in quantum possibile est, deberet prohibere ipsius pleuritidis maturationem, cùm ipsa sit uia ad ulcera pulmonis, & ad phthisim, & inde ad mortem per transitum saniei ab ulcere membranæ ad intrinsecas partes pulmonis. Sin autem secus non esset curatio, ad maturandum apostema pleuriticum sequens emplastrum expertissimum est.

Recip. Foliorum maluæ cum radicibus, uiolariæ ana M. ij. radicum althææ mundatarum unc. ij. radicum liliorum alborum unc. i. radicum enulæ unc. s. florum camomillæ, meli-

loti

loti ana M.i. bulliant omnia in sufficienti quãtitate aquæ usque ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & colaturæ adde farinæ fœnugræci, farinæ frumenti ana p.i. fermẽti drach.ij. pinguedinis porci, butyri ana unc.s. olei amygdalarum dulcium, olei communis ana quantum sufficit ad impinguandum emplastrum, cui adde croci drach.s. quod emplastrum loco dolenti applicetur calidum, & ter in die naturali permutetur.

Ad idem, scilicet ad suppurandam pleuritidem, optimè expertum est sequens vnguentum.

Recip. Mucillaginis seminis caulium, mucillaginis seminis altheæ ana unc.ij. mucillaginis ficuũ unc.i. lactis uaccini unc. iij. butyri recentis unc.ij. olei amygdalarum dulcium unc.ij.s. omnia insimul misceantur & leui igne benè ducantur, & cum ceræ quantum sufficit, fiat unguentum molle: quod utique extensum supra lanam succidam, loco dolenti applicetur ter, uel quater in die naturali.

Ad idem, in maturatione apostematis experta est sequens antidotus.

Recip. Butyri recentis unc.iiij. mucillaginis ficuum unc. ij. olei amygdalarum dulcium recentis unc.i. misce, & omnia simul bene incorporentur, & cum sacchari quantum sufficit, fiat loch: de quo frequentissimè patiens in ore teneat lambendo.

Ad idem, potus sequentis aquæ calidæ lambendo multum confert.

Recip. Iuiubarum, sebesten, ana numero xv. glycyrrhizæ mundæ, passularum enucleatarum ana unc.s. radicum maluæ, radicum altheæ, radicum enulæ ana unc.s. dactylorũ enucleatorum, caricarum pinguium ana numero ij. bulliant

instmul in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis: deinde colentur, & colaturæ adde olei amygdalarum dulcium unc.i. sacchari quantum sufficit, & fiat iuleb longum clarificatum, de quo patiens assumat ferè sine intermissione. Si uerò post fortem dolorem lateris, dolor ipse notabiliter minuatur, & post febrem intensam febris ualde dimittatur, & alia accidentia ipsius pleuritidis in se multùm remissa fuerint, dum tamen in membro læso remanserit sola grauitas, quam patiens ex ponderositate loci percipit, tunc medicus debet coniectare naturam non esse potentem ad apostematis resolutionem, & quoniam apostema est dispositum, & præparatum ad disruptionem, ideò medicus debet omni ingenio curare, ut apostema ipsum rumpatur.

Ad rumpendum apostema pleuriticum.

Primum ingenium est ad rumpendum apostema pleuriticum, præcipere patienti, ut inordinato, & forti motu moueat membra thoracis, quoniam ex huiusmodi motu uiolento, & forti, rumpetur apostema.

Ad idem, valet sequens emplastrum.

Recip. *Radicum altheæ coctæ unc.iiij. in mortario optimè contundãtur, quibus adde butyri unc.i. mellis unc.i.s. stercoris columbini drach.ij. misce, & calidum loco præcisæ applicetur: & subitam uidebis disruptionem apostematis. Si uerò apostema uel arte, uel natura disrumpatur: quod medicus cognoscet ex desinentia ponderositatis membri, & ex apparentia exitus per exitum saniei, per screatum, & per apparentiam saniei ex urina, tunc medicus debet solicitus esse, ne materia illa transeat ad pulmonem: & si transierit, ut non permaneat & figatur: necnon prohibeat etiam futuram phthisim, ad quod expertum est sequens lambitiuum.*

Recip.

Recip. Aquæ hordei lib.i. mellis roſati un.iij. radicum altheæ unc.s.miſce, & buliant ad conſumptionem tertiæ partis, deinde coletur, & de colatura calida patiens lambendo ſæpißimè capiat. eo enim remedio abſtergetur ſanies ab ulcere, & eam conducet ad inferiores partes cutis, & mundabit per uiam ſputi.

Ad idem.

Recip. Penidiarum unc.ij. mellis roſati unc.i. ſucci enulæ unc.s. pulmonis uulpis puluerizati drach.iij. miſce, & cum modico ſacchari fiat loch, cuius quantitatem ſæpißimè lambendo æger in ore teneat.

Ad idem.

Secretum eſt, & ualde expertum ad idem, quòd ſi quater in die naturali bibat patiens uncias quatuor aquæ hederæ terreſtris calidæ, uidebis optimam curationem diſrupti apoſtematis pleuritici, & eius mundificationem à ſanie, & prohibitionem futuri empimatis, & phthiſis. & ad hæc benè conferunt ea, quæ dicenda ſunt in ſequenti capite de tußi.

DE TVSSI. CAP. XVII.

SI FVERIT tußis à cauſa calida, dignoſcitur autem hoc à caliditate percepta in ſpiritualibus, à pruritu, & punctura eorundem, à perceptione materiæ ſubtilis in gutture prurientis, à rubedine faciei, & oculorum, & in eis caliditate apparente: compertum eſt, tanquàm ſublime remedium, duas phlebotomias alternis diebus factas multùm conferre. Prima quidem ex uena nigra dextri brachij cum extractione ſanguinis quatuor unciarum: Secunda uerò ex cephalica eiuſdem lateris, cùm ferè tußis calida ſit à defluxu materiei à capite.

Ad

Ad idem, compertum est, medicinam sequentem tussim calidam curare.

Recip. *Iuiubarum, sebesten ana numero x. glycyrrhizæ, passularum enucleatarum ana unc. s. bulliant in sufficienti quantitate aquæ, & cum colatura dissolue floris cassiæ nouiter tractæ unc. i. electuarij rosati Mesue drach. ij. misce, & fiat potus, & detur tussienti in diluculo.*

Ad idem, scilicet ad tussim calidam, optimè conferunt sequentes pilulæ, datæ patienti cum ibit dormitum.

Recip. *Pilularum aurearum Nicolai scrup. ij. pilularum assaiaret scrup. i. misce cum syrupo uiolato, & fiant pilulæ numero* v.

Ad idem, expertum est, tanquam remedium efficax, sequentem potionem multùm conferre: quam patiens debet frequentare per septem dies continuos in ingressu lecti.

Recip. *Aquæ hordei unc.* v. *diacodionis cum saccharo un. s. misce, & apud ignem calefiant, & tussienti exhibeto.*

Ad idem, compertum est sequentẽ potũm mirabiliter conferre, patienti datum in ingressu lecti.

Recip. *Succi hordei extracti ex hordeo recenti, & mundo unc. ij. puluerís diagraganthi frigidi unc. ij. misce, & dissoluantur cum aqua decoctionis glycyrrhizæ, Iuiubarum, & passularum enucleatarum quantum sufficit.*

Ad idem, optimè expertum, & secretum in curatione tussis calidæ, & præcipuè cùm infestat ægrũ, vt vix possit dormire, assumere alternis diebus vnã de sequentibus pilulis in ingressu lecti.

Recip. *Pilularum de cynogloſſa descriptione Mesue drac.*

i.cum syrupo rosato: fiant pilulæ numero quinque, quarum unam capiat modo dicto.

Ad idem, experientia optimè expertũ est, quòd si patiens quolibet die ante prandium capiat vnam de infrascriptis pilulis, curabitur à tussi calida.

Recip. Pilularum masticinarum Conciliatoris drach.i. agarici trochiscati drach.s. pilularum aurearum Nicolai scrup.ij. misce cum syrupo uiolato. fiant pilulæ numero.x. quarum unam capiat modo dicto.

Ad idem, expertum est, quòd si patiens purgetur sequenti medicatione syruporum, & medicinæ, sanabitur à tussi calida. Syrupus, quem debet accipere per septem dies continuos, est sequens.

Recip. Syrupi myrtini, uiolati, de Iuiùbis ana unc.s. aquarum ungulæ caballinæ, plantaginis ana unc.i.s. misce pro una uice. Facta digestione in materia, compertum est sequẽtem medicinam tussim ipsam catarrhalem calidã curare.

Recip. Corticum myrobalanorum citrinorum unc.s. granorum myrti, Iuiubarum, sebesten ana numero x. glycyrrhizæ mundæ, passularum enucleatarum ana unc.s. agarici ligati in petia drach.s. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis: & cum prædicta colatura dissolue mannæ granatæ electæ unc.ij. & hoc pro diuitibus. Si uerò pauper fuerit, cassiæ nouiter tractæ unc. i. uel penidiarum unc.iij. electuarij rosati Mesue, electuarij de dactylis ana drach.i.s. misce, & fiat potus, & patienti tussim exhibeatur in diluculo.

Ad idem, vbi tussi cõiungeretur raucedo vocis, valet hæc mixtura sequens, pluries in die eam assumendo, & lambendo.

Recip.

Recip. Diadraganti frigidi, diacodionis cum ſaccharo, diapenidionis ſine ſpeciebus ana unc.i. boli Armeni ſubtiliter pulueriʒati drach.i. miſce, et cũ iulep uiolato fiat ad modũ loch.

Ad idem, & benè experientia docet, multùm ualere ſequens mixtura bis in die ſumpta. ſcilicet ante prãdium, & ante cœnam per duas horas ad quantitatem unius cochlearij.

Recip. Mannæ electæ unc.i.s. floris caſſiæ nouiter tractæ unc.s. penidiarum unc.ij. pulueris tragacanthæ frigidæ unc.i.s. olei amygdalarum dulcium recentis unc.s. miſce, & fiat loch.

Ad idem, expertum eſt, ueſperi, cùm patiens ibit dormitum, aſſumere octo cochlearia infraſcriptæ mixturæ, ſanare tuſsim calidam.

Recip. Aquæ fontis claræ unc.x. ſacchari albiſſimi unc. ij.s. bulliant inſimul uſq; ad conſumptionem tertiæ partis, deinde adde farinæ amidi, farinæ hordei ana quantum ſufficit ad incorporandam prædictam aquã ad formã liquoris denſi.

Ad idem, optimè expertum eſt, patientem aſsiduè tenere in ore lambendo unam de infraſcriptis paſtellis, mirabiliter conferre.

Recip. Sacchari candi unc.iij. gummi Arabici, tragacanthæ, amidi ana drach.ij. ſucci glycyrrhizæ drach.i. farinæ hordei drach.iij. omnia inſimul ſubtiliſſimè pulueriʒentur, & cum ſaccharo diſſoluto in aqua uiolata quantum ſufficit fiant paſtellæ.

Ad idem, experientia inuentum eſt, ueſperi, cùm patiens ibit domitum, in ore ſub lingua tenere unã de infraſcriptis pilulis, multùm conferre.

Recip. Diacodionis, pulueris tragacanthæ frigidæ, penidiarum

nidiarum ana drach.ij. boli Armeni drach.s. puluerizentur omnia ſubtiliſſimè, & cum ſyrupo myrtino fiant formulæ ad modum lupinorum, uel pilulæ ad modum lupini, quod idē eſt.

Ad idem, optimum remedium auferens equidem tuſsim calidam ſequens ebullitio ex paſſulis & glycyrrhiza.

Recip. *Paſſularum enucleatarum unc.ij. bulliant in libra una aquæ uſque ad conſumptionem tertiæ partis, deinde illi aquæ fortiter bullienti appone glycyrrhizæ raſæ recentis per fruſtra diuiſæ unc.ij. et omni hora teneat patiens fruſtrū unum ipſius glycyrrhizæ bene maſticando. Si uerò præcedentia remedia in tuſsi calida non ſuffecerint, iam credendum eſt, ipſam foueri à catarrho, deſuper cadente ad membra pectoris. Conſulo itaq; tanquam ultimum remedium, & ſublime, fieri cauterium actuale in commiſſura coronali, unde quanquam materia ſit calida, cauterium tamen utilitatē præſtat: quoniam exiccando, & cerebrum confortando, prohibet fluxum materiæ ad membra anhelitus.*

Ad tuſsim frigidam cum præſentia materiæ pituitoſæ fluentis à capite ad membra anhelitus, expertum eſt, ſequentem medicinam ipſam curare.

Recip. *Diaſebeſten lenitiui unc.i. electuarij de dactylis drach.ij. miſce, & fiat bolus cum ſaccharo, & capiat patiens per quatuor horas ante lucem.*

Ad idem, expertum eſt benè valere ſequens electuarium, frequentatum à patiēte, ipſum lābendo.

Recip. *Terebentinæ lotæ cum aqua capillorum ueneris unc.iij. caricarum pinguium unc.i. penidiarum unc.iiij. olei amygdalarum dulcium recentis unc.i. miſce, et optimè in mortario conducantur, quouſq; fiat electuarium.*

Ad idem, mirabiliter confert sequens electuarium, si patiens ipsum frequentet lambendo.

Recip. *Succi altheæ unc.iij. succi enulæ unc.i. penidiarum unc.ij.s. amidi unc.i. sacchari quantum sufficit dissoluti cum aqua ungulæ caballinæ, & fiat electuarium.*

Ad idem, medicina hæc optimè experta est, si in ingressu lecti patiens de ea capiat decẽ cochlearia.

Recip. *Aquæ fontis claræ lib.i. mellis albi unc.iij. bulliant usq; ad perfectam mellis despumationem, deinde paulatim infundatur farina amidi, paulatim aquam sic bulliendo, & eam aquam ducendo, quousq; deueniat aqua ad succi densitatem.*

Ad idem, pro tussi frigida sequẽs purgatio eam curat. Pro digestione materiæ primò.

Recip. *Syrupi de hyssopo, syrupi de glycyrrhiza, mellis rosati colati ana unc.s. aquarum capillorum ueneris, ungulæ caballinæ, betonicæ ana unc.i. misce pro una uice. quo syrupo continuato per septem dies, capiat patiens infrascriptam medicinam.*

Recip. *Electuarij de cassia unc.i. penidiarum unc.s. agarici præparati drach.i. misce, et dissoluantur cum aqua decoctionis glycyrrhizæ, & iuiubarum quantum sufficit.*

Ad idem, expertum est sequens medicamentum per uiam suffumigij.

Recip. *Aquæ limpidæ lib.i. masticis drac.i.s. thuris drac. ij. puluerizentur puluerizanda, & cum aqua misceantur, & bulliant ad ignem lentum, et cùm erunt in forti ebullitione, ab igne detrahãtur: demùm cum emboto patiens capiat fumum illius aquæ per eos, quousq; effumabitur aqua. Si uerò materia sit multum frigida, fiat ebullitio harum rerum in uino odorifero.*

Ad

Ad idem, expertum est conditum sequens, si patiens per duas horas ante prandium comedat unciam unam, & in ingressu lecti unciam aliam illius conditi.

Recip. *Pinearum mundatarum, amygdalarum dulcium mundatarum ana unc.iij. penidiarum unc.vi. olei amygdalarum dulcium recentis unc.ij. sacchari quantum sufficit, & fiat in forma electuarij.*

Ad idem, expertum est sequens electuarium, si æger in ore lambendo ipsum teneat.

Recip. *Diapenidionis sine speciebus, loch sani, & experti ana unc.i. penidiarum unc.ij. syrupi de hyssopo quantum sufficit ad incorporandum, & fiat electuarium.*

Ad idem, mirabiliter confert assumptio unius unciæ cum dimidia sequentis aquæ in ingressu lecti, & per tres horas ante prandium.

Recip. *Agarici optimi, & electi drach.ij. bulliant in libra una aquæ limpidæ usq; ad consumptionem medietatis, deinde coletur aqua, & de colatura dabis unciam unam cum dimidia patienti modo dicto.*

Ad idem, & in omni ætate est expertum, tam in pueris, quàm etiam in senibus, dare patienti tussim frigidam, cùm ibit dormitum, pilulam unam de sequentibus pilulis quolibet uesperi.

Recip. *Agarici præparati drach.ij. thuris drach.i.s. puluerizetur thus, & cum succo de hyssopo, & cum agarico commisceatur, & fiant pilulæ numero.x. quarum unam capiat patiens modo dicto.*

Ad idem, expertum est optimè ualere, si patiens frequentet lambitionem sequentis aquæ calidæ.

Recip.

Recip. Thuris, masticis, ana drach. i. s. amidi, glycyrrhizæ, pussularum enucleatarum ana unc. s. radicum enulæ unc. i. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionẽ tertiæ partis, deinde colentur, & colatura usui seruetur.

Ad idem, expertum est, omnem administrationem olei amygdalarum dulcium recentis per os multùm conferre, & præcipuè, si oleum condiatur modo sequenti.

Recip. Olei amygdalarum dulcium unc. vi. sacchari optimi dissoluti in aqua ungulæ caballinæ quantum sufficit: & fiat iulep: de quo patiens pluries in die lambendo capiat cochlearium unum: de quo etiam patiens frequenter capiat in suis ferculis.

Ad idem, optimè valet condimentum sequens assumptum, & loco cibi, & loco medicinæ.

Recip. Butyri recentis sine sale lib. i. uitelli ouorum recentium num. iij. farinæ amidi unc. ij. sacchari dissoluti in aqua uiolata unc. i. misce, & optimè conducantur, quousq; fiat cõdimentum gustui optimum. Si uerò præcedentia hæc non contulerint, consulo, tanquàm secretum experimentum, in sedatione tussis frigidæ à materia pituitosa, cauterizare crus dextrũ infra genu in parte syluestri, per quatuor digitos inter duos musculos cruris, & optimum uidebis iuuamentum.

Ad idem, per ea, quæ extrinsecus applicantur, valet vnguentnm sequens: cum quo calido totum pectus inungi debet.

Recip. Butyri antiqui sine sale, olei amygdalarum dulciũ, olei liliorum alborum ana unc. i. mucillaginis seminũ altheæ, mucill. seminum maluæ ana unc. s. croci scrup. s. misce, & cũ modico ceræ fiat unguentũ. Et hæc de tussi calida, & frigida.

DE PASSIONIBVS CORDIS, SCILIcet de tremore, saltu, & pulsu cordis.

CAPVT XVIII.

Ad cordis passionem, & præcipuè cùm in patiente fuerit antiqua, infallibile, & expertum est remedium (cùm ipsa ægritudo ut plurimùm sit diuturna) facere phlebotomiam ex basilica oppositi lateris, huiusmodi ægritudinem ex toto curare, dum obseruetur corporis lenitio, & euacuatio ante phlebotomiã faciendam cũ sequenti medicina.

Recip. Diacatholiconis drachm. vi. confectionis Hamec drach.ij.misce, & fiat potus cum aqua buglosse. Sequenti uerò die fiat phlebotomia modo dicto. Si uerò patiens omni anno utatur prædicta phlebotomia, certè nunquam cardiacam passionem percipiet.

Ad idem, expertum & in præseruatione à cardiaca passione, & in curatione præsentis cardiacæ, digerere materiam cum sequenti syrupo, & euacuare cum infrascripta medicina, patientem sanari à tali affectione. Syrupus ad cardiacam passionem talis est.

Recip. Syrupi de corticibus citri, syrupi de pomis dulcibus ana drach.vi syrupi de epithymo drach.ij. aquarum tormentillæ, dictami albi, buglossæ ana unc.i.misce pro una uice. Continuato Syrupo per septem dies, octaua die patiens capiat infrascripta medicinam.

Recip. Florum buglossæ, borraginis ana M.i. folliculorũ senæ, polypodij quercini ana drach.ij. myrobalanorum Indorum drach.i. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usque ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & cum colatura

dissolue diasenæ lenitiui drach. vi. Reubarbari subtiliter pulueri-zati drach. i. s. misce, & patienti potus exhibeatur in diluculo. Facta phlebotomia prima, & ipsius alui purgatione, ad passionem cordis scias mirabiliter cõferre apertionem hæmorrhoidarum quater in anno secundum diuersitatẽ quatuor temporum: & in tali apertione hæmorrhoidarum in passionibus cordis semper benè me habui.

Ad idem valet, & experta est sequens confectio, si ante prandium capias per tres horas.

Recip. Specierum pliris arcoticon, specierum lætificantis, specierum tria sandalorum, specierum aromatici garyophyllati ana drach. i. sacchari albissimi dissoluti in aqua buglossæ quantũ sufficit, & fiat confectio in rotulis duarum drachmarum pro qualibet, & patiens capiat unam, superbibendo unciam unam uini maluatici.

Ad idem, experta est sequens mistura multum valere in passionibus cordis.

Recip. Diaborraginati unc. iiii. diabuglossati, sacchari rosati ana unc. ii. conseruæ acetositatis citri unc. i. coraliorum rubeorum, been albi, & rubei, ossis de corde cerui ana drac. i. puluerizentur puluerizanda, & cum Syrupo de pomis dulcibus fiat mistura, de qua patiens capiat per duas horas ante cibũ dimidium unciæ, & ante cœnam per duas drachmas. et scias, in omnibus passionibus cordis ualere hanc misturam, & etiam in febribus.

Ad idem, & est secretum in passionibus cordis, & maximè in mulieribus, quæ ex consuetudine cadunt in talem passionem.

Recip. Corticum citri exiccatorum, zedoariæ, doronici, calami aromatici ana drach. i. cardamomi drac. s. Radicũ bu-

glossæ

glossæ exiccatarũ drach.ij. muſci fini ſcrup.s. epithymi drac. s. puluerizentur omnia ſubtiliſſimè, & fiat puluis cribellatus, de quo puluere patiens capiat in diuculo drachmam unam, & mediam, diſſoluto in aqua tormentillæ, in ueſperi uerò, cùm ibit dormitum, drachmam unam diſſolutam in eadem aqua: & uidebis ante ſeptimum diẽ curari à paſſione cordis.

Ad idem, confectio hæc ſequens mirabilis eſt valens quoq; in debilitate uirtutis, propter febres incenſiuas: & optima hæc eſt confectio in tempore peſtilentiæ, & in febribus peſtilentialibus.

Recip. Cinnamomi electi drach.ij. macis drach.s. hyacinthorum, ſmaragdorum, rubinorum ana drach.s. margaritarum perforatarum, & non perforatarum ana ſcrup.i. auri ſubtiliter puluerizati, argẽti ſubtiliter puluerizati ana drac. s. omnia inſimul ſubtiliter puluerizentur, & cum ſaccharo optimo diſſoluto in aqua roſata fiat confectio in rotulis duarum drachmarum pro qualibet. uidi enim cum hac confectione multa corpora tempore peſtilentiæ fuiſſe conſeruata.

Ad idem, & eſt ſecretum, cum quo in paſsione cordis ſemper bene me habui.

Recip. Succi bugloſſæ ad ignem depurati unc.ij. ſacchari albiſſimi drach.ij. miſce, & tepidum quolibet die in ingreſſu lecti patiens bibat, & non tranſibunt decem dies, quòd patiẽs curabitur à cardiaca paſſione.

Ad idem. & eſt expertum, quòd ſi patiẽs cardiacam paſsionem à qualibet cauſa, capiat infraſcripti iulep ter in die vncias quatuor, ſanabitur ab huiuſmodi paſsionibus.

Recip. Radicum tormentillæ, radicum dictami albi ana unc.s. florum bugloſſæ, borraginis ana unc.i. oſsis de corde

cerui, been albi, & rubei ana drach.ij. coraliorum rubeorũ, seminum rosarum rubearum, doronici, zedoariæ ana drach. i.s. granorum citri, granorum paradisi ana drach.ij.s. hyacinthorum, smaragdorũ, utriusq; margaritarum ana drach. i. bulliant omnia in libris decem aquæ usq; ad consumptionem medietatis. deinde colentur, & colaturæ adde uini granatorum muzorum unc.x. succi pomorum dulcium unc. vi. iterũ bulliant unica forti ebullitione, & cum saccharo quantũ sufficit, fiat iuleb longum, & aromatizetur secundum totum sequenti puluere.

Recip. Cinnamomi electi, macis, fŏlij ana drach.i. muſci optimi scrup.i. ambræ grisiæ drach.s. puluerizentur subtiliter, & ligentur in petia subtili munda cum filo, & ponantur in uase ad medium iulep, & tandiu permaneant in eo, quandiu ex toto bibentur pulueres. & scias illud esse mirabile in præseruatione à peste, si patiens in diluculo capiat ipsius iulep quatuor uncias, in meridie, & in ingressu lecti totidem.

Ad idem.

Ad passionem cordis, per ea, quæ extrinsecus applicantur, expertum est in hora, qua affligitur patiens, apponere uentosam de directo cordis, ipsam derelinquere per horam, esse notabile remedium, & præsentaneum.

Ad idem, manè, & vesperi ante cibum, siue dolor adsit, siue non, ipsius cordis sequens epithema multùm conferre, inuentum est experientia.

Recip. Aquæ rosatæ, aquæ borraginis, aquæ melissæ, aquæ acetosæ ana unc.vi. sandalorum alborum, rubeorum, seminum rosarum rubearum ana drach.i.s. ligni aloës, ossis de corde cerui, cornu cerui usti ana drach.i. coraliorum rubeorum,

rum,been albi, & rubei ana drach.s. florum bugloſſæ, borraginis ana M.i. bulliant inſimul, pulueriz atis pulueriz andis, uſq; ad conſumptionem tertiæ partis aquæ, deinde adde umi maluatici optimi unc.iij. aceti optimi albi unc.ij. croci ſcrup.i.miſce, & cum ſindone de grana manè, & ueſperi ante cibum epithemate calido fomentetur cor.

Ad idem, ſecretiſsimum vnguentum eſt, cũ quo manè, & veſperi ante cibum debet inungi tota regio cordis, & hoc vnguentũ inuentum eſt pro pauperibus, quibus non eſt copia coëmere epithemata.

Recip. Olei nenupharis citrinæ unc.iii. pulueris florum nenupharis citrinæ drach.ii. ſandalorum rubeorum, coraliorum rubeorum, ſeminum acetoſæ ana ſcrup.i. margaritarũ, ligni aloës, oßis de corde cerui ana ſcrup.s. camphoræ gran. iii. ceræ albæ lotæ cum aqua nenupharis citrinæ quantũ ſufficit, pulueriz atis pulueriz andis, fiat unguentum molle. Et nota, quòd præſens unguentum, & dictum epithema ualent in febribus intenſiuis, & in aliis, quibus iungitur debilitas in uirtute.

Ad idem, ſecretum eſt, & mirabile, & expertum, valens admodum in peſtilentia, & in præſeruatione, & in curatione, cum applicueris cordi mane, & veſperi ſequentem mixturam, & continuè ipſam deferes.

Recip. Theriacæ optimæ unc.i. ſucci limonis unc.s. croci ſcrup.i. utriuſq; margaritarum, coraliorum rubeorum, ſeminum acetoſæ ana drach.s. camphoræ gran.ii. miſce, & omnia inſimul benè ducantur cum duobus, uel tribus guttis uini albi odoriferi, quouſq; fiat linimentum, cuius linimenti quantitas extendatur ſuper ſindonem ſericam chermeſini, & ca-

lidum cordi applicetur.

Ad idem, inuentum est sacculum infrascriptum cardiacæ passioni multùm conferre, si continuè patiens ipsum ferat supra cor.

Recip. *Florum borraginis, buglossæ ana M.s. seminum citri, seminum acetosæ ana drach.ij. folij drach.s. coraliorum rubeorum, seminum rosarum rubearum, been albi, & rubei ana drach. i. omnium fragmentorum scrup.i. utriusq; margaritarum ana drach.s. doronici, zedoariæ, calami aromatici ana drach.i.s. ossis de corde cerui, cornu cerui usti, ligni aloës ana drach.i. muschi optimi, ambræ optimæ ana scrup.i. pulueriz entur omnia subtilissimè, & ex prædicto puluere fiant duo, uel tres sacculi ad magnitudinem cordis, qui sacculi antequam cordi apponantur, continuè suffumigentur cum uino albo odorifero.*

Ad idem, experimentum mirabile, & præcipuè valet pueris, hora qua patiuntur vermes.

Recip. *Aloës hepatici unc.s. croci scrup i. succi citri drach.ij. uini albi odoriferi drach.i. omnia insimul benè misceantur, & extendatur hæc mixtura super petiam, & cordi applicetur.*

Aliud contra vermes puerorum.

Recip. *Farinæ lupinorum amarorum, aloës hepatici, ana drach.iij. succi absinthij drach.ij. omnia bene simul misceantur, & extendatur hæc mixtura supra petiam, & umbilico puerorum applicetur.*

DE DOLORE STOMACHI.

CAPVT XIX.

SI DOLOR *ſtomachi proueniat à cauſa calida, cuius ſignum erit ſtomachi inflammatio, dolor acutus, & pungitiuus, amaritudo oris & uomitus cholericus, tunc expertum eſt, medicinam ſequentem curare dolorem ſtomachi.*

Recip. *Reubarbari electi drach ii. ſpicæ gran. x. diacatholiconis drach. vi. electuarii roſati Meſue drach. iii. miſce, & fiat potus cum decoctione communi florum, et fructuum, qui exhibeatur patienti in diluculo, & hæc medicina excuſabit medicum à multo labore in auferendo dolorem ſtomachi à cauſa calida.*

Ad idem, compertum in dolore ſtomachi, & ſi dolor proueniat à vehementia febris, propter cauſam calidam aſsiduam, ante aduentum doloris per vnã horã ſequentem potionẽ mirabiliter conferre.

Recip. *Medullæ panis furfuracci unc. ii. ſuperaſpergantur uini granatorum muſorum, aquæ plantaginis ana unc. iiii. facta ſorti expreſsione, detur tale uinum mixtum cum aqua, patienti: & uidebis mirabile experimentum in dolore calido ſtomachi.*

Ad idem experientia compertum eſt ſequentem purgationem cum digeſtione materiæ curare dolorem ſtomachi à cauſa calida. Syrupus, quem debet continuare per ſeptem dies, talis eſt.

Recip. *Syrupi acetoſitatis citri, ſyrupi roſati ana drach. vi. ſyrupi de abſinthio drach. ii. aquarum acetoſæ, cichoreæ, bugloſſæ ana unc. i. miſce, octauo uerò die capiat infraſcriptam medicinam.*

Recip. *Floris caſsiæ nouiter tractæ unc.i. reubarbari electi drach.ij. ſpicæ gran.x. reubarbarum cum ſpica ſubtiliter incidatur; & cum modico uini albi odoriferi irroretur, & miſceatur cum caſsia, & fiat bolus cum ſaccharo: qui exhibeatur patienti in diluculo.*

Ad idem, in dolore ſtomachi à cauſa calida, valet ſequens mixtura: cuius cochlear vnũ detur patienti manè, & veſperi ante cibum per vnam horam.

Recip. *Diacitoniten ſine ſpeciebus cum ſaccharo unc.ij. ſacchari roſati, conſeruæ acetoſitatis citri ana unc.i. miſce cum ſyrupo de abſinthio, & fiat electuarium molle. Si uerò ægrum dolor plurimùm infeſtaret, ſicut plerunq; contingit in febribus cholericis, ut nimio dolore æger quaſi ſyncopizet, expertum eſt, eſſe optimi iuuamenti phlebotomare baſilicam lateris dextri, quæ mirabilis eſt in fortì dolore non tantùm ſtomachi, ſed omnium membrorum naturalium. Et nota, quòd dato urinam nõ oſtendere de fienda phlebotomia, debes tamen tu regulariter à fortì dolore à cauſa calida, eſſe pronus ad faciendam phlebotomiam. Si uerò dolor fortis adhæret à cauſa calida, qui nec ſedari poſſet phlebotomia, nec prædictis remedijs, conſulo, tanquam expertum, & ſecurum, patientem capere ſequentem bolum in quacunque hora doloris.*

Recip. *Electuarij de ſucco roſarum* Nicolai *drach.iij. philonij* Romani *ſcrup.ij. miſce, & fiat bolus, ex quo uidebis cito notabile iuuamentum.*

Ad idem, expertum eſt ſequens remedium, & eſt multùm efficax quando cogetur medicus ſuccurrere fortiſsimo dolori, cui alia remedia non attulerint iuuamentum.

Recip.

Recip. *Syrupi roſati, ſyrupi de abſinthio ana unc.i.s.opij gran.i.miſce, & bulliant unica leui ebullitione, deinde ipſo permixto cum tribus uncijs iuris pullæ, dabis patiẽti in potu.*

Ad idem, per ea, quæ extrinſecus applicantur, optimè expertum eſt in hora doloris apponere vẽtoſam ſuper regionem hepatis, & videbis dolorem ſedari, quia vt plurimum prouenit à cholera demã data ab hepate ad ſtomachum.

Ad idem, multùm valet, fomentare ſtomachum cum ſequenti ſicca fomentatione: & plurimùm confert.

Recip. *Roſarum rubearum, florum camomillæ, abſinthij, menthæ ana M.i. irrorentur cum uino albo tegulæ ignitæ: et prædictæ herbæ ſimul ſuper ipſas calefiant, & ſtomacho ſæpius applicentur.*

Ad idem, & præcipuè, quando dolor in febrientibus corporibus reperitur, valet ſequens vnguentum: cum quo manè, & veſperi ante cibum totus ſtomachus debet inungi.

Recip. *Olei citoniorum, olei roſati, olei abſinthij ana unc. s. coraliorum rubeorum drach.i. ligni aloës drach.i.s. ceræ quantum ſufficit, & fiat unguentum molle.*

Ad dolorem uerò ſtomachi à cauſa frigida, uel à uentoſitate, cùm ab ea, ut plurimùm, ſtomachi dolor proueniat, primò expertum eſt, quòd medicus antequam ſequatur illius curationem, debet præmittere ſequens clyſtere.

Recip. *Mercurialis, foliorum maluæ, florum camomillæ, abſinthij, menthæ, ana M.i. furfuris groſſi ligati in petia M. ij. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſq; ad conſumptionem medietatis, deinde colẽtur, & de colatura accipe libram*

unam

unam, benedictæ unc.i.s.uitelli oui numero.i.misce, & inijciatur clystere, stomacho ieiuno.

Sequenti uerò die experientia compertum est, sequentem medicinam curare dolorem stomachi frigidum, uel uentosum.

Recip. Agarici electi drach.ij. ligetur agaricus in petia, & bulliat in sex uncijs aquæ claræ usq; ad consumptionem medietatis, deinde facta fòrti expressione, coletur aqua, & cum prædicta colatura dissolue diasenæ lenitiui drach.vi. floris cassiæ nouiter tractæ unc.s.& fiat potus, qui exhibeatur patienti per duas horas ante lucem. Sequenti uerò die optimum remedium erit, digerere materiam per sex dies continuos cum sequenti syrupo.

Recip. Syrupi de absinthio, de mentha, mellis rosati colati ana unc.s. aquarum fœniculi, absinthij, cichoreæ ana unc.i.misce, septima uerò die capiat patiens per horam ante lucem infrascriptas pilulas.

Recip. Pilularum alephanginarum, masticinarum Conciliatoris, Agarici trochiscati ana scrup.i. misce cum syrupo de mentha, & fiant pilulæ numero quinq;. Si uerò patiens dolore intensissimo infestetur, consulo, ut loco pilularum, dato etiam, quòd non præcesserint syrupi, capiat infrascriptum bolum qualibet hora doloris: & est secretum, & optimè expertum.

Recip. Electuarii de dactylis un.s. philonii Romani scru. üii.misce, & fiat bolus, ex quo uidebis ægrum citissimè releuari à dolore cum purgatione uentris.

Ad idem.

Est expertum in curatione doloris stomachi à causa frigida, et in præseruatione ab eodẽ, uti alternis diebus, antequam patiens capiat prandiũ, scrupulos duos pilularũ de aloẽ loto.

Ad

Ad idem,& est optimum valde, quolibet manè, & in curatione doloris, & in præseruatione ab eo, vti duabus vncijs infrascriptæ potionis.

Recip. Aloës loti unc.s.mellis rosati unc.iij. bulliant in duabus libris aquæ usq; ad consumptionem medietatis, deinde colentur,& colaturã patiẽti dato in diluculo modo dicto.

Ad idem,& est expertum, si patiens capiat de infrascripto electuario per duas horas ante cibum, manè, & vesperi vnciam mediam.

Recip. Diagalangæ, diacimini ana unc.i.mithridati optimi drach.i.misce, & fiat electuarium.

Ad idem.

Expertum est,quòd si patiens capiat drachmam unam & mediam mithridati optimi in diluculo, & immediatè superbibat haustum unum uini maluatici, confestim curabitur æger à dolore frigido stomachi.

Ad idem, vbi ex vehementia doloris necessitas vrgeret, expertum est hora doloris dare patienti infrascriptum bolum, nam subito releuabitur à dolore.

Recip. Diagalangæ,diacimini ana drac.ij. philonij Romani drach.i.misce, & fiat bolus.

Ad idem.

Vbi patientis uirtus esset fortis, experientia compertum est,dare patienti drachmas duas Philonij Romani post uehementiam doloris, statim dolorem curare.

Ad idem,secretum est, & expertum, in hora doloris dare patienti infrascriptum potum, statimq; releuabitur patiens à dolore.

Recip. Aquæ destillationis camomillæ unc.v.nucis muscatæ

tæ ſubtiliter pulueriza tæ unc.s.miſce, & calidus talis potus patienti exhibeatur.

Ad idem, & maximè pro mulieribus patientibus dolorē ſtomachi per conſenſum à matrice: valet quoque in viris à cauſa frigida.

Recip. Aquæ deſtillationis matricariæ lib.i. ſpicæ, ſquinanti ana drach.i.s. bulliant uſq; ad conſumptionem medietatis, deinde colentur, & de colatura quolibet mane in diluculo dabis patienti uncias duas.

Ad idem.

Eſt expertum, & ſecretum, quòd ſi patienti quolibet ueſperi, in ingreſſu lecti dentur trià grana maſticis ad tranſglutiendum, præſeruat à dolore ſtomachi, atq; ipſum curat.

Ad idem.

Præcedente euacuatione compertum eſt omnes dolores frigidos ſanare aqua balnei Porectani, ſi patiens, ſtomacho ieiuno, bibat illius aquæ tria bochalia, ſi uerò non habuerit Porectanā aquam, ſciat omnes aquas minerales, quarum minera eſt aluminoſa, uel nitroſa, uel ſulphurea omnes ſtomachi dolores à cauſa frigida curare.

Ad idem, compertum eſt, ſequentem fomentationem dolorem ſtomachi efficaciſsimè curare.

Recip. Florum camomillæ, meliloti, menthæ, pulegij, calamenti, abrotani, fœnugræci, ſeminum lini ana M.i. roſarum rubearum, ſpicæ, ſquinanti ana drach.ij. dauci, carui, aniſorum, anethi, fœniculi ana M.s. galangæ, zedoariæ ana drach.ii. garyophyllorum, nucis muſcatæ, ligni aloës, macis, coraliorum rubeorum ana drach.i. bulliant omnia in ſufficiēti quantitate aquæ, & uini albi odoriferi uſq; ad conſumptionem tertiæ partis, deinde cum ſpongia infuſa in prædicto li-

quore

quore calido, manè & uesperi ante cibum stomachus fomentetur, & immediatè post fomentationem factam, quotidie ungatur stomachus sequenti unguento.

Recip. Olei spicæ, olei masticis, olei absinthij ana unc. i. nucis muscatæ, ligni aloës, garyophyllorum, coraliorum rubeorum ana drach. s. puluerizentur puluerizanda, & cum modico ceræ fiat unguentum molle pro stomacho.

Ad idem, expertum est, fomentare stomachum manè, & vesperi, & in hora doloris modo sequẽti.

Recip. Olei de spica facti in duplici uase lib. i. & tepefiat oleum, & cum lana succida infusa in prædicto oleo fomentetur stomachus: & ultima uice relinquatur lana succida super stomachum ligata.

Ad idem, mirabilem effectum inuenies, si patiens continuè portet super stomachum sequentem sacculum.

Recip. Absinthij, menthæ, pulegij, calamenti ana M. s. nucis muscatæ, garyophyllorum, macis, ligni aloës ana drac. i. puluerizentur omnia subtiliter: & ex illis fiat sacculus: qui anteaquam stomacho applicetur, suffumigetur cum uino albo odorifero.

Ad idem, efficacius videbis experimentum si patiens suprà stomachum deferat continuè sequẽs cærotum.

Recip. Masticis unc. iij. macis, garyophyllorum, cinnamomi electi, coraliorum rubeorum, seminum rosarum rubearũ ana drach. ij. absinthij sicci, menthæ siccæ ana M. s. puluerizentur omnia subtiliter, & cum succo absinthij densentur pulueres: demùm cum modico oleo de mentha, & cum cæra, & pice quantum sufficit fiat cærotum secundum artem:

cuius

cuius cæroti quantitas extendatur supra corium, & stomacho applicetur.

Ad idem, & est secretum: & semper me bene reperi in curatione doloris stomachi in hora doloris, & etiam in præseruatione, si patiens quolibet mane ante prandium, stomacho ieiuno capiat tria cochlearia sequentis misturæ.

Recip. Mellis rosati colati unc. vi. nucis muscatæ drach. i. s. aquæ uitis optimæ unc. ij. bulliant insimul usq; ad consumptionem aquæ uitis, deinde colentur, & de colatura patiens capiat modo dicto.

Ad idem, & est expertum, applicare stomacho patientis infrascriptum remedium, dolorem stomachi curare.

Recip. Crustæ panis furfuracei numero. i. & superior, uel inferior pars torrefiat mediocri torrefactione, deinde cũ uino maluatico calido madefiat talis crusta panis, & eidem superaspergatur puluis sequens.

Recip. Masticis, garyophyllorum, nucis muscatæ ana drach. i. macis, cinnamomi ana drach. s. puluerizentur subtiliter, & fiat puluis, & uidebis ex hoc experimento calido, stomacho applicato, quàm celerrimè dolorem sedari.

Ad idem, est optimè expertum, præcipuè in pueris, & infantibus patientibus dolorem stomachi, cuius signum erit infantiũ eructuatio, & vomitus.

Recip. Medullæ panis furfuracei unc. iiij. torrefiant: demùm subtiliter puluerizentur: cui adde succi absinthij, succi menthæ ana quantum sufficit ad incorporandum puluere: quibus addatur nucis muscatæ drach. i. hisq; omnibus mistis fiat uti unguentum: quod applicatum stomacho, dolorem sedat,

dat, uomitum retinet, singultumq; , & eructuationem tollit.

DE APOSTEMATE STOMACHI.

CAPVT XX.

A PRINCIPIO generationis apostematis stomachi, præcedente uentris lenitione inuentum est, phlebotomiam basilicæ lateris dextri prohibere ipsius generationem, si quidem phlebotomia fuerit copiosa usq; ad sex uncias sanguinis: sequenti uerò die compertum est, appositionem sanguisugarum hæmorrhoidibus maximè conferre prohibitioni generationis apostematis stomachi.

Ad idem.

Experientia compertum est, prohibere generationem apostematis stomachi assiduè uti in prandium, & ante cœnã immediatè uncia media floris cassiæ nouiter tractæ: imò dico tibi, quòd qui utetur tali assumptione cassiæ, præseruabitur ab omni mala stomachi affectione.

Ad idem.

Compertum est per experientiam, quòd patiens timorem generationis apostematis, si frequentabit quolibet mane masticare drachmam mediam reubarbari electi misti cum duabus drachmis passularum enucleatarum, manifestè dignoscet prohibitionem generationis apostematis, & cuiuslibet affectionis ipsius stomachi.

Ad idem, si apostema generatum in stomacho esset à causa calida, à principio frequentare sequentem potum, prohibet generationem ipsius apostematis tum repercutiendo materias è stomacho, tũ prohibendo fluxum ab hepate ad stomachum.

Recip. Aquæ plantaginis, rosatæ, acetosæ ana lib. s. succi ace-

ci acetosæ, succi plantaginis, ana unc.iij. sandalorum rubeorum, alborum, ana drach.ij. rosarum rubearum, granorum myrti ana unc.s. bulliant simul usq; ad consumptionem mediætatis aquæ: deinde coletur aqua, & colaturæ adde uini granatorum acetosorum lib.i. iterum bulliant leui ebullitione, & cum sacchari quantum sufficit fiat iulep: de quo patiens frequenter in die capiat duo, uel tria cochlearia.

Ad idem, in materia calida, confert assumptio sequentis liquoris pluries in die.

Recip. Aceti passulati lib.i. sacchari albi lib.s. bulliãt adinuicẽ, quousq; efficiatur forma iulep. Et nota, quòd ubi materia esset fluxa ad stomachum, quod dignoscemus dolore forti, & tumore ad tactum apparenti, & grauedine in stomacho, existentibus omnibus his remedia prædicta non sunt cõferentia: quia illis compingeretur materia in loco: & esset causa citissimæ generationis apostematis. Si uerò transactum fuerit principium generationis apostematis stomachi, & simus in augmento ipsius, quod prædictis signis dignosceretur, tunc temporis tu indiges euacuatione, & digestione materiæ, quoniam tui intentio est semper prohibere factionem apostematis, atq; eius magnificationem. Facta igitur prædicta phlebotomia, ad apostema stomachi inuentum est, digerere materiam sequenti Syrupo, & eam euacuare sequenti medicina multùm conferre. Syrupus talis est.

Recip. Syrupi de duabus radicibus, uiolati, mellis rosati colati ana unc.s. oxymellis simplicis drach.ij. aquarum fœniculi, absinthij, capillorum ueneris ana unc.i. misce pro singulis sex diebus. Sequenti uerò die, id est, septima, capiat patiens infrascriptam medicinam.

Recip. Mannæ granatæ electæ unc.ij.s. reubarbari electi drach.

drach.ij. ſpicæ gra x. miſce, & fiat potus cum decoctione communi florum, & fructuum, qui potus detur patienti in diluculo. Et aduerte, quòd in diſpoſitionibus ſtomachi, & præcipuè in apoſtemate, non debes tranſcendere medicinam benedictam, quoniam medicinæ laborioſæ, & ſcammoneatæ ultra hoc, quòd agitant corpus, & membra, conducunt materias ad locum apoſtematis, & ideo ipſum augmentant: idcircò caue ab exhibitione pilularum, & quorumcunq; ſoluentium in ſtomacho diu morantium. quapropter caſſia fiſtula eſt ſublime remedium in quocunq; tempore apoſtematũ ſtomachi. Facta euacuatione, tui intentio debet eſſe ad reſolutionem materiæ facientis apoſtema. & ad hoc experientia inuentum eſt, quòd ſi patiens capiat. ſtomacho ieiuno, quolibet mane drachmam unam ſequentis puluеris cum iure pullæ, reſoluetur materia faciens apoſtema.

Recip. Praſſij ſicci, abſinthij ſicci, mẽthæ ſiccæ ana drac. i. galangæ, ligni aloës ana drach. s. miſce, & fiat puluis ſubtiliſſimus, & qui patienti detur modo dicto.

Ad idem, compertum eſt multùm conferre, ſi patiens frequentet miſturam ſequentem, ſtomacho ieiuno manè, & veſperi.

Recip. Diagalangæ unc. i. aromatici roſati unc. i. s. tria ſandalorum unc. s. penidiarum ad pondus omnium, miſce, & cum ſyrupo de mentha fiat electuarium.

Ad idem.

Eſt bene expertum, ſi patiens capiat in diluculo quolibet mane uncias ſex aquæ deſtillatæ camomillæ, curari ab incepto ſtomachi apoſtemate.

Ad idem, ſublime remedium eſt ſequens conditum.

Recip. ſucci enulæ depurati unc.iiii. ſucci abſinthii nouiter facti unc.ii. ſacchari quantum ſufficit, & fiat ad modum loch, & exhibeatur patienti modo dicto, ſcilicet mane, & ueſperi ante cibum.

Ad idem, compertum eſt experientia, quòd ſi patiens tribus diebus continuis ſtomacho ieiuno capiat infraſcriptum potum ſanabitur ab apoſtemate ſtomachi, ubi tentamus materiæ reſolutionem.

Recip. Aquæ camomillæ, endiuiæ ana unc.s. aquæ optimæ ardentis drach.i. miſce, & fiat potus.

Ad idem, & eſt expertum, & optimum, dare patienti per ſex dies continuos ſtomacho ieiuno infraſcriptum potum: multùm enim ualet in reſolutione apoſtematis ſtomachi.

Recip. Vini maluatici unc.s. aquæ endiuiæ drach.ii. olei uitrioli Romani guttas duas: miſce, & detur patienti modo dicto.

Ad idem, intentione habita ad reſolutionẽ apoſtematis ſtomachi, per ea, quæ exterius applicãtur, expertum eſt ſequentem fomentationem multùm conferre, ſtomacho applicatam manè, & ueſperi ante cibum.

Recip. Florum camomillæ, meliloti, anethi, fœnugræci, ſemium lini ana M.s. abſinthii menthæ ana M.i. nucis muſcatæ, ligni aloës, garyophyllorum ana drach.ii. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſq; ad conſumptionem tertiæ partis deinde cum ſpongia fomentetur ſtomachus.

Ad idem, & eſt expertũ, applicare ſtomacho manè, & veſperi poſt prædictam fomentationem, ſequens vnguentum, bene conferre.

Recip.

Recip. Mucillaginis althææ, mucillaginis fœnugræci, mucillaginis seminis lini ana drach. i. olei spicæ, olei absinthij ana unc. s. garyophyllorum, macis, nucis muscatæ ana drach. i. puluerizentur puluerizanda, & cum modico cæræ fiat unguentum molle.

Ad idem, & est secretum mirabile, applicare stomacho etiam apostemato sequens emplastrum, notabiliter conferre.

Recip. Mellis albi lib. ij. absinthii uiridis unc. s. radicum althææ unc. i. s. omnia insimul bulliant usq; ad eorum perfectam decoctionem, deinde adde farinæ fœnugræci, farinæ seminum lini ana ℔ p. i. olei absinthii quantum sufficit ad impinguandum emplastrum, quod stomacho apostemato applicetur continuè, manè, & uesperi mutando.

Ad idem, & est expertum, & secretum, cum quo sæpius bene me reperi.

Recip. Terebentinæ lib. ii. succi absinthii, succi althææ ana unc. iiii. butyri recentis unc. i. croci drach. i. olei absinthii unc. ii. misce. & unica bullitione bulliant, deinde cum filtro madefacto cum prædicto liquore calido manè, & uesperi fomentetur stomachus: & subitam materiæ resolutionem uidebis.

Ad idem, & est expertum.

Recip. Emplastri de meliloto lib. i. olei amygdalarum dulcium lib. s. croci drach. i. misce, & iuxta ignem liquefiant, & cum lana succida madefacta in prædicto liquore calido, manè, & uesperi apponatur ipsi stomacho.

Ad idem.

Sæpius per me expertum, & benè succesit in apostemate stomachi, quolibet mane per septem dies dare, stomacho ie-

iuno, drachmas duas terebentinæ lotæ cum aqua absinthij, & immediatè stomacho applicare sequens cærotum.

Recip. Hyssopi cæroti unc.i. emplastri de meliloto unc.s. olei amygdalarum dulcium unc.i. misce, & extendatur super petiam, & calidum stomacho applicetur.

Si uerò prædictis ingenijs noluerit apostema stomachi obedire resolutioni, cuius signum erit doloris augmentum, tumoris incrementum, & grauitas admodum aucta, tunc debet medicus sequi suppurationem intentam à natura, ad cuius apostematis suppurationem expertum est sequens emplastrum multùm conferre.

Recip. Radicum ireos unc.ij. foliorum maluæ cum radicibus, uiolariæ ana M.i. radicum althææ mundatarum, & minutim incisarum unc.iij. florum camomillæ, meliloti ana M.i. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ ad consumationem duarum tertiarum, deinde adde farinæ frumenti M.i. farinæ fœnugræci, farinæ seminum lini ana M.s. pinguedinis porci, butyri recentis ana unc.i. lactis uaccini unc. ij. olei amygdalarum dulcium, olei camomillæ ana quantum sufficit ad impinguandum emplastrum: quod supra apostema stomachi continuò deferatur.

Ad idem, optimè expertum est in maturatione apostematis stomachi.

Recip. Diachilonis magni drach.ij. unguẽti mollitiui unc. i. mucillaginis althææ, maluæ ana unc.i. mucillaginis caulium unc.iij. croci drach.i. misce, & iuxta ignem omnia benè liquefiant, & filtrum madefactum in illo liquore applicetur stomacho pluries in die.

Ad idem, citam inuenies apostematis stomachi maturationem, si quater in die naturali ei applicaueris

ueris ſequens remedium.

Recip. *Farinæ frumenti lib.i. fermenti unc.ij. aquæ fontis lib.i. olei amygdalarum dulcium unc.iij. croci drach.ij. miſce, & apud ignem bene ducantur, quouſq; fiat ueluti unguentũ, & ipſum extenſum ſuper lanam ſuccidam, uidebis optimam apoſtematis ſtomachi maturationem. quo apoſtemate maturato, quod dignoſces per decrementum tumoris, doloris, & grauitatis membri, cum apparentia mollitiei ad tactum in loco doloris, tunc debes procurare ipſum apoſtema diſrumpi, diſrumpitur apoſtema pluribus ingenijs.*

PRIMVM *ingenium eſt, præcipere patienti, ut fortimotu moueatur, quo anhelitus augeatur, & adaucta neceſſitate euentationis, pelliculæ ſtomachi extendantur, & apoſtema diſrumpatur.*

SECVNDVM *ingenium eſt, ut facta fricatione forticum manibus, ſtomachus fricetur, et apoſtema diſrumpatur.*

TERTIVM *ingenium eſt, prouocatio ſternutationum frequentium cum pipere, pyrethro, nigella, uel elleboro albo.*

QVARTVM *ingenium eſt, fortis uociferatio.*

QVINTVM *ingenium eſt, applicatio ſequentis emplaſtri ipſi loco apoſtematis.*

Recip. *Farinæ orobi, frumenti ana M.i. fermenti unc.s. ſaponis gallicani drach.ij. ſtercoris columbini unc. s. olei de caſtoreo, de euphorbio ana drach.ij. miſce omnia, & iuxta ignem bene ducantur, quouſq; fiat forma emplaſtri, quod ſtomacho calidum applicetur, & mutetur per ſpatium decem horarum, & diſrumpetur apoſtema ſine dubio. Diſrupto autem apoſtemate, quod utiq; cognoſcitur per exeuntia mutata, per urinam ſubalbidam, & turbulentam, & per exeun-*

tia per secessum sanguinolenta, & sanioſa, & per uomitum sanguinolentum, & sanioſum: tunc repentè tui intentio ſit, mundificare ulcus, ne profundetur, & ſtomachi tunicas penetret: ideò patienti iubebis, ut decies in hora capiat hauſtum unum ſequentis aquæ tepidæ.

Recip. Aquæ hordei factæ cum hordeo non ſcorticato lib. ii. mellis roſati unc. iii. miſce, & bulliant unica bullitione, & uſui patienti detur: & ſic mundificato, & abſterſo optimè ulcere, natura ipſum conſolidabit, ſi Deus uoluerit.

DE VOMITV. CAP. XXI.

Ad vomitvm cholericum, qui cognoſcitur ab exeunte mutato, quod eſt cholera, cuiuſcunq; modi, & qualitatis fuerit, expertum eſt ſequens medicamentum multùm conferre.

Recip. Floris caſſiæ nouiter tractæ unc. i. reubarbari electi drach. ii. ſpicæ gran. x. Reubarbarum cum ſpica ſubtiliter incidatur, & cum modico uini albi odoriferi irroretur, & diſſoluantur omnia cum decoctione communi florum, & fructuum quantum ſufficit. & exhibeatur patienti per horam ante lucem.

Ad idem, expertum eſt, poſt euacuationem, manè, & veſperi ante cibum dare patienti vnciam vnã ſequentis liquoris: & videbis mirabilem effectum in ſedatione vomitus cholerici.

Recip. Succi citoniorum lib. i. coraliorum rubeorum, ſeminum roſarum rubearum ana drach. i. hypociſtidis acatiæ ana drach. s. reubarbari electi drach. i. omnia contundenda contundantur groſſo modo, & cum prædicto ſucco bulliant uſq; ad conſumptionem tertiæ partis ſucci, & deinde colentur,

tur, & colatura usui reseruetur modo dicto. Et scias, hoc remedium esse secretum in curatione dysenteriæ.

Ad idem, optimè expertum est: & præcipuè si vomitus fuerit periodicus: dare patienti per horam ante accessum vomitus, uel in hora uomitus, infrascriptum potum, & cibum.

Recip. Buccellam panis torrefactam, supra quam aspergantur uini granati acetosi unciæ quatuor. Comedat patiens buccellam panis, & bibat uinum.

Ad idem, & est expertum, mirabiliter tollens uomitum cholericum, dare patienti manè, & uespe ri, stomacho ieiuno unã de infrascriptis formulis.

Recip. Seminũ acetosæ, plantaginis, portulacæ ana drac. i. granorum granatorum muzorũ drach. i. s. hypocistidos, acatiæ. hyssopi ana drach. i. s. specierum aromatici rosati scrup. ii. puluerizentur omnia subtilissimè, & cum saccharo dissoluto in aqua rosata quantum sufficit fiat confectio in rotulis drachmarum duarum pro qualibet.

Ad idem, optimè expertum est, inungere stomachum sequenti unguento, multùm conferre in uomitu cholerico.

Recip. Olei citoniorum, rosati ana unc. i. absinthii unc. s. coraliorum rubeorum, rosarum rubearum ana drach. s. nucis muscatæ drach. i. puluerizentur puluerizanda, & cum modico cæræ fiat unguentum molle pro stomacho, cum quo manè, & uesperi ante cibum inungatur stomachus.

Ad idem, & est secretum in ablatione uomitus, tam in febrientibus, quàm in non febrientibus à materia cholerica, dare patienti quolibet manè in diluculo infrascriptum potum.

Recip. Syrupi roſati de roſis ſiccis unc.i.s. aquæ plantaginis unc.iij. trochiſcorum de ſpodio cum ſeminibus acetoſæ drach.i. puluerizentur puluerizanda, & miſce pro una uice.

Ad idem, & eſt optimum, applicare ſtomacho ſequens emplaſtrum.

Recip. Citonij cocti ſub cineribus numero.i. coraliorum rubeorum, roſarum rubearum ana drach.ij. puluerizentur puluerizanda, & omnia in mortario bene ducantur, & contundantur, & cum modico olei roſati, fiat emplaſtrum, & calidum ſtomacho applicetur. Si uerò uomitus quantumcũque cholericus ad modum ægrum infeſtaret, conſentiente ætate, & robore uirtutis, conſulo, ueluti remedium efficaciſſimum, ſecare uenam baſilicam dextram ipſius patientis, & extrahere ipſius ſanguinis uncias quatuor, uel quinque ad plus. Si uerò uomitus fuerit à cauſa frigida pituitoſa, uel melancholica, quoniam uomitum cognoſcimus ex exeunte ipſo mutato, quippe album, uel nigrum apparebit, tunc expertum eſt medicinam hanc à principio multùm conferre.

Recip. Diaſenæ lenitiui, diacatholiconis ana unc.s. epithymi drach.i.s. agarici præparati ſcrup.ij. miſce, & diſſoluantur omnia cum decoctione communi florum, & fructuum quantum ſufficit.

Ad idem, mirabile eſt, & ſecretum in ſedatione vomitus pituitoſi, dare patienti infraſcriptum cõdimentum quolibet mane ſtomacho ieiuno.

Recip. Vitelli oui cocto numero.i. thuris, maſticis, ana ſcrup.i. puluerizentur puluerizanda, & pulueres aſpergantur ſuper ouum, quod patiens bibat.

Ad idem, eſt mirabile, & expertum in vomitu frigido, & in curatione ventoſitatum ſtomachi, dare pa-

re patiẽti manè, & veſperi ante cibum tria cochlearia infraſcripti condimenti.

Recip. Succi citoniorum lib.s. maſticis, macis, garyophyllorum, nucis muſcatæ ana drach.ij. coraliorum rubeorum, roſarum rubearum ana drach.i. bulliant inſimul uſque ad conſumptionem tertiæ partis ſucci, deinde colentur cum forti expreßione, & colaturam uſui reſerua modo dicto.

Ad idem, expertum eſt, dare patienti quolibet mane ante cibum vnam de ſequentibus rotulis, multùm conferre in vomitu frigido.

Recip. Specierum diagalangæ, ſpecierum aromatici roſati, ſpecierum aromatici garyophyllati ana drach.i. ſacchari diſſoluti in aqua menthæ quantum ſufficit, fiat confectio in rotulis duarum drachmarum pro qualibet uice, & ſtatim patiens poſt ſorbeat hauſtum uini maluatici.

Ad idem valet, quoniam vomitus frigidus, eſt diuturnus morbus, ideo expertum eſt, plurimùm conferre, ſi patiens regatur digeſtione facta in materia, & illius purgatione: continuet igitur infraſcriptum ſyrupum per ſeptem dies continuos in diluculo bibitum.

Recip. Oxymellis ſimplicis, ſyrupi de mentha, mellis roſati colati ana unc.s. aquarum fœniculi, betonicæ, menthæ, ana unc.i. miſce, et aromatizetur cum modico cinnamomi per noctem totam. octauo uerò die per duas horas ante lucem capiat infraſcriptas pilulas.

Recip. Pilularum cochiarum, pilularum ſtomachalium, elephanginarum ana ſcrup.i. diagridi gran.i.s. miſce, & fiant pilulæ numero v. corpore ſic euacuato.

Ad idem, expertum eſt & ſecretum, dare patienti quo-

ti quolibet mane per ſeptem horas ante cibum infraſcriptum bolum.

Recip. Citonei cocti unc. i. s. theriacæ magnæ drach. i. ſacchari albiſſimi ſubtiliter pulueriʒati drach. ii. miſce, & fiat bolus, qui detur patienti per ſeptem dies continuos: & magnum uidebis iuuamentum in ſedatione uomitus frigidi.

Ad idem, expertum eſt, & ſecretum, dare patienti quolibet mane per tres horas ante cibum vncias duas infraſcripti potus.

Recip. Vini maluatici optimi unc. vi. garyophyllorum, cinnamomi electi, nucis muſcatæ ana drach. i. coriandrorum præparatorum, ſeminum citoniorum, coraliorum rubeorum ana drach. s. bulliant uſq; ad conſumptionem tertiæ partis ui ni, deinde coletur, & colatura uſui ſeruetur modo dicto.

Ad idem, & eſt expertum, dare patienti immediatè manè, & veſperi ante cibum, tria cochlearia infraſcripti liquoris multum conferre, dato etiam quòd adeſſet febris.

Recip. Miuæ citoniorum aromatizatæ unc. ii. ſyrupi de mentha unc. i. miſce, & detur patienti modo dicto.

Ad idem, experientia compertum eſt ſemper cònferre, applicare ſtomacho patientis infraſcriptum cærotuu, & videbis ægrotum repentè releuari à vomitu frigido.

Recip. Maſticis unc. iiii. olibani, macis, garyophyllorum, nucis muſcatæ ana drach. i. s. ſeminum portulacæ, coriandrorum præparatorum, ſeminum acetoſæ ana drach. i. menthæ ſiccæ, abſinthii ſicci ana unc. s. pulueriʒentur omnia ſubtiliter, & cum oleo de mentha denſentur pulueres: & cum pice, & cæra quantum ſufficit fiat cærotum, cuius quanti-

tas

tas sufficiens extensa super corium stomacho patientis applicetur.

Ad idem, & est expertum optimè, si manè, & vesperi immediatè ante cibum detur patienti bis in septimana vna de infrascriptis pilulis, mirabiliter conferre.

Recip. Aloës loti drach.ii. masticis drach.i. zinziberis drach.s. diagridii scrup.i. agarici electi drach.i.s. misce cum syrupo de mentha, reformetur pasta pilularum. dosis est numero.i. ad quantitatem unius scrupuli. Quòd si cum prædictis ingeniis non curetur uomitus frigidus, consulo, ut patiens bibat per aliquot dies aquam alicuius mineræ, uidelicet aquam sulphuream, uel aluminosam secundum modum, et formam exhibitionis huiusmodi aquæ. Et hæc de uomitu.

DE SINGVLTV. CAP. XXII.

Ad singvltvm ortum ex repletione, compertum est multùm conferre, si patiens capiat infrascriptas pilulas bis in septimana.

Recip. Turbith boni, & gummosi drach.ii. aloës hepatici drach.i.s. zinziberis, salis gemmæ ana grana x. specierum hieræ simplicis Galeni, drach.ii. agarici præparati scrup.iii. misce, & cum oxymelle simplici fiat pasta pilularum, dosis est scrup.iiii. & ex his pilulis uidebis ægrum citissimè releuari à singultu ex repletione.

Ad idem, & est expertum.s. dare patienti quolibet manè, & vesperi ante cibũ per duas horas vnc. ij. infrascripti liquoris, singultum curare.

Recip. Vini albi odoriferi potentis lib.i. galangæ subtiliter pulueriza tæ drach.i. misce, & fiat potus, qui calidus patienti

tienti detur modo dicto.

Ad idem, expertum est in singultu optimè valere, dare patienti infrascriptum bolum per duas horas ante lucem.

Recip. Mithridati optimi drach.i.s. diagalangæ drach.ij. misce, & fiat bolus, qui exhibeatur patienti, & immediatè superbibat haustum uini optimi, & potentis.

Ad idem, compertum est, multum conferre sequentem mixturam, si detur patienti manè, & uesperi ante cibum per horam, ad quantitatem nucis magnæ.

Recip. Diagalangæ unc.i.s. diatrion pipereon unc.i. specierum aromatici rosati drach.ij. misce cum syrupo de mentha, fiat electuarium, quod exhibeatur modo dicto.

Ad idem, compertum est, semper conferre, & curare singultum de repletione, fomentare.s. stomachum cum sequenti fomento.

Recip. Macis, masticis, garyophyllorum, cinnamomi, nucis muscatæ, ligni aloës ana drach.ij. absinthij, menthæ, pulegij ana M.i. squinanti, spicæ ana drach.ij. anisorum, coriandrorum præparatorum ana M.s. bulliant omnia in sufficienti quãtitate uini rubei potentis, & etiam albi, omnibus subtiliter contusis, & cum panno scarlatino fomentetur stomachus modo dicto.

Ad idem, expertum est & secretum, dare patienti quolibet mane per tres horas ante cibum, radicem unam zinziberis uiridis: & immediatè superbibat duos haustus uini maluatici, & uidebis ægrũ citissimè curari.

DE DOLORE HEPATIS.

CAPVT XXIII.

AD DOLOREM *hepatis à sola uentositate pendentem, sublime remedium est per intus assumere infrascriptum electuarium manè, & uesperi ante cibum.*

Recip. Radicum galangæ, zedoariæ ana drach.ij. spicæ, squinanti ana drach.i. garyophyllorum, nucis muscatæ ana drach.s. puluerizentur omnia subtiliter, & cum melle despumato quantum sufficit fiat electuarium.

Ad idem, compertum est fomentum sequens soluere hepatis ventositatem.

Recip. Fœnugræci, semi. lini, florum camomillæ, meliloti ana M.i. spicæ, squinanti ana drach.ij. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis, de inde cum spongia fomẽtetur hepar. Si uerò dolor hepatis fuerit à præsentia materiæ oppilantis uias hepatis, ut simus in cura doloris hepatis, per oppilationem, sicut frequenter cõtingit hominibus, expertum est primo, phlebotomare basilicam lateris dextri, quoniam ea fit materiæ deriuatio ad aliud membrum, & ideo extrahe sanguinis quantitatem usque ad sex uncias: est enim hæc phlebotomia optima cura oppilationum hepatis, & principale remediũ. Neq; propter hanc curam uolo, ut in principio pleuritidis fiat phlebotomia ex eodem latere, quoniam in pleuritide ab alienis partibus fluctuant humores ad membranam subcingentem costas: oppilatio uerò & eius generatio in hepate plurimum fit ab humoribus genitis in eo: quapropter in principio pleuritidis uti debemus reuulsione, in oppilatione uerò hepatis, uel illius apostematis deriuatione uti debemus, uel euacuatione. Facta phlebotomia, & obseruato debito regimine, non augumen-

tante

tante oppilatione, consulo, ut tertio die patienti detur infrascripta medicina, qua ipsa sola oppilatio, & dolor hepatis optimè amoueri poterit.

Recip. Diacatholiconis unc.i. Reubarbari electi drac.ij. spicæ gra.vij. infundatur reubarbarum cum spica secundum artem datam à Mesue per x. horas. Deinde fiat fortis expressio, & cum decoctione communi florum, & fructuum quantum sufficit fiat potus. Facta euacuatione expertum est, quòd si patiens regatur in digestione materiæ oppilantis, cum sequenti syrupo diebus septem continuis in diluculo assumpto unà cũ infrascripta medicina. patiens liberabitur ex toto ab hepatis oppilatione, & dolore. Syrupus est sequens.

Recip. Syrupi acetosi diarhodon, syrupi de cicorea cum reubarbaro, Syrupi bisantini, Syrupi de endiuia ana unc.s. aquarum cuscutæ, cicoreæ, luporũ ana unc.i. misce, pro una uice. Octauo uerò die per duas horas ante lucem capiat infrascriptum potum.

Recip. Diacatholiconis, diasebesten lenitiui, diasenæ lenitiui, ana drach.ij. electuarij de psyllio drac.i. reubarbari electi modo dicto infusi drach.i.s. spicæ gra.x. misce, cũ decoctione communi florum, et fructuum quantum sufficit, & fiat potus. His euacuationibus factis, expertum est, quòd si patiens utatur infrascripto electuario indubitatè curabitur à dolore ex oppilatione hepatis, & est electuarium non habens par in tali dispositione.

Recip. limaturæ calibis subtiliter pulueizatæ, & præparatæ drach.iiij. radicum galangæ, zedoariæ ana drach.ij. succi enulæ unc.i.s. amidi, cinnamomi, draganti, ana unc.s. passularum enucleatarum unc.i. pulueriz entur pulueriz anda, & contundantur contundenda, & cum saccharo optimo

mo quantum sufficit secũdum artem fiat electuarium, de quo patiens capiat manè, & uesperi per duas horas ante cibum unc.s.

Ad idem, expertum est multum conferre, si patienti ter in die naturali detur vnc.s. sequentis condimenti mane stomacho ieiuno, & meridie, & in ingressu lecti.

Recip. Passularum enucleatarum lib.i. hepatis lupi unc. iiij. reubarbari optimi, & electi. unc.s. spicæ gran.x. pulue=rizentur pulueriza nda, contundantur contundenda, & cum saccharo quantum sufficit fiat electuarium.

Ad idem, expertum est, sequentem mixturam multum conferre, si detur patienti manè, & uesperi ad quantitatem nucis stomacho ieiuno.

Recip. Diarhodonis abbatis unc.ij. tria sandalorum unc. i. reubarbari electi subtiliter pulueri zati drach.i. misce, & cum syrupo de cicorea fiat electuarium.

Ad idem, expertum est re uera conferens si patiens oppilationem hepatis uel dolorem quolibet mane stomacho ieiuno masticet drach.s. reubarbari electi bene maturi, & immediatè superbibat hau stum uini albi potentis. Multa alia remedia in hac dispositione conferunt, quæ omnia tam quæ exterius applicantur, quàm ea, quæ interius assumuntur, derelinquam, cùm loquar de hydrope.

DE APOSTEMATE HEPATIS.

CAPVT XXIIII.

ATTENDE *quòd curatio apostematis hepatis est prohibere ne fiat, quòd si factum fuerit, eius cura uana est, & cassa,*

& cassa, quoniam tunc cum hepate totum corpus ruit propter ipsum hepar esse membrum principale. Expertum igitur est ad principium generationis apostematis hepatis, quòd phlebotomia copiosa basilicæ lateris dextri prohibet hepatis futurum apostema, semper præmissa uentris lenitione, ut cum cassia, uel cum clysteri lenitiuo.

Ad idem, expertum est, & secretum, quòd si tertia die post phlebotomiam aperiantur hæmorrhoides, citissimum iuuamentum apparebit in prohibitione generationis apostematis hepatis.

Ad idẽ, multũ valet in prohibitione generationis apostematis hepatis post phlebotomias factas ĩtercepta die vna, dare patiẽti infrascriptã medicinã.

Recip. reubarbari electi drach. ij. spicæ gran. x. diacathoticonis unc. i. reubarbarum subtiliter incidatur cum spica, & cum modico uini albi odoriferi irroretur, & cum decoctione communi florum, & fructuum q. s. fiat potus, qui patienti detur in diluculo.

Ad idem, quoniam magna pars curationis apostematis hepatis futuri consistit in apertione oppilationis ipsius hepatis, & in resolutione materiæ facientis apostema in hepate, ideo expertum est, digerere materiam cum sequenti syrupo, & eam eradicatiuè euacuare cum sequenti medicina, multum conferre. Syrupus digerens materiam generantem apostema hepatis est talis.

Recip. Syrupi de cicorea, bisantini, acetosi diarhodon, de endiuia cõpleti ana unc. s. aquarum lupulorum, cicoreæ, cuscutæ ana unc. i. misce pro una uice. continuet patiens syrupum istum per quinq; dies continuos, deinde eradicatiuè purget

get materiam ab hepate, tali pharmaco.

Recip. *Electuarii de psyllio, de dactylis ana drach.i. reubarbari electi drach.ii. spicæ gran.x. diacatholiconis unc.s. infundatur* Reubarbarum *cum spica in aqua endiuiæ, & modico uini albi odoriferi per x. horas, deinde fiat fortis expressio, & omnia simul cum decoctione communi florum, & fructuum q. s. dissoluãtur, & fiat potus, qui exhibeatur patienti per duas horas ante lucem. Purgato corpore cùm phlebotomia, tum pharmacia, & patiens cognouerit perseuerantiam generationis apostematis hepatis, optimè expertũ est, si quolibet mane in diluculo sollicitabit assumere quinque uncias infrascripti liquoris, procul dubio curabitur ab apostemate hepatis futuro.*

Recip. *Reubarbari optimi & electi drach.i.s. aloës hepatici drach.ii. galangæ drach.i. aquæ cuscutæ lib.iiii. sacchari optimi unc.ii. bulliant omnia insimul usq; ad consumptionem tertiæ partis aquæ, deinde colctur, & colatura usui reseruetur.*

Ad idem, expertum est, quòd si patiens vtatur quolibet mane ante cibum per duas horas infrascripta mixtura, sanabitur ab apostemate hepatis.

Recip. *Diarhodonis abbatis unc. iiii. Reubarbari electi subtiliter puluerizati drach.ii. misce cum syrupo de cicorea, fiat electuarium. dosis est drach. iii.*

Ad idem, experientia compertum est, quòd si patiens vtatur infrascriptis pilulis, tribus scilicet ante prandium per duas horas. & tribus ante cœnam, sanabitur à futuro apostemate hepatis.

Recip. *Trochiscorum de spodio sine seminibus acetosæ, Trochiscorum de reubarbaro ana drach.ii. subtiliter pul-*

uerizentur cum syrupo bisantino, formentur pilulæ numero xxiiii.

Ad idem, quoniam materia indiget resolutione, ex experientia comperimus, quòd sequens fomentatio cum infrascripto vnguento tollit generationem apostematis hepatis.

Recip. *Fœnugræci, seminis lini, seminis anethi, seminis acetosæ ana unc.s. florum camomillæ, meliloti, absinthii ana M.i.s. spodii, galangæ, spicæ, squinanti ana drach.ii. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem mediætatis: deinde cum spongia madefacta in prædicta aqua tepida, mane, & uesperi fomentetur hepar, immediatè uerò post fomentationem ungatur regio hepatis cum sequenti unguẽto.*

Recip. *Olei camomillæ, olei spicæ, olei amygdalarum dulcium ana unc.iii. absinthii sicci, spicæ nardi ana drach.i. puluerizentur puluerizanda, & cum modico cæræ fiat unguentum molle.*

Ad idem. Expertum est, quòd si patienti applicetur lana succida intincta in oleo liliorum alborum, & oleo spicæ, curabitur ab apostemate futuro hepatis.

Ad idem, optimè expertum est, si patientis sequens emplastrum hepati applicetur ipsum continuè mutando per diem naturalem, benè conferre.

Recip. *emplastri de meliloto, hyssopi, cæroti, ana lib.s. olei amygdalarum dulcium, olei camomillæ, olei spicæ ana quantum sufficit ad incorporandum, & conducendum emplastrum. Quòd si apostema generetur, tunc debes scire, quòd aut patiens morietur, aut transibit in hydropem. Quare de curatione hydropisis modo dicturi sumus.*

De hydrope. cap. xxv.

Cvm hydrops sit trium specierum, à spiritu scilicet flatuoso una, ab aqua inter cutem altera, à pituitosa materia tertia naturæ rebelli in omnibus membris concentrata.

Quarum prima tympanites, Secunda ascites, Tertia uerò hyposarca nominatur. Ideo ad curationem hydropis à spiritu flatuoso, compertum est, quòd hepatis confortatio, & sui caloris uiuificatio eam curat.

Primo igitur procurabis hepatis confortationem, et spiritus flatuosi resolutionem cum sequenti syrupo per septem dies continuos.

Syrupus talis est.

Recip. Syrupi acetosi, diarhodon, bisantini, mellis rosati colati ana unc.s. aquarum Absinthii, fœniculi, lupulorum ana unc.i. misce, octauo uerò die in confortatione hepatis, & resolutione spiritus flatuosi, expertum est, sequentem medicinam plurimum conferre.

Recip. Anisorum, fœniculi, cartami ana drach.ii. agarici ligati in petia drach.iii. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis, deinde coletur & cum colatura dissolue reubarbari electi subtiliter pulueriza ti drach.ii. spicæ subtiliter pulueriza tæ gran.x. soldanellæ subtiliter pulueriza tæ drach. ii. & fiat potus, qui exhibeatur patienti duabus horis ante lucem, & ex hac medicina tibi succedet optimum iuuamentum.

Ad idem, sic purgata materia, consulo, ut utaris tanquam secreto infrascripto puluere, cuius quolibet mane in diluculo drach.ij. dabis patienti, dissolutam in aqua radicum sambuci, quantum sufficit.

Recip. Abſinthij ſicci, eupatorij ſicci, ſoldanellæ ſiccæ ana drach.ij. ſpicæ ſcrup.ij. puluerizentur omnia ſubtiliſſimè, & fiat puluis, qui exhibeatur, modo dicto.

Ad idem, & tene pro ſecreto, cõpertum eſt plurimum valere, & hydropem ventoſam ſanare, ſi euacuato corpore quotidie manè, & veſperi per duas horas ante cibum dentur patienti tres de infraſcriptis pilulis.

Recip. Trochiſcorum de aniſis, trochiſcorum de cappariibus ana unc.ij. reubarbari electi drach.iij. ſpodij drach.i. ſpicæ ſcrup.ij. ſubtiliter puluerizentur omnia, & cum ſucco abſinthij fiat paſta pilularum. doſis eſt, pilulæ iij. ex ſcrupulis iij. confectæ.

Ad idem, & eſt expertum dare patienti quolibet mane per duas horas ante cibum mediam unciam infraſcriptæ mixturæ multum conferre.

Recip. Succi ireos unc.iij. galangæ, zedoariæ ana drach. ij. cinnamomi, garyophyllorum ana drach.s. ſoldanellæ unc. s. puluerizentur omnia ſubtiliter, & cum melle deſpumato, quantum ſufficit fiat electuarium.

Ad idem, compertum eſt, quòd ſi patiẽti dentur drach.ij. infraſcripti pulueris mirabiliter conferre in hydropiſi ventoſa.

Recip. Vermium terreſtrium in umbra exiccatorũ lib.s. ſed antea abluantur in uino albo potenti, galangæ drach.ij. aniſorum drach.i. puluerizentur omnia ſubtiliſſimè, & modo dicto exhibeatur patienti puluis iſte diſſolutus in aqua decoctionis aniſorum & radicis Ireos.

Ad idem, optimè expertum eſt curare hydropẽ ventoſam, ſi patienti propinetur quotidie vna de infra-

infraſcriptis pilulis per tres horas ante lucem.

Recip. Reubarbari electi drach.ij. ſpicæ gran.x. elaterij optimi drach.i. puluerizentur omnia ſubtiliter, & cum ſucco ireos fiat paſta pilularum. & aduerte, quòd ſupradicta pilula non detur patienti febrem, neq; patienti debilitatẽ uirtutis, quoniam elaterium ſæuiſſima inducit accidentia, ut tremoris, uiolenti uomitus, & quandoq; epilepſiæ. Et mirabilem uidi effectum in curatione Hydropiſis uentoſæ, ſi quolibet mane in diluculo detur patienti infraſcriptus potus.

Recip. Aquæ radicũ ebuli unc. ii. ſambuci unc. iiij. miſce. continuabis ſic potum iſtum per triginta dies continuos, & mirabile iuuamentum reperies.

Ad idem, expertum eſt, immo ſecretum, ſi patiens regatur infraſcripto remedio citiſsimè curabitur ab hydrope ventoſa, videlicet, ſi mane in ortu auroræ, capiat pilulam unam de infraſcriptis pilulis unius ſcrup. demum poſt tres, uel quatuor horas applicet toti uentri tumido infraſcriptum antidotum. Pilula hæc eſt.

Recip. Pilularum aggregatiuarum ſcrup.ij. Elaterij optimi gran. iiij. miſce: & fiant pilulæ numero tres. Antidotus talis eſt.

Recip. Vrinæ pueri non polluti lib.i. ſalis nitri præparati drach. vi. bulliant unica ſorti ebullitione inſimul ad ignem palearum uſq; ad conſumptionem tertiæ partis urinæ. Deinde cum prædicta urina calida diluatur uenter ſeu aluus, ſorti ſemper facta frictione cum manu, et ex hoc uidebis iuuamentum optimum in hydrope uentoſa.

Ad idem, præeuacuato corpore, ſublime remedium eſt ſequens.

Recip. Stercoris caprini, bouini ana lib.i. exiccentur in furno usq; adeo ne comburantur. Deinde subtiliter pulueri-zentur, & pulueres incorporentur cum succo absinthii, & cum oleo rutaceo quantum sufficit, adeò quòd fiat simile lini-mento. Demùm illius certa quantitas extendatur super pa-num lineum, & calida uentri applicetur, cum ibit patiens dormitum. mane uerò sequenti diluat sibi uentrem cum se-quenti uino calido.

Recip. Vini albi potentis, & odoriferi lib. iiij. saluiæ, ro-ris marini ana M.i. bulliant insimul usq; ad consumptionem quartæ partis uini, & cum dicto uino fiat ut supra dictum est. Diluto uerò uentre statim patiens capiat bolum infra-scriptæ mixturæ.

Recip. Diagalangæ unc.i. aromatici rosati, tria sanda-lorum, diarhodonis abbatis ana unc.s. misce cum melle rosa-to, & fiat electuarium.

Ad idem, & bene expertum, si fomentetur al-uus patientis cum sequenti sacculo calido multum conferre.

Recip. Cimini, anisorum, milij, florum camomillæ, meli-loti, salis communis ana M.i. furfuris grossi M. ij. Cale-fiant omnia ista in uase stagnato, demum irrorentur cum ui-no albo optimo, & in sacculo reponantur, & dictus saccu-lus uentri applicetur.

DE HYDROPE ASCITE.

Ad Hydropem ascitem compertum est ex ex-perientia phlebotomiam, & quemlibet alium mo-dum euacuationis sanguinis ægrum interficere. Quapropter consulo, quòd in Ascite, sicut neq;

in alia

in alia ſpecie hydropiſis medicus non ſit audax ſuper phlebotomiam: ſed in primis compertum eſt, quòd confortare hepar, & digerere materiam peccantem, & ipſam digeſtam euacuare eſt ualde conueniens. Continuet igitur à principio patiens diebus ſeptem continuis infraſcriptum ſyrupum.

Recip. *Syrupi de eupatorio, de Cicorea cum Reubarbaro, biſantini, acetoſi, diarhodon ana unc.s. aquarum cuſcutæ, abſinthii, capillorum ueneris ana unc.i. miſce, & detur patenti caldus in aurora. Et expertum eſt, et Medicus hoc debet bene obſeruare in cura Aſcitis, quòd quolibet die aſſumptionis prædicti ſyrupi ſtomacho ieiuno in mane ſequens clyſtere multùm confert.*

Recip. *Soldanellæ M.i.s. mercurialis, florum camomillæ, foliorum maluæ ana M.i. Aniſorum, fœniculi, carui, dauci ana M.i. bulliant omnia in ſufficienti quantitate, aquæ, uſque ad conſumptionem medietatis aquæ, & de colatura.*

Recip. *lib.i. olei rutæ unc.iii. benedictæ unc.i. electuarii de baccis lauri drach.i. uitelli oui numero.i. ſalis communis drach.iii. ſacchari rubei unc.i.s. & imponatur clyſtere, eo enim non ſolum euacuatur aqua citrina faciens aſcitem, ſed & ſoluitur uentoſitas, quæ ſemper iungitur aquoſitati, & eſt cauſa doloris ipſius hydropici. Continuatis ſyrupis cũ his clyſteribus per vii. dies, octauo die purgetur aqua citrina cum ſequenti medicina.*

Recip. *Eupatorii, omnium florum cordialium ana M.s. Agarici ligati in petia drach.i.s. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ cuſcutæ, uſque ad conſumptionem medietatis. Deinde cum colatura diſſolue diacatholiconis drac.vi. Reubarbari electi drach.ii. ſpicæ gran.x. puluerizentur puluerizanda,*

rizanda, & fiat potus, qui patienti exhibeatur per horam ante lucem. et scias quòd hac medicina non solùm euacuatur aquositas inter cutem: sed uirtus hepatis naturalis confortatur, & eius oppilatio tollitur, quæ sunt necessaria in curatione ascitis. Et aduerte quòd in Ascite. & etiam in alia specie hydropisis cauere debes à medicinis fortiter, & laboriosè euacuantibus, quemadmodum est scãmonea, coloquintida, elleborus, elaterium, electuarium de psyllio, & similia, quoniam euacuando debilitant multùm uirtutem naturalem hepatis, quæ est satis debilitata ex ægritudine. Quòd si plerunq; fueris usus prædictis medicinis post euacuationem earum cõpletam debes semper attendere cõfortationi uirtutis hepatis cũ his, quæ infrà dicemus, aliter enim faciendo uirtus hepatis debilitata, tum ægritudine, tum pharmaco caderet, & totum corpus rueret.

Ad idem, post euacuationem in confortatione hepatis & eductione aquositatis citrinæ expertum est, si bis in septimana detur patienti Ascitem sequens potus, deo uolente sanabitur.

Recip. Aquæ hordei, decoctionis radicum ireos unc. iiii. mellis rosati unc. i. soldanellæ subtiliter pulueriza tæ drach. ii. uel. iii. secundum tollerantiam uirtutis patientis, imò usq; ad unc. s. poteris dare, si præcedens dosis non completè operata fuerit, misce, & fiat & potus, qui patienti detur calidus modo dicto, & attende, quòd si patiens per mensem usque ad quadraginta dies continuabit dictum potum, indubitatò sanabitur. & scias quòd soldanella ultra hoc quòd euacuat aquã citrinam, habet proprietatem confortandi hepar.

Ad idem, ubi patiens non assumeret supra dictum potum, expertum est assumere semel in septi

mana

mana infrascriptum potum multùm conferre.

Recip. *Succi ireos quantum capit media testa oui, mellicrati, unc.iiii. reubarbari electi subtiliter puluerizati drac. s. misce, qui exhibeatur calidus patienti in diluculo, & uidebis mirabilem experientiam existo potu.*

Ad idem, consulo ut alternis diebus, in quibus patiens non assumeret aliud solutiuũ per duas horas ante cibum stomacho ieiuno capiat infrascriptam pilulam continuando per tres dies tantùm.

Recip. *Pilularum aggregatiuarum scrup.i. elaterii, reubarbari electi ana gran.i.s. misce cum syrupo bisantino, fiat pilula una, quæ exhibeatur patienti modo dicto.*

Ad idem; & est secretum, non reuelandum, nisi amicis, si bis in septimana dabitur patienti ascitem unc. s. infrascripti secreti electuarij ex eo bolum conficiendo.

Recip. *Eupatorii, cuscutæ, passularum, liquiritiæ, mirobalanorum citrinoruu ana unc.s. radicum apii, fœniculi, capparis, agarici, ana unc.i. hæc omnia grosso modo contusa, coquantur usq; ad consumptionem medietatis aquæ, & colentur, & in colatione ponatur mellis lib.s. sacchari unc. iiii. iterum bulliant usq; ad densitatem mellis.* Deinde adde *reubarbari electi drach.i. turbith gummosi drach.ii. foliorum mezereon infusorũ in aceto drach.i.s. diagridi correcti scru. ii. spicæ, zinziberis ana drach.s. ex his omnibus fiat electuarium secundum artem, & aduerte bene quòd maior dosis est unc.s. sed tuus consuetus modus sit minus dare, secundum tamen quod uidebis ex eo debilem uel fortem euacuationem, & uidebis ex isto electuario mirabile iuuamentum.*

Ad idem, bonam experientiam inuenies, si quolibet

libet mane per quindecim dies cõtinuos dabis patienti ascitem in diluculo tres de sequentibus pilulis,& immediatè post bibat infrascriptũ syrupum.

Recip. Trochiscorum de eupatorio, Trochiscorum de absinthio ana drach.ij. Trochiscorum de reubarbaro, Trochiscorum de lacca ana drach.i. puluerizentur omnia subtiliter, & cum syrupo bisantino fiant pilulæ numero. 36.

Syrupus est talis.

Recip. Syrupi de cichorea sine reubarbaro, de endiuia compositi, acetosi, diarhodon ana unc.s.aquarum absinthii, fœniculi, cichoreæ ana unc.i.misce.

Ad idem, consulo, vt quolibet mane & vesperi ante cibum per tres horas patiens capiat de sequenti electuario vnc.s. & in curatione hydropisis videbis optimum effectum.

Recip. Diacurcumæ unc.ij. diarhodonis abbatis unc.ii.s. misce cum syrupo de endiuia fiat electuarium, imò consulo tanquam optimum, & expertum, si detur patienti solùm diacurcuma,non inueniet par in ascite.

Ad idem, non debes negligere vsu quotidiano confortare virtutem hepatis cum infrascripto vnguento, manè, & vesperi inungendo regionem hepatis.

Recip. Vnguenti sandalini unc.i.olei spicæ, olei camomillæ ana unc.s.misce.

Ad idem,expertum est ex experientia, si patiens vtatur infrascripto vnguento, manè, & vesperi vngendo totam aluum optimè conferre.

Recip. Vnguenti aragon, unguenti agripæ,unguenti marciaton ana unc.i.misce, & fiat unguentum.

Ad idem,

Ad idem, ex experientia compertum est, multùm conferre sequens vnguentum.

Recip. *Succi ireos, succi ebuli, succi radicum sambuci ana unc.i. succi cyclamini unc.s. cardamomi, calami aromatici, hyssopi ana drach.ij. puluerizentur puluerizãda, et cum modico ceræ fiat unguentum molle.*

Ad idem, expertum est, optimè conferre, si totam aluum inungamus cum sequenti oleo.

Recip. *Terebentinæ lib.i. Thuris, masticis, mirrhæ ana drach.ij. laudani drach.i. nucis muscatæ, garyophyllorum, galangæ, zedoariæ ana drach.i.s. succi ebuli, succi cucumeris asinini ana unc.i. puluerizentur puluerizanda, & omnia simul misceantur, & in alembico ponantur, & distilletur oleum, & est secretißimum, non solùm ad tollendum tumorem uentris in ascite, sed etiam ad tumorem pituitosum cuiuslibet alterius membri corporis hominis, & est mirabile ad dolorem iuncturarum, & membrorum à causa frigida.*

Ad idem, expertum est multùm conferre sequẽs linimentum, si cũ eo inungatur tota aluus, demum superponatur lana succida.

Recip. *Aquæ ardentis lib.i. olei rutæ, olei distillationis Terebentinæ, olei amygdalarum dulcium ana unc.v. butyri recentis unc.iij. olei de castoreo, de euphorbia ana unc.i.s. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ lento igne usq; ad consumptionem aquæ. Deinde adde succi ireos unc.ij. succi lapatij acuti unc.i. iterum bulliant unica ebullitione, & cum eo liniatur tota aluus.*

Ad idem, compertum est optimè valere sequens emplastrum.

Recip. *Herbæ pauarellæ lib.v. absinthii uiridis, rutæ uiridis,*

ridis, camomillæ uiridis, hyssopi uiridis, praßi uiridis ana lib.ii. butyri recentis lib.s. mellis lib. viii. bulliant omnia insimul lento igne usq; ad omnium bonam decoctionem, deinde adde stercoris bouini exiccati, & subtiliter puluerizati lib. i. puluerum galangæ, zedoariæ ana drach.s. olei rutæ unc. iii. misce, & omnia insimul bene incorporentur, quousque fiat forma emplastri, quod manè, & uesperi calidum applicetur toti aluo.

Ad idem, expertum est, quòd si patiens fomentetur cum sequenti fomentatione, scilicet aluus illius, multùm conferre.

Recip. Betonicæ, saxifragiæ, celidoniæ ana M.ii. centaureæ utriusq;, hyssopi, agrimoniæ, foliorũ mezereon ana m.s. florum camomillæ, meliloti, anisorum, fœnugræci, seminum lini ana M.i. bulliant in sufficienti quantitate uini albi odoriferi usq; ad consumptionem quartæ partis uini, deinde ignietur lapis marchasitæ magnæ, & loco marchasitæ si non habeatur, pone spumam ferri, uel lapidis molendini, & tunc isto ingenio facto, ubi foramen in assere conficiatur ad quantitatem alui patientis hydropem fomentetur aluus. & hæc de hydrope ascite, & c.

DE ICTERITIA CITRINA.

CAPVT XXVI.

AD ICTERITIAM citrinam à principio. i. spatio quatuor dierum, compertum est phlebotomiam basilicæ lateris dextri, eam optimè curare, quòd si ipsa antiquata fòret, nullatenus fieri debet, quoniam patiens repente caderet in hydropem. Facta quidem phlebotomia expertum est, quòd si patiens regatur sequenti digestione materiæ, sequentiq;

purga-

purgatione, excusabitur Medicus ab ulteriori operatione.

Syrupus digestiuus in Icteritia citrina talis est.

Recip. Syrupi bisantini, de lupulis, de endiuia ana unc.s. aquarum lupulorum, seminum communium frigidorum, fœniculi ana unc.i. misce, & cum syrupo infundatur per noctem scrup.i. Reubarbari electi, cum duobus granis spicæ, ipsis pulueriz atis, & in petia subtili ligatis. qui syrupus cõtinuetur per septem dies continuos in diluculo. Octauo uerò die detur patienti per duas horas ante lucem infrascripta medicina.

Recip. Diacatholiconis unc.s. electuarij rosati Mesue drach.i.s. Reubarbari electi drach.i.s. spicæ gran.vij. electuarij de psyllio drach.i.s. infundatur reubarbarum cum spica in aqua endiuiæ, & modico uini albi odoriferi per decem horas. Deinde fiat fortis expressio, & omnia simul cum decoctione communi f. & fr. dissoluantur & fiat potus. Facta euacuatione ad idem compertum est, & secretum, dare patienti quolibet mane stomacho ieiuno drach.i.s. infrascripti pulueris mirabiliter conferre, & Icteritiam ipsam sanare cõtinuando per quindecim dies continuos.

Recip. Vermium terrestrium in umbra exiccatorũ priùs cum uino præparatorum unc.ij. Reubarbari electi drach.i. stercoris canis exiccati unc.s. omnia subtiliter pulueriz entur, & fiat puluis subtilis.

Ad idem, expertum est, & secretum, siue Icteritia proueniat à causa antecedente intrinseca, siue primitiua extrinseca, sicut contingit in vtentibus fortissimo exercitio, uel nimio coitu, si ipsi patienti dabitur quolibet mane per decem dies continuos infrascriptum potum.

Recip

Recip. Marrubii unc. ii. lupulorum unc. i. radicum bugloſſæ, radicum enulæ, radicum eupatorii ana drach. s. Reubarbari groſſo modo inciſi drach. i. ligni aloës drach. i. s. bulliant omnia in lib. iii. uini albi potentis, & odoriferi, uſq; ad conſumptionem tertiæ partis, deinde coletur ſine expreßione, & de prædicto uino.

Recip. unc. ii. s. ſacchari albißimi drach. ii. miſce, & fiat potus, qui exhibeatur patienti quolibet mane in diluculo, cum iſto enim uidebis quàm citißimè icteritiam citrinã curari. Et nota quòd ſi fuerit cum febre, fiat eorum decoctio, quæ diximus, in aqua endiuiæ, & in eadem doſi.

Ad idem, compertum eſt experientia, quòd ſi patiens manè, & veſperi ante cibum ad minus per dimidium horæ capiat tres de infraſcriptis pilulis, optimè curabitur icteritia citrina.

Recip. Trochiſcorum de ſpodio drach. iii. reubarbari electi drach. i. pulueris uermium terreſtrium drach. i. s. pulueriz entur omnia ſubtiliter, & cum ſyrupo de praßio fiant pilulæ numero 36.

Ad idem, expertum eſt, hoc quidem plurimum valere non ſolum in icteritia citrina, verùm & in hydrope, & in qualibet alia hepatis oppilatione, dare, ſcilicet patienti quolibet mane ſtomacho ieiuno, infraſcriptum potum.

Recip. Vrinæ pueri non polluti, complexionis ſanguineæ, & bene robuſti unc. v. ſacchari albißimi unc. s. miſce, & fiat potus, qui continuetur per decem dies continuos in Icteritia, & in hydrope continuetur per menſem, & uidebis optimam experientiam.

Ad idem, ualet ſi ſequens epithima manè, & ueſperi

ſperi epithimabis totam hepatis regionem.

Recip. Aquæ roſatæ unc.iiii. acetoſæ, hepaticæ ana unc. iii. aquæ abſinthii unc.iiii. aquæ ſolatri unc.iii. ſpecierum ceroti Tria ſandalini unc.i. ſpodii drach.i.s.ſpicæ ſcrup.s. aceti fortiſſimi, unc.iii. miſce pro hepate.

DE COLICA, ET ILIACA PASSIONE.

CAPVT XXVII.

CVM plerunq; colica, & Iliaca paſſio ſint in aliquibus morbi longi, in aliquibus uerò morbi acuti, ideo in illius curatione duo capita habebitis: primum erit præſeruationis à colica, et iliaca: ſecundum uerò cum rationis colicæ, & iliacæ actu affligentis. Quò ad caput primum compertũ eſt ex experientia, quòd ſi aliquis utatur bis in anno ſequenti digeſtione in materia cum infraſcripto ſyrupo, eiuſdemq; materiæ purgatione cum infraſcripta medicina, non cadet in paſſionem colicam uel Iliacam. in tempore igitur ueris, & autumni per vii. dies continuos utatur ſequenti ſyrupo.

Recip. Radicum galangæ, radicum zedoariæ ana drach. ii. radicum enulæ, radicum bugloſſæ, radicum borraginis ana unc.i. aniſorum, carui, dauci, ana drach.iii. bulliant omnia in ſufficienti quantitate aquæ uſq; ad conſumptionẽ tertiæ partis. Deinde colentur, & colaturæ adde cinnamomi electi, garyophyllorum, nucis muſcatæ, macis, ana drach.i. rumpantur groſſo modo ſpecies, & iterum bulliant unica leui ebullitione. Demum coletur facta fòrti expreſſione, & cum ſaccharo, uel melle deſpumato quantum ſufficit fiat ſyrupus de quo.

Recip. unc.ii. aquarum fœniculi, abſinthii, betonicæ ana unc.i. miſce, octauo uerò die capiat patiens infraſcriptam medicinam

dicinam per duas horas ante lucem.

Recip. Benedictæ simplicis drach.ij. Diacatholiconis unc. s. electuarij de dactylis drach.i.s. electuarij de baccis lauri drach.i. misce, & fiat potus cum aqua decoctionis anisorum, & fœniculi, quantum sufficit. Hac euacuatione facta, siue uernali, siue autumnali tempore, consulo, quòd patiens bis in mense in præseruatione à colica utatur tribus de sequentibus pilulis.

Recip. Pulpæ coloquintidæ drach.ij. scammoneæ præparatæ drach.i. aloës loti scrup.iiij. anisorũ, cartami, fœniculi, ana drach.ij. mirobalanorum citrinorum drach.i.s. Reubarbari electi drach.i. spicæ, zinziberis, salis gemmæ ana gran. vi. Turbith boni, & gummosi drach.ij.s. puluerizentur omnia, & cum succo absinthij fiat pasta pilularum. Dosis est scrup.i. in tribus pilulis, & experientia uidebis, quòd quilibet patiens Colicam, aut Iliacam, præseruabitur à casu futuro in utranque.

Ad idem, compertum est, imò mihi secretum, quód si assuetus pati colicam, aut iliacam, bis in septimana capiat in diluculo infrascriptum bolum, certè seruabitur ab illis sine dubio.

Recip. Iustini optimi drach.ij. zucchari rosati drach.i. misce, & cum saccharo fiat bolus, qui exhibeatur patienti modo dicto.

Ad idem, secretum est, à me bene expertum in præseruatione à colica, si patiens bis in septimana stomacho ieiuno capiat infrascriptum potum.

Recip. Vini albi potentis, & odoriferi unc.ij. Nucis muscatæ, garyophyllorum ana drach.s. galangæ drach.i. rumpantur species grosso modo, & per noctem infundantur in

uino

uino prædicto. Demum mane cum modico ſacchari albi patienti exhibeatur.

Ad idem, & eſt expertum in præſeruatione ab utraque affectione, ſi patienti detur infraſcripta cõfectio ſtomacho ieiuno, de mane ſuperbibendo hauſtum uini maluatici. Quòd ſi timor fuerit de hepatis caliditate uel febre, ſuper ipſam bibat tantundem de aqua Endiuiæ.

Recip. Specierum aromatici roſati, ſpecierum diagalangæ, pul. diadraganti frigidi ana drach. ii. ſacchari optimi quãtum ſufficit diſſoluti in aqua menthæ, fiat confectio in rotulis duarum drachmarum pro qualibet.

Expertum eſt ad idem, & ſecretum, quòd ſi patiens capiat infraſcriptam confectionem ſtomacho ieiuno, nunquam cadet in Colicam uel Iliacam paſsionem.

Recip. Corticum raphani groſſo modo excorticati lib. ii. mellis albi lib. iiii. bulliant inſimul uſq; ad conſumptionem medietatis mellis. deinde adde puluerís cinnamomi, garyophyllorum, nucis muſcatæ, macis, piperis nigri ana drach. ii. miſce, & omnia in uaſe recondantur, & quolibet mane capiat patiens unc. s. de dictis corticibus.

Ad idem, expertum eſt optimè ualere in torſionibus inteſtinorum, ſi patienti pluries detur infraſcriptus potus.

Recip. Olei amygdalarum dulcium recentis iulebizat cum ſaccharo unc. i. aquæ ardentis drach. ii. aquæ camomillæ unc. i. miſce, & detur patienti modo dicto, & reperies ipſum nunquam moleſtari à doloribus ſtomachi, uel inteſtinorum.

Ad idem, & præsertim cum patiẽs fuerit in actu doloris colici, seu iliaci, compertum est sequentem medicinam mirabiliter conferre.

Recip. electuarij de dactylis unc.s.philonij romani drac. i.s.misce, & fiat bolus, qui detur patienti qualibet hora doloris stomacho ieiuno. Et nota quòd hanc medicinã potes exhibere patienti urgente necessitate ante digestionem materiæ.

Ad idem, stante doloris vehementia, sine aliqua reprehensione poteris exhibere infrascriptum puluerem, & videbis ægrum ab eo subitò sanari.

Recip. Foliorum mori celsi albi exiccatorum in umbra drach.i.s. corticum raphani oxiccatorum in umbra drach.i. ossium mespilorum drach.i.s.misce, & subtiliter puluerizentur & patienti dentur drach.ij. prædicti pulueris cum uino albo odorifero, & est præsentaneum remedium, optimè confrens in colica.

Ad idem, & est expertum in breuissimo tempore huiusmodi doloris remoueri, si patienti detur infrascriptum medicamentum dissolutum in aqua menthæ.

Recip. Athanasiæ Nicolai drach.i.s. pulueris confectionis elescoph drach.iij. misce, & dissoluatur in uino potenti, & qualibet hora doloris detur patienti.

Ad idem, & est expertum per me, cum quo curaui repente omnes intestinorũ dolores dare.s. patienti infrascriptum bolum qualibet hora doloris, melius tamen est, si exhibeatur stomacho ieiuno.

Recip. Diagalangæ, diabuglossati ana drach.ij. philonij romani scrup.iiij.misce, & fiat bolus, qui exhibeatur modo dicto.

Ad

Ad idem, expertum in omni dolore inteſtinorũ, ſed maximè valet in dolore renum, & à uentoſitate, & a calculo.

Recip. Vini albi potentis unc.viij.galãgæ, cinnamomi, nucis muſcatæ ana drach.s.bulliant inſimul uſq; ad conſumptionem medietatis uini, deinde colentur, & colaturæ adde aquæ endiuiæ unc.ij. confectionis eleſcoph unc.s. & detur patienti. Et nota quòd ſi febris adeſſet, dabis confectionem eleſcoph ſolam diſſolutam in iure pulli.

Ad idem, & eſt expertum.

Recip. Corticum raphani unc.i. infundantur in unc.vi. uini albi odoriferi per quatuor horas, & cum modico ſacchari patienti dabis.

Ad idem, pro ſecreto optimè valet in colica, & iliaca, & eſt, dare patienti quolibet mane vnc.vi. iuris galli antiqui ſub ſequenti forma conditi.

Recip. Galli antiqui trium annorum ad minus numero.i. interimatur eo præciſè modo, quo diximus in capite de Aſtmate & in uentre illius ponantur infraſcripta.

Recip. Aniſorum, carui, dauci, ameos, polypodij quercini, carthami, ana drach.i. pulueris oſſium meſpilorũ drach. i.s. enulæ unc.s. galangæ, radicum zedoariæ ana drac.i. tartari uini albi, uuc.s. omnia inſimul contundantur mediocri cõtuſione, & bulliat gallus, eo præciſè modo, quo diximus de aſtmate, & de prædicto iure galli dentur patienti unc.vi. & unc.i. oxymellis ſimp. quolibet mane in diluculo, & uidebis optimum remedium in doloribus inteſtinorum, & etiam eſt expertum.

Ad idem, non exiſtente febre, optimum remediũ eſt dare pãtienti in hora doloris infraſcriptũ potũ.

Recip. Vini maluatici unc. ii. Eliſir uitæ drach. i. miſce, & detur patienti. Cuius Eliſir deſcriptionem dabo in fine huius capitis.

Ad idem, experimentum eſt mirabile, ſi in hora doloris abſque febre detur patienti infraſcriptus potus.

Recip. uini maluatici optimi drach. ii. olei uitrioli Romani optimi drach. s. miſce, & fiat potus.

Ad idem, expertum eſt, & bene confert, ſi patienti detur quolibet mane ſtomacho ieiuno infra ſcriptus bolus, curat enim dolorem, & præſeruat ab eo.

Recip. Mithridati optimi, uel theriacæ optimæ magnæ drach. i. ſacchari roſati drach. ii. miſce, & detur patienti.

Ad idem, & eſt expertum, ſi patienti detur in hora doloris ſequens potus.

Recip. Aquæ diſtillationis florum geniſtæ, aquæ diſtillationis lapularum uiridium inuentarum in frumentis ana unc. ii. ſacchari optimi unc. i. miſce, & detur patienti.

Expertum eſt, & ad idem, de quo debetis recordari in actu doloris dare infraſcriptum potum.

Recip. Olei amygdalarum dulcium recentium unc. iiii. ſacchari unc. s. nucis muſcatæ ſubtiliter puluerizatæ drach. i. miſce, & dato patienti.

Ad idem, optimum eſt dare patienti infraſcriptum bolum, in hora doloris, & ante, & poſt in præſeruatione.

Recip. Terebentinæ optimæ unc. s. benedictæ ſimplicis drach. ii. miſce, & fiat bolus, qui patienti detur qualibet hora doloris.

Ad

Ad idem, sequens clysture expertum est, valere optimè.

Recip. *Vini albi potentis, olei communis ana unc.v. butyri recentis unc.iiij.uitelli oui numero.i. salis cõmunis drac. iij. sacchari rubei unc.i.s.misce, & tepidum imponatur.* Et *nota quòd antequàm te applices curæ colicæ uel iliacæ procedere debes cum enematibus, quoniam per enemata secura & optima fit eorum curatio: cum uerò enemata non sufficerint, tunc uiam habebis ad ea quæ per os assumuntur.*

Ad idem, sequens enema fortius est, & cum eo colicam sepius curaui.

Recip. *Vini albi potentis uuc.xiij.butyri recentis unc.iiij olei communis unc.vi.anisorum,anethi, fœniculi, carui,dauci,ameos, carthami ana drach.ij.misce, & bulliant usque ad consumptionem medietatis uini, deinde coletur, & colaturæ adde mellis rosati unc.ij. sacchari rubei unc.i.s. salis communis drach.ij. uitelli oui numero.i. misce, & fiat clysture.*

Ad idem, vbi dolor esset vehemens præcedentibus alijs clysteribus expertum est, & secretum non stante febre sequens enema colicam, & iliacam curare.

Recip. *Vini albi potentis lib.i.s.aquæ ardentis unc.ij.bulliant simul usq; ad consumptionem aquæ, deinde cum solo uino tepido fiat clysture.*

Ad idem, familiare, & domesticum est sequens clysture, quod secundum plurimum debet exhiberi à principio morbi.

Recip. *florum camomillæ, foliorũ maluæ, mercurialis, ana M.i.anisorum,pulegii,calamenti, fœniculi,ana M.s. furfuris grossi ligati in petia unc.i.s. bulliant in sufficienti quantitate*

aquæ usq; ad consumptionem medietatis, & de colatura.

Recip. *lib.i. olei communis unc.iii. benedictæ unc.i. hieræ pigræ unc.s. sacchari rubei unc.i.s. salis communis drach.ii. uitelli oui numero.i. misce, & fiat clystere quacunque hora doloris.*

Ad idem, expertum est sequens clystere.

Recip. *Suprascriptæ decoctionis unc.x. electuarii de baccis lauri, electuarii de dactylis ana drach.ii. benedictæ drach. vi. olei liliorũ alborũ un.iii. de reliquis ut supra fiat clystere.*

Ad idem, aliud expertum est sequens clystere.

Recip. *prædictæ decoctionis lib.i. hieræ logodionis drac. vi. benedictæ unc.i. olei rutæ unc.ii. de reliquis modo dicto misce, & fiat clystere.*

Ad idem, expertum est sequens clystere vbi alia non contulerint, & vehemens necessitas fuerit in sedatione doloris.

Recip. *Olei rutæ unc. viii. olei de castoreo unc.iii. philonii romani drach.ii. benedictæ unc.i. de reliquis ut supra excepto quòd modicissimè de sale debes imponere, ut uirtus philonii possit in aluo morari, & fiat clystere.*

Ad idem, optimum est, & præcipuè vbi colica vel iliaca fuerit cum retentione fæcum.

Recip. *Pinguedinis gallinæ unc.iiii. electuarii de baccis lauri drach.iii. de reliquis ut supra misce, & fiat clystere.*

Ad idẽ, expertum est sequens clystere, quo semper bene me habui.

Recip. *Fustorum alliorum siccorum M.ii. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis & de colatura.*

Recip. *lib.i. hieræ pigræ drach.vi. de reliquis ut supra, et*

iniiciatur

inijciatur clyſtere tepidum.

Ad idem, elegantiſsimum remedium, & ſubito auferens dolorem eſt ſequens enema.

Recip. Aquæ thermarum ex ſulphure uel allumine, ſiue aquæ Poretæ, uel de Abano lib.ij. aniſorum, florum camomillæ, abſinthij, menthæ ana M.i. bulliant inſimul uſq; ad cõſumptionem medietatis aquæ, & de colatura.

Recip. lib.i. olei camomillæ unc.iij. benedictæ unc.i. de reliquis ut ſupra, & fiat clyſtere.

Ad idem, experientia compertum eſt in colica, & iliaca paſsione, ſequens unguentum mirabiliter conferre, & eſt apud me ſecretum.

Recip. Olei de caſtoreo, olei liliorum alborum, olei rutæ, olei de cheiri ana unc.iij. ſucci althææ, ſucci artemiſiæ ana unc.iiij. aquæ ardentis unc. vi. bulliant omnia inſimul uſq; ad conſumptionem aquæ. Deinde *adde nigellæ, maſticis, cardamomi, galangæ ana drach.i.s. piperis, garyophyllorum, nucis muſcatæ, ligni aloës ana drach.i. puluerizentur hæc omnia ſubtiliter, & iterum lento igne bulliant, & cum modico ceræ fiat unguentum molle, cum quo locus doloroſus inungatur, & lana ſuccida tepida ſuperponatur, & cum iſto unguento uidebis mirabilem effectum.*

Ad idem, familiaris fomentatio conferens optimè, hæc eſt.

Recip. Florum camomillæ, meliloti, fœnugræci, anethi, ſeminum lini ana M.i. abſinthij, menthæ, pulegij, calamenti, abrotani ana M.s. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ, & uini albi odoriferi uſq; ad conſumptionem medietatis aquæ.

Deinde *manè, & ueſperi, fomentetur, locus, quem locum fomentatum immediatè poteris inungere cum prædicto un-*

guento, & optimum est remedium.

Ad idem, & à me sæpius expertum fomentare locum doloroſum ſequenti fomentatione.

Recip. Terebentinæ lib.i. butyri recentis lib.s. olei communis unc.iiij. croci drach.i.s. miſce, & cũ filtro madefacto in dicto liquore calido locum fomentabis, & in hora doloris, & in præſeruatione à dolore.

Ad idem, eſt expertum, ſi locus doloris emplaſtretur cum ſequenti emplaſtro.

Recip. Parietariæ uiridis lib.iii. mellis lib.ij. uini maluatici lib.i. olei lib.s. bulliant inſimul omnia uſq; ad decoctionem parietariæ. Deinde parietariam ipſam loco dolenti calidam apponito, ad modum emplaſtri. Expertum eſt etiam multum conferre, præcipuè præcedentibus enematibus madefacere in aqua ardenti calida, & loco dolenti applicare, & dolorem tollit. Idem quoq; tibi ſuccedet, ſi locum doloroſum inunxeris cum oleo de uitriolo romano. Ad idem, & eſt expertum ubi alia non contulerint remedia, ponere patientem ab umbilico infra in balneo olei communis calidi, & in eo immorari per horam, uel minus, ſecundum quod æger potuerit. Deinde ipſo exeunte ex balneo fiat illi clyſtere immediatè ex prædicto oleo calido cum melle roſato ponderis unc.ij. cum uno uitello oui, & ſalis drach.ij. Ad idem expertum eſt, & in omni tempore poteſt fieri, applicare ſcilicet uentoſam magnam umbilico, & eſt de optimis remedijs in torſionibus inteſtinorum.

Recepta optima, qua Pontifex maximus Clemẽs ſeptimus vſus fuit in ſui vltima ægritudine.

Recip. Maſticis, thuris maſculi, macis ana lib.s. galangæ, zedoariæ ana unc.iiij. garyophyllorum, cinnamomi, xilobalſami,

ſami, carpobalſami ana unc.ij. zinziberis, cardamomi, piperis longi, piperis nigri ana unc.s. turbith, agarici, reubarbari ana drach.ij. radicum indiuiæ, radicum bugloſſæ, borraginis ana M.ij. betonicæ, iuæ, florum ſticados Arabici, maioranæ, ſaluiæ, roris marini ana M.s. omnia inſimul groſſo modo contundantur, & ponantur in centum libris uini albi potentis, & odoriferi, & ſic per tres dies continuos ſtent in infuſione: deinde cum forti expreſſione coletur uinum, quod uinum ſubitò ponatur in alembico, & diſtilletur aqua uitæ. Demum.

Recip. Sanguinis humani corporis ſani bene carnoſi lib.i. ponantur in aqua diſtillationis primæ, & iteratò ponatur in alembico, & diſtilletur aqua, & ſic procede diſtillando uſq; ad nouem uices diſtillationis. Demum.

Recip. Foliorum auri finiſſimi & optimi num.100. foliorum argenti finiſſimi num.50. hyacinthorum, ſmaragdorum, rubinorum, granatorum, utriuſq; margaritarum, coraliorum rub. roſarum rub. ana drach.i.s. muſci optimi drach.s. miſce. Et omnia puluerizanda puluerizentur, & ponantur in aqua uitæ ultimò diſtillata, & ſtent in infuſione per diem naturalem. deinde omnia ponantur ſimul in alembico, & decima uice diſtilletur aqua lento igne, quæ aqua reconda tur in uaſe uitreo groſſo, bene obturato, quoniam aliter tota aqua conuerteretur in ſpiritum, & exhalaret. Quæ aqua ad omnes frigidas ægritudines per intus, & per extra, mirabiliter confert, ſi illius drachma uel guttæ.iiij. cum modico uini albi odoriferi capiantur. Quòd ſi ægritudo eſſet calida, et non eſſet febris, ut in doloribus pendentibus à materia calida, eam dabis aquæ endiuiæ permixtam, qualibet hora doloris. Et nota quòd cùm iſta aqua uidebis miraculum, ſi in morbis

in extre-

in extremo debilitaretur ægri uirtus, si patienti talem debilitatem uirtutis dabis quinque uel sex guttas aquæ prædictæ cum modico uini odoriferi, & statim uidebis uirtutem releuari. & crede mihi, quòd in pestilentia nihil tutius est, & nihil magis hominem defensat à morbo epidimiali, quàm ista aqua: quæ si in temporibus pestilentiæ, & in locis, quolibet mane ante exitum domus biberit quis quinque uel sex guttas prædictæ aquæ, uel cum uino potenti, uel cum aqua endiuiæ. uel si cum octo uel decem guttis per se, uel cum uino mixtis abluat quis sibi nares intus, extraq;, & totam faciem, optimè à pestilentia securabitur, & cum isto auxilio in pestilentia semper benè me habui, & reperi. Valet etiam in Apoplexia, & in Epilepsia, diluendo collum, & nucham. Et nominatur hæc aqua Elistr uitæ Benedicti.

DE FLVXV VENTRIS CHOLERICO, scilicet diarrhœa cholerica.

CAPVT XXVII.

AD DIARRHOEAM *cholericam expertum est, et maximè obseruandum in actu practico, quòd phlebotomia basilicæ à principio diarrhœæ cholericæ ipsam curat, existente corpore fortis roboris, benè carnosi, & densorum musculorum.*

Ad idem, expertum est sequens enema multum conferre in diarrhœa cholerica.

Recip. *Aqua decoctionis hordei torrefacti lib. i. sacchari rubei unc. i. s. uitelli oui numero. i. misce, & fiat clystere. & recordare quòd in enematibus ad fluxum uentris non conuenit ponere sal, propter eius mordacitatem, & acuitatem.*

Ad idem, post enema compertum est à principio,

pio, si est fluxus cholericus sequentem medicinam curare.

Recip. *Seminum plantaginis, portulacæ, seminum acetosæ, seminum endiuiæ, florum omnium cordialium ana p.s. misce, & bulliant in sufficienti quantitate aquæ plantaginis usque ad consumptionem medietatis, deinde cum colatura dissolue reubarbari electi drach.ii. diacatholiconis drach.vi. misce, & fiat potus, & detur in diluculo patienti. Et nota, quòd ipsi reubarbaro in fluxu non conuenit spicam imponere, quippe nec ipsum reubarbarum dabis aliter quàm in substantia, quoniam sic euacuando materiam cholericam relinquit uestigium stipticitatis. Capta hac medicina compertum est, digestionem in materia cum sequenti syrupo fieri: deinde sequenti pharmaco eam purgare, multùm conferre.*

Syrupus conferens ad diarrhœam cholericam talis est.

Recip. *Syrupi rosati ex infusione rosarum siccarum unc. i. syrupi de endiuia unc.s. aquarum plantaginis, acetosæ, buglossæ ana unc.i. misce pro una uice. & recordare tanquam optimum remedium, quòd quolibet die assumptionis syrupi patiens assumat clystere unum ueluti supradictum. Continuando igitur syrupum per .vi. dies compertum est ex experientia, sequentem medicinam curare fluxum cholericum.*

Recip. *Corticũ myrobalanorũ citr.unc.s. semi. plantaginis, sem.acetosæ, semi.portulacæ, semi.endiuiæ ana drach.ii. florũ omniũ cordialiũ præter uiolas ana.p.s. bulliant in sufficienti quantitate aquæ calibeatæ usq; ad consumptionẽ medietatis: deinde cum colatura facta fŏrti expreßione, pro diuitibus dissolue reubarbari electi torrefacti drach.i.s. diacatholiconis drach.vi. pro pauperibus reupontici torrefacti drac. ii. miclctæ*

ij.micletæ unc.s.puluerizentur puluerizanda,& fiat potus. cui adde ſyrupi roſati unc.s.

Ad idem, ex experientia compertum eſt, quòd ſi patienti diarrhœam detur manè, & veſperi, bolus infraſcripti electuarij, multùm conferet.

Recip.Diacitonitem ſine ſpeciebus cum ſaccharo ſacchari antiqui roſati ana unc.i.coriãdrorum præparatorũ unc.i. coraliorum rub.drach.ij.puluerizentur ſubtiliter omnia puluerizanda,et cum ſucco citonioruu fiat electuarium.

Ad idem, ex experientia compertum eſt, ſi patiens vtatur infraſcripto potu per duas horas ante cibum manè, & veſperi, bene conferre.

Recip.Succi citoniorum unc.vi. ſucci endiuiæ, ſucci acetoſæ ana unc.iij. ſeminum acetoſæ, ſeminum plantaginis ana drach.ij.coraliorũ rub.ſeminum roſarum rubearũ ana drac. i.aquæ plantaginis unc.iiij.omnia inſimul bulliant uſq; ad conſumptionem tertiæ partis aquæ & ſuccorum: deinde colentur facta forti expreſsione, & cum ſaccharo optimo quantùm ſufficit fiat ſyrupus, de quo patiens capiat unc.ij. modo dicto.

Ad idem, compertum eſt ex experientia, quòd quotidie aſsiduare ſequens clyſtere, etiam tempore quo patiens caperet digeſtiua, diarrhœam cholericam curat.

Recip.Aquæ decoctionis hordei torrefacti unc.viij.ſucci plantaginis unc.iiij.olei roſati omphacini unc.ij.uitelli oui numero.i. ſacchari rubei unc.i.s.miſce,& fiat clyſtere. Et ſcias quòd clyſteria in fluxu uentris ad frigiditatem debent declinare,cùm ipſum frigidum immobilitet humorem magis quàm ad calidum, aut ad tepidum.

Ad

Ad idem, expertum est sequens enema curare fluxum ventris cholericum, si patiens assiduet illud quotidie.

Recip. Olei rosati omphacini unc. vi. succi plantaginis unc.iiii.uitelli oui num.ii. misce, & fiat clysteré minus quàm tepidum: ex isto enim clysteri indubitato curabis fluxum cholericum, præmissa corporis euacuatione.

Ad idem, expertum est clystere sequens diarrhœam cholericam curare, si quotidie patiens eo vtatur.

Recip. Lactis uaccini lapidati, uel calibeati lib.i. succi plãtaginis unc.iiii. sacchari rubei unc.i.s. uitelli oui numero.ii. misce, & fiat clystere.

Ad idem, expertum est ex experientia, si quotidie cum sequenti vnguento ventriculus, & aluus ungatur, quòd æger curabitur à fluxu cholerico.

Recip. Olei rosati omphacini, olei citoniorum, olei myrtini ana unc.i. rosarum rubearum, coraliorum rubeorũ ana drach.i. masticis, nucis muscatæ ana drach.s. puluerizentur puluerizanda, & cum modico cæræ fiat unguentum molle: & quia magna pars curæ cholerici fluxus habetur ex curatione fluxus dysenterici, ideo transeo ad curam dysenteriæ pendentis à materia cholerica corrodente, & ulcerante tunicas intestinorum.

DE FLVXV DYSENTERICO.

CAPVT XXVIII.

ADVERTE *quòd licet fluxus uentris à principio nõ sit astringendus, si tamen euenerit quòd eo sanguis egeratur, excusabitur tunc medicus, si constrictioni operã dederit:*

rit: est enim sanguis uitæ & naturæ thesaurus.

Ad dysenteriam igitur confert clystere sequens.

Recip. Aquæ decoctionis hordei torrefacti lib.i. olei rosati omphacini unc.iij. uitelli oui numero.i. sacchari rubei unc. i.s. misce, & fiat clystere.

Ad idem, si sanguinis multitudo effluat.

Compertum est phlebotomiam uenæ basilicæ fluxum dysentericum curare, & sic iubeo & consulo, ut stomacho ieiuno secetur uena basilica brachij dextri, cum extractione sanguinis, tenore uirtutis, & ætatis.

Ad idem, compertum est ex experientia, medicinam sequentem curare fluxum dysentericum.

Recip. Myrobalanorum citrinorum ustorum drach.vi. seminum plantaginis, seminum acetosæ, seminum endiuiæ omnium torrefactorum ana drach.ij. florum quatuor cordialium præter uiolas ana p.i. bulliant in sufficienti quantitate aquæ calibeatæ usq; ad consumptionem medietatis: deinde colentur, & colaturæ adde reubarbari electi torrefacti drach. ij.s. philonij persici scrup.iiij. misce, & fiat potus, & ex hac medicina uidebis optimum experimentum. quinimo excusabit te ab ulteriori operatione.

Ad idem, ex experientia compertum est, quòd si patienti dentur tres de infrascriptis pilulis manè, & vesperi, ante cibum, indubitato curabitur à fluxu dysenterico.

Recip. Trochiscorum de spodio cum seminibus acetosæ, trochiscorum de carabe ana drach.ij. suffus de granis myrti descriptionis Mesuæ in antidotario de suffus drach.i.s. pulue rizentur omnia subtiliter, & cum succo citoniorum fiant pilulæ numero xxi. & sis audax in oblatione istarum pilularum,

rum, quoniam uidebis mirabile iuuamentum.

Ad idem, expertum est, si manè, & vesperi ante cibum per duas horas detur patiẽti vnc.s. infrascri ptæ mixturæ multùm conferre.

Recip. Confectionis de corneis, confectionis de sorbis, con fectionis de mespilis ana unc.ij. coraliorum rubeorum, seminũ rosarum rub. acatiæ, hypocistidos ana drach.s. misce, cũ suc= co citoniorum fiat mixtura pulueri zatis pulueri zandis.

Ad idem, compertum est ex experientia, & in eo bene me reperi, si patiẽti dabitur infrascriptus pul uis dissolutus cum vino rubeo stiptico in ingressu lecti, absq; dubio curabitur fluxus dysentericus.

Recip. Thuris masculi, masticis ana drach.ij. boli armeni drach.i. coraliorum rubeorum cornu cerui usti, ana drach.s. lapidis hæmatitis usti scrup.ij. pulueri zentur omnia subtili= ter, & de isto pulueri detur drach.i.s. ipsi patienti, stomacho ieiuno, modo dicto.

Ad idem.

Ex experientia compertum est, & in fluxu dysenterico laudatum optimè, si quolibet mane patiens masticet drach.s. reubarbari torrefacti, stomacho ieiuno.

Ad idem, etiam est expertum, si patiẽti quolibet mane detur infrascriptus potus, stomacho ieiuno.

Recip. Vini citoniorum, uini rubeo stiptici ana unc.vi. reu barbari torrefacti drach.i.s. boli armeni drach.i.s. coriãdro= rum præparatorum torrefactorum drach.iij. contundantur contundenda, & bulliant insimul usq; ad consũmptionem ter tiæ partis uini, deinde colentur, & de colatura dabis patien= ti unc.ij. modo dicto.

Ad idem, expertum est, si dabis patienti fluxum dysen-

dyſentericum, mane ſtomacho ieiuno, duo cochlearia infraſcriptæ mucillaginis.

Recip. Mucillaginis ſeminum citoniorum unc. iii. mucillaginis ſeminum acetoſæ, mucillaginis ſeminum pſyllii ana unc. i. pulueris coraliorum rubeorum drach. ii. ſacchari albiſſimi quantum ſufficit, & fiat ad modum loch, qui exhibeatur modo dicto.

Ad idem, ſi cum dyſenteria fuerit coniunctus dolor uentris ſicut plurimum contingit ob inteſtinorum corroſionem, compertum eſt, & ſecretum, dare patienti tribus diebus continuis infraſcriptum potum, & confeſtim curabitur à fluxu uentris dyſenterico.

Recip. Lactis caprini, uel ouini calibeati unc. iii. ſucci plantaginis unc. i. s. ſpecierum aromatici roſati drach. i. miſce, & fiat potus pro una uice.

Ad idem, præcipuè cùm adſit dolor fortis, compertum eſt ex experientia infraſcriptum cibum curare dyſenteriam, & illius dolorem ſedare.

Recip. Turturis depilati numero. i. granorũ myrti drac. ii. ſeminum acetoſæ, ſeminum plantaginis ana drach. ii. thuris maſculi gran. iii. cæræ nouæ citrinæ drach. ii. cinnamomi ſcrup. ii. omnia ſimul in uentre turturis imponantur, & ſuantur. Deinde lento igne coquantur, & detur patienti turtur ad comedendum, tribus diebus, uel quinque continuis, & ſic ſanabitur æger, uel ex carne turturis fiat contuſum.

Ad idem, expertum eſt ex experientia, quòd ſi patienti fiat ſequens clyſtere curabitur.

Recip. Capitis caſtrati bene mundi, & loti cũ aqua plantaginis numero. i. foliorum plantaginis M. ii. hordei torrefacti M. i.

cti M.i. bulliant insimul usque ad completam decoctionem capitis castrati in aqua calibeata, deinde colentur, & de colatura.

Recip. lib.i. succi plantaginis unc.iii. olei rosati omphacini unc.ii. uitelli oui numero.i. sacchari rubei unc.i.s. misce, & fiat clystere. & scias quòd istud est de melioribus clysteribus, ac securioribus, qui possint fieri in fluxu dysenterico, & cholerico.

Ad idem, expertum est sequens clystere multum conferre.

Recip. Aquæ hordei torrefacti unc. viii. prius tamen calibeatæ, succi plantaginis unc.iiii. olei rosati omphacini unc. iii. pinguedinis hirci unc.ii. uitelli oui numero.i. sacchari rubei unc.i.s. misce, & fiat clystere.

Ad idem, sequens clystere est multum conueniens, & cum eo ferè semper curaui fluxum dysentericum.

Recip. Lactis uaccini lapidati unc. viii. succi plantaginis unc.iiii. olei rosati omphacini unc.ii. uitelli oui numero.i. sacchari rubei unc.i.s. misce, & fiat clystere minus quàm tepidum, & conetur patiens diu retinere ipsum. Quòd si cum fluxu dysenterico copuletur fortis corrosio intestinorum, & ulceratio, tunc aduerte quòd in omnibus præcedentibus enematibus addatur puluis sequens.

Recip. Trochiscorum de carabe puluerizatorum drach. iii. & modo dicto imponatur.

Ad idem.

Expertum est, quòd præcedentibus euacuationibus dictis solicitare lotiones infrascriptas à genu infrà, & à cubito infrà, patienti multum conferre.

Prima lotio est hæc.

Recip. Granorum myrti, balaustiarum, corticum granatorum, gallarum, hypocistidos ana m.i. bulliant in sufficienti quantitate uini nigri stiptici, usq; ad consumptionem tertiæ partis. Deinde mane & uesperi ante cibum fiat lotio, si etiã alia remedia patienti applicabuntur. unde notare debes quòd eadem die non inconuenit multa & diuersa remedia patienti dysenteriam applicare.

Ad idem, secunda lotio hæc est.

Recip. Foliorum mespilorum, fõliorum sorbarum, fõliorum citoniorum ana M.ij. & casu quo fõlia non possent inueniri, tunc accipe fructus seminis plantaginis, seminis acetosæ, seminis portulacæ ana unc.s. & casu quo posses habere herbas loco seminum, multò efficacius operabuntur: bulliant omnia in sufficienti quantitate aceti fortißimi usq; ad consumptionem tertiæ partis. deinde usui reseruetur.

Ad idem, lotio hæc tertia est, experta, & secreta.

Recip. Scoriæ ferri cum aceto præparatæ, limaturæ calibis cum aceto præparatæ, ana lib.i. bulliant in libris x. aceti fortißimi calibeati usque ad consumptionem medietatis, deinde mane & uesperi per dimidiam horam patiens detineat plantas pedum, & uolas manuum in aceto prædicto, & uidebis effectum mirabilem, imò secretum ad sistendum fluxum dysentericum.

Ad idem, experientia optimè comprobatum est, si patientis anus suffumigetur sequentibus suffumigijs.

PRIMVM perutile suffumigium, laminam ferream ignire debes, demum super ipsam ponere Terebenthinæ optimæ unc.i. & mane & uesperi sedendo super assellam, recipiat

piat fumum ipsum, & sic continuando per tres uel quatuor dies uidebis dysenteriam curari.

SECVNDVM suffumigium est mirabile, et expertum.

Recip. Stercoris asini iuuenculi lib.ij. contundatur optimè, & in furno exiccetur, & aduerte ne stercus uratur, demum cum portione illius pulueris, manè, & uesperi, super ignitos carbones posita in assella, dum sedebit patiens suffumigabis ipsum: et scias quòd hoc est mirabile in fluxu dysenterico puerorum, semper præcedente euacuatione facta cum reubarbaro.

Ad idem, optimè expertum est, si patiens suffumigetur sequenti suffumigio.

Recip. Resinæ pini unc.i. pone super laminam ignitam. Et in sub assella suffumigetur patiens.

Ad idem, expertum est, & multum valet ad tollendam dysenteriam, si suffumigetur patiens sequenti suffumigio.

Recip. Laminam ferream ignitam, & super asperge acetum nigrum fortißimum, & patiens recipiat in sub assella fumum ipsum, & erit optimum.

Ad idem, sequens suffumigium est optimum & expertum.

Recip. Corticum pinearum M.ij. bulliant in lib.iiij. aceti fortißimi, & cum fumo suffumigetur patiens, & cum incipit tepefieri acetum, tunc ferrum ignitum in eo extinguetur, ut iterato eleuetur fumus, & ipsum recipiat patiens.

Ad idem, expertum est, & secretum.

Recip. Melissæ lib.i. taßi barbaßi M.i. bulliant in uino nigro stiptico, & aceto fortißimo, ana quantum sufficit, usque ad consumptionem tertiæ partis. deinde coletur ab aceto, &

uino,& ponatur in ſacculo oblongo,& ſacculus calidus ano applicetur manè, & ueſperi, & ſic continuabis, & uidebis optimum experimentum.

Ad idem.

Ex experientia compertum eſt, & ubi alia non contulerint,& uirtute exiſtente forti, ſi patienti impoſueris ſuppoſitoriũ de litio deſcriptione Raſis in nono ad Almanſorem:et recordare quòd propter uirtutem opij exiſtentis in eo, non permittes tale ſuppoſitorium in ano ſtare, niſi per dimidium horæ,uel minus: ideo debes alligare filum, ut ipſum poſsis extrahere ſemper ad libitum.

Ad idem.

Ex experientia compertum eſt, quòd ſi tota aluus inungatur cum ſequenti unguento, deinde puluis infraſcriptus ſuper aſpergatur toti aluo inunctæ,mirabilem uidebis effectum in dyſenteria.

Vnguentum tale eſt.

Recip. Olei maſticis, olei roſati omphacini, olei citoniorum ana unc.s.miſce.

Et tota aluus inungatur manè, & veſperi.puluis ſuper aſpergendus talis eſt.

Recip. Granorum myrti torrefacti, corticum granatorum, balauſtiarum, gallarum ana drach.ij. Maſticis,thuris, nucis muſcatæ, coraliorum rubeorum ana drach.s. Hypociſtidos, acatiæ ana ſcrup.ii. pulueriz entur omnia ſubtiliter & uſui ſeruentur modo dicto.

Ad idem, expertum eſt,imò ſecretum in dyſenteria, ſi patienti inungatur uenter cum ſequẽti unguento, & ipſum tene menti, quoniam omnem dyſenteriam quantumcunque malam curabis.

Recip.

Recip. Trochiſcorum de carabe, Trochiſcorum de terra ſigillata ana drach. iii. galliæ muſcatæ, galliæ eleſanginæ ana drach. i. s. coraliorum rubeorum, ſeminum roſarum rubearū, maſticis, thuris, ana drach. i. puluerizentur omnia ſubtiliter, & infundantur in aceto rubeo fortiſſimo per diem naturalem. Deinde uel apud ignem, uel in ſole ardentiſſimo exiccentur. Demum iterum ſubtiliter puluerizentur, & pulueribus adde olei citoniorum, olei roſati omphacini, olei maſticis ana unc. ii. ceræ albæ quantum ſufficit, & fiat unguentum molle, quod tenebis pro ſecreto.

Ad idem, & eſt optimè expertum, vbi dyſenteriæ iungeretur dolor vehemens inteſtinorum, frequentare ſequens remedium, multum conferre.

Recip. Zirbi caſtrati numero. i. ponatur in patella, & unica frixione frixetur cum ſua pinguedinæ, & nõ cum alia. Demum ſuper ipſum aſperge puluerem ſequentem.

Recip. Taſſi barbaſſi exiccati unc. ij. Trochiſcorum de carabe ſubtiliter puluerizatorum unc. ij. & ipſum calidum aluo apponito ſæpius in die.

Ad idem, vbi etiam dyſenteriæ iungeretur fortis dolor.

Recip. Emplaſtri diaſmiconis deſcriptionis Meſuæ, & ipſum aluo apponito manè, & ueſperi ipſum permutando, ex quo uidebis optimum effectum.

De fluxv hepatico. cap. xxx.

Fluxvs hepaticus cognoſcitur primo ex parte excrementitiæ ſuperfluitatis, quoniam eſt liquida, & loturæ carnis ſimilis: & quoniam de nocte magis affligit patientem quàm de die: ad cuius curationem expertum eſt digerere ma-

teriam cum sequenti syrupo, & eam euacuare cum infrascripta medicina multum conferre.

Syrupus talis est.

Recip. Syrupi myrtini, syrupi de cicorea, syrupi rosati de rosis siccis ana unc. s. aquarum plantaginis, cicoreæ, epaticæ ana unc. i. reubarbari electi subtiliter pulverizati scru. ij. misce cum syrupo per horas xxiiij. deinde mane in diluculo totum patienti dato, etiam cum substantia reubarbari, & sic continuabis per vij. dies continuos cum dicto syrupo, & videbis bonum effectum.

Medicina hæc est.

Recip. Reubarbari electi drach. ij. myrobalanorum citrinorum drach. i. s. pulverizentur subtiliter, & dissoluantur in aqua distillationis plantaginis, & detur patienti.

Ad idem, expertum est multum conferre in fluxu hepatico, si quolibet mane patienti detur unc. s. infrascriptæ mixtionis.

Recip. Triasandalorum, diarhodon abbatis ana unc. ij. Reubarbari electi drach. i. s. hepatis lupi drach. i. pulverizentur omnia subtiliter, & cum syrupo de cicorea fiat electuarium.

Ad idem, experientia compertum est, quòd si patiens continuet infrascriptum potum per quindecim dies, sanabitur à fluxu hepatico.

Recip. Lactis vaccini calibeati unc. v. detur in potu patiẽti modo dicto.

Ad idem.

Compertum est ex experientia, si fluxus hepaticus fuerit recens, phlebotomare basilicam dextram cum extractione sanguinis unc. iiij. multum conferre.

Ad

Ad idem, experientia docet, si quolibet mane detur patienti sequens potus, multum conferre.

Recip. *Succi hepaticæ depurati unc. iij. sacchari albissimi unc. s. misce, & detur patienti, super quem aliquantulum, dormiat.*

Ad idem expertum est, si patientis hepati applicetur infrascriptum cærotum, cõtinue illud super hepar portãdo, curabitur patiens à fluxu hepatico.

Recip. *Cæroti triasandalini unc. i. extẽdatur super coriũ, & regioni hepatis apponatur. & nota quòd ferè omnia remedia dicta in capite de Dysenteria, competunt huic fluxui, si illi applicentur aperientia hepatis oppilationem, sicut permaxime est Reubarbarum. & aduerte quòd clysteria de lacte maximè in hac dispositione conferunt.*

DE TVMORE, ET OPPILATIONE splenis. CAP. XXXI.

Consvlo *tanquam expertum, quòd si hæ dispositiones splenis fuerint recentes, quòd fiat phlebotomia basilicæ lateris sinistri, & uidebis ilico ægrum curari ab his. quòd si dispositiones fuerint antiquatæ, nullam facies phlebotomiam, quoniam tumores splenis permaximè efficerentur duri.*

Ad idem.

Consulo *tanquam expertum, & in opere secretum, quòd facta phlebotomia basilicæ sinistræ patientis, die sequenti aperiantur hæmorrhoides, & ubi hæmorrhoides haberi nõ possent, incidatur saphena sinistri pedis, & ex his bonum iuuamentum tibi succedet.*

Ad idem.

Consulo, factis phlebotomiis, digeratur materia cum sequenti syrupo, & euacuetur cum infrascripta medicina.

Syrupus talis est.

Recip. Syrupi acetosi, diarhodon, Syrupi de lupulis, mellis rosati colati ana unc.s. aquarum cuscutæ, lupulorum, mellissæ ana unc.i. misce pro una uice. quem syrupum patiens continuet per vii. dies continuos.

Medicina hæc est.

Recip. Diasenæ lenitiui unc.s. Diacatholiconis drach.iii. confectionis hamec drach.ii.s. dissoluantur cum decoctione communi f. et f. in qua præbullita sint myrobalanorum indorum, myrobalanorum chebulorum, myrobalanorum emblicorum ana drach.i. agarici ligati in petia drach.i.s. et fiat potus, qui exhibeatur patienti per duas horas ante lucem.

Ad idem, expertum est, si patiens utatur infrascripto electuario quolibet mane per tres horas ante cibum, bene conferre.

Recip. Limaturæ ferri præparatæ unc.s. specierum diarhodonis abbatis, specierum diacurcumæ ana drach.ii. epithymi, thymi ana drach.ii. puluerizentur puluerizanda, et cum melle despumato quantum sufficit fiat electuarium. Dosis est drach.ii. pro uice.

Ad idem, expertum est, si patienti detur cochlearium unum infrascriptæ mixturæ per tres horas ante cibum, multum conferre.

Recip. succi althææ depurati unc. ii.s. succi calamenti unc.ii. folliculorum senæ exiccatorum drach.ii. misce cũ melle despumato quantum sufficit, fiat electuarium.

Ad idem, experientia compertum est, quòd si patiens hanc dispositionem splenis, quotidie fomentetur

mentetur ſplen cum ſequenti fomento, multùm conferre.

Recip. *Radicum althææ, radicum maluæ ana unc.ii. ſeminum fœnugræci, ſeminum lini, florum camomillæ, meliloti ana M.i. calamenti, meliſſæ, cuſcutæ, pulegii, aniſorum, carui, fœniculi aña M.i. bulliant omnia in ſufficienti quantitate aceti albi fortiſſimi, deinde ſplenis regio fomentetur modo dicto.*

Ad idem, optimum & expertum, & ſecretum eſt, ſi quotidie manè, & veſperi ſplen vngatur cum ſequenti vnguento.

Recip. *Olei rutæ, olei de capparibus, olei camomillæ ana lib.i. uini potentis albi optimi lib.s. radicum althææ, radicum maluæ, radicum filicis, ana unc.s. triturentur optimè radices, & ſimul bulliant uſq; ad conſumptionem uini, deinde colentur cum forti expreſſione, & oleis colatis adde aceti albi fortiſſimi optimi lib.i. Cyclaminis optimè triturati, et mũdi unc. i. iterum bulliant forti ebullitione uſq; ad conſumptionẽ aceti, & iterũ colentur cum forti expreſſione: quibus oleis ſic colatis, adde oppoponacis, bdellii, galbani, armoniaci, ana drac. ii. diſſoluantur gummi in aceto forti, & cum aliis miſceantur, & iterum una leui ebullitione bulliant, ne gummorum uirtutes euaneſcant. deinde cum cæra optima citrina quantum ſufficit, fiat unguentum molle, & optimum eſt, & ſecretiſſimum.*

Ad idem.

Expertum eſt, & per ſe ipſum ſolum curare tumorem ſplenis, ſi fomentetur ſplen cum aceto fortiſſimo extinctionis marchaſitæ. Demum in eodem madefacere filtrum, & ipſi ſpleni applicare, & hæc fomentatio excuſabit te ab ulteriori operatione.

Ad

Ad idem, expertum est, & secretum, si patienti splenis exhibeatur infrascriptus potus per xv. dies continuos, soluetur omnino splenis durities.

Recip. Radicum filicis unc.s. radicum cuscutæ drach.ij. misce, & bulliant in uncijs viij. uini albi potentis, usque ad consumptionem tertiæ partis uini, deinde coletur, & colatura patienti detur modo dicto.

DE DOLORE, ET TVMORE, ET VENtositate matricis. CAP. XXXII.

Ad dolorem Matricis cùm secũdum plurimum ab oppilatione uiarum eius pendeat, si non fuerit cum superfluo fluxu menstruorum, fiat phlebotomia ex saphena pedis dextri. Si uerò fuerit cum præsentia uentositatis tendentis tunicas matricis, tunc prætermittatur phlebotomia tãquam obnocua ipsi matrici. Facta phlebotomia, *ubi expedit ad dolorem matricis etiam si à uentositate esset, expertum est, digerere materiam afficientem matricem, & eam euacuare peridoneum esse.*

Syrupus valens ad dolorem matricis cum confortatione eius in præparatione apertionis viarum eius, talis est.

Recip. Syrupi de matricaria unc.i. syrupi de duabus radicibus, mellis rosati colati ana unc.s. aquarum artemisiæ, fœniculi, calamenti ana unc.i. misce, continuato syrupo per vii. dies.

Medicina sequens octaua die danda est, & multum experta est.

Recip. Diacatholiconis, diasenæ lenitiui ana unc.s. electuarij elescoph. drach.ij. specierum hyeræ simplicis Galeni drac. i. misce

i.miſce, & fiat potus cum aqua decoctionis florum cordialium, & arthemiſiæ, qui exhibeatur patienti per horam ante lucem. Facta euacuatione in ſedatione doloris, compertum eſt quòd ſi mulier capiat quolibet mane in diluculo infraſcriptum potum, proculdubio ſanabitur à dolore, & à uentoſitate matricis, & eſt ſecretum mulierum Bononiæ.

Recip. Aquæ arthemiſiæ lib.ij. ſpicæ, ſquinanti ana unc. s. bulliant inſimul uſq; ad conſumptionem tertiæ partis aquæ, deinde colentur ſine expreſſione. Deinde.

Recip. Colaturæ prædictæ unc. iij. mellis roſati colati unc.s.miſce, & detur patienti per nouem dies continuos: & aduerte quòd hæc potio multum utilis eſt, & optima ad imprægnandam mulierem.

Ad idem, expertum eſt, quòd ſi mulieri patienti etiam dolorem matricis à ventoſitate, detur infraſcriptus potus per x. dies continuos, ſanabitur à dolore matricis, & ſcias quòd eſt ſecretum memoriæ mandandum.

Recip. Radicum matricariæ unc.i. Dauci unc.s. mellis albi unc.ij.miſce, & bulliant bene ſpumando mel, uſq; ad mellis decoctionem. Deinde cum forti expreſſione coletur, & prædicti mellis.

Recip. unc.ij. iuris pullæ, decoctionis aniſorum unc.iij. miſce, & detur patienti modo dicto.

Ad idem, expertum eſt à mulieribus.

Recip. nucis muſcatæ drach.i. radicum matricariæ drac. i.s. ſpicæ ſcrup.i. bulliant in uncijs. vi. uini albi potentis, uſq; ad conſumptionem tertiæ partis. Deinde coletur, & colaturæ adde ſacchari albiſſimi drach.ij. & detur patienti mulieri in diluculo, & qualibet hora, qua dolor infeſtabit.

Ad

Ad idem,& est expertum multum conferre,si patienti exhibeatur infrascriptum medicamentum.

Recip. *Diacimini, diagalangæ ana drach.ii. diabuglossati drach.i.misce,& detur patienti qualibet hora doloris,& immediatè bibat haustum uini albi potentis.*

Ad idem, vbi dolor vehementer infestaret mulierem, & timor esset de debilitate virtutis futura, sequens remedium inuentum est sedare dolorem matricis.

Recip. *Philonii romani drach.i.diacimini, diagalãgæ ana drach.s.misce, & fiat bolus, qui detur patienti qualibet hora doloris.*

Ad idem, & est remedium mulierum, & optimè valens in dolore matricis, & etiam à uentositate liberat.

Recip. *Pomum dulce euiscératum numero.i.in cuius concauo ponantur infrascriptæ species.*

Recip. *Nucis muscatæ, macis, cinnamomi, ana drach.s. garyophyllorum scrup.s. omnibus puluerizatis cum modico sacchari coquantur in dicto pomo cineribus ignitis appositis. Demum mulieri detur qualibet hora doloris. Quòd si dolor esset tantæ uehementiæ, ut suspicaretur de uita mulieris, cum prædicti apponito gra. duo opii. & citam uidebis sedationem doloris.*

Ad idem, & est expertum.

Recip. *Galangæ, zedoariæ, arthemisiæ ana drach.i.spicæ,zinziberis, ana scrup.i.nucis muscatæ, macis, cinnamomi, garyophyllorum ana drach.s. sacchari albissimi unc.s. misce, & fiat puluis subtilissimus, de quo puluere quolibet mane stomacho ieiuno dabis drac.ii.cũ duobus ouis sorbilibus*

Ad

Ad idem, & est expertum dare mulieri qualibet hora doloris infrascriptum medicamentum multum conferre.

Recip. Sem. dauci subtiliter puluerizati drach. i. mellis ro sati colati unc. ii. misce, & detur patienti dolorem talem.

Ad idem, & est expertum, si mulieri manè, & vesperi abluantur pedes cum infrascripta lotione, multum conferre.

Recip. Calamenti, matricariæ, florum camomillæ, saluiæ, roris marini ana M. i. bulliant omnia in sufficienti quantitate lixiuii, uel aquæ cineris, usq; ad consumptionẽ tertiæ partis, & cum ea abluantur crura ipsius mulieris à genu infrà.

Ad idem.

Multum conferunt frictiones factæ totis cruribus, incipiendo à supremo coxæ usq; ad clauiculam pedis, cum panno aliquantisper aspero. conferunt etiam in eodem casu appositiones uentosarum super coxas.

Ad idem, & est expertum, si patienti dolorem matricis assiduetur apponere infrascriptum saccum toti regioni matricis die noctuque, conferre.

Recip. Florum camomillæ, meliloti, anethi, fœnugræci, semi. lini ana M. ii. arthemisiæ, calamenti, pulegii, abrotani ana M. i. anisorum, fœniculi, ameos, polipodii quercini ana P. i. misce. Et contundantur grosso modo, & ex his fiat saccus, quo patiens utatur modo dicto.

Ad idem, poteris fomentare matricem cum sequenti fomento sicco, & erit valde vtile.

Recip. Arthemisiæ, florum camomillæ, mẽnthæ, calamenthi ana M. i. igniatur tegula, & super aspergatur uinum odoriferum. Deinde ponantur prædictæ herbæ super dictam tegulam

gulam, & ipsæ calefactæ apponantur matrici qualibet hora doloris. & aduerte ne matrici applicentur fomentationes humidæ, quoniam humiditas multum nocua est matrici.

Ad idem, & est secretum, & experientia compertum est, si ipsius patientis mulieris interiora coxarum versus vuluam vsquequo tangamus collum matricis, inungere cum sequenti oleo.

Recip. Olei sisamini unc. i. muſci fini gran. x. ambræ gran. iij. dissoluantur hæc in oleo prædicto, & cum eo calido ungatur, sicut dictum est.

Ad idem, & est optimè expertum, inungere totam regionem matricis cum sequenti oleo, & in eo madefacere filtrum, & calidum matrici applicare conferre.

Recip. Olei de cheiri lib. i. olei sambucini unc. iiij. misce, et cum eo calido fiat, ut dictum est. Et nota quòd applicare dictum filtrum calidum madefactum in prædicto oleo uentri mulieris patienti dolorem ex partu, mirabiliter illos dolores sedat.

Ad idem, & est expertum, si mulieri patienti dolorem matricis assiduetur sequens clystere, multum conferre.

Recip. Arthemisiæ, florum camomillæ, meliloti, anethi, fœnugræci, semi. lini, anisorum ana M. i. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem tertiæ partis deinde colentur, & de colatura.

Recip. unc. x. benedictæ unc. i. hieræ simp. unc. s. olei de cheiri unc. iij. uitelli oui numero. i. sacchari rubei unc. i. s. salis communis drach. iij. misce, & fiat clystere. Quòd si mulier patiens dolorem sit in partu, sicut plerunque contingit,

non

non debes transire tale clystere, quale est infrascriptum: aliter mulieri enixæ nocumentum induceres non paruum.

Recip. Iuris pullæ lib.i. arthemisiæ, anisorum, florum camomillæ ana M.s. bulliant insimul usq; ad consumptionẽ tertiæ partis iuris, deinde colentur forti expressione, & colaturæ adde olei de cheiri unc.iij. uitelli oui numero.i. sacchari rubei unc.i. salis communis drach.ij. & fiat clystere.

Ad idem, & est experientia compertum, si dolor matricis diuturnus erit, applicare regioni matricis infrascriptum cærotum erit multum conueniens.

Recip. Matricariæ siccæ, florum cheiri exiccatorum ana unc.i. gallæ muscatæ Mesuæ, uel alefanginæ pro pauperibus unc.s. galbani, bdellij, serapini ana drach.ij. olibani, masticis, ana drach.i.s. dissoluantur gummi in oleo de cheiri, & alia puluerizanda puluerizentur, & cum pice, & cæra, & modico olei sisamini fiat cærotum, cuius quantitas extensa super corium regioni matricis applicetur, & permutetur de octo in octo dies.

DE RETENTIONE MENSTRVORVM.

CAPVT XXXIII.

CVM medicus accersitus fuerit ab initio retentionis mẽstruorum, si modum curæ sequentis obseruabit, proculdubio menstrua aperientur. Igitur primo detur mulieri infrascriptus bolus in diluculo.

Recip. Cassiæ nouiter tractæ drach.x. specierum hieræ simplicis drach.ii. misce, & fiat bolus cum saccharo: sequẽti uerò die per horas tres ante prandium, ut uirtus exoneretur à materia stante sub forma causæ antecedentis, seu ab oppilatione existente in ambitu totius corporis ipsius mulieris,

ordina

ordina ei phlebotomiam basilicæ brachii dextri cum extractione sanguinis unc.iiii. Deinde duobus transactis diebus per duas horas ante cœnam phlebotomiam statue ex saphena cruris dextri, cum extractione sanguinis unc. vi. demum per tres continuos dies in diluculo detur mulieri patienti retentionem menstruorum, infrascriptus potus.

Recip. Aquæ decoctionis cicerum rubeorũ unc. viii. croci gran. iii. misce, & tepidus exhibeatur: aduerte tamẽ quòd hic modus curæ non fiat à medico, nisi cùm mulier appropinquauerit tempori menstruorum consuetorum, & per octo dies ante aduentum eorum hic modus curæ exerceatur: ubi uerò his menses non reserarentur, sequenti die saphena in talo pedis sinistri secetur: & si fuerit necesse post phlebotomiam hanc aperire adhuc menstrua retenta, iubeo digestionem in materia, & illius purgationem, consuloq; quòd per vii. dies continuos mulier in diluculo capiat infrascriptum syrupum.

Recip. Syrupi de quinque radicibus unc. i. de arthemisia, mellis rosati colati ana unc. s. aquarum matricariæ, fœniculi, lupullorum ana unc. i. misce. octauo uerò die purgetur materia obstruens meatus matricis, cum sequenti medicina.

Recip. Diasebesten lenitiui, diacatholiconis ana unc. s. agarici electi drach. ii. reubarbari drach. i. s. infundatur agaricus in oxymelle simplici cum modico zinziberis, & salis gemmæ per x. horas. Infundatur quoque reubarbarum cum modico spicæ in aqua endiuiæ, & cum modico uini albi odoriferi per totidem horas. Deinde eorum omnium fiat fortis expressio, & cum decoctione communi florum, & fructuũ, cum qua bulliat aloës loti ligati in petia drach. i. & fiat potus, qui exhibeatur patienti per duas horas ante lucem. Factis

ctis his purgationibus, si per eas menstrua non aperirentur, ad eorum maiorem apertionem expertum est multum conferre, si dabitur patienti infrascriptus potus in uesperi, cùm mulier ibit dormitum, & in diluculo, super ipsum ad minus per horam dormiendo.

Recip. *Succi sauinæ unc.ij. purificetur succus, cui adde cassiæ ligneæ subtiliter puluerizatæ drach.ij. croci gran.iiij. aquæ distillationis raphani unc.ij. misce pro duabus uicibus cum modico sacchari. & scias quòd istud est forte aperitiuum menstruorum: quo fit, ut cauere debeas ne mulieri prægnanti ipsum des, quoniam quæcunque prouocant menstrua, faciunt abortum.*

Ad idem, est secretum, & optimè expertum in apertione menstruorum, & prouocatione abortus dare mulieri bis in die in ingressu lecti, & in diluculo sequentem potum.

Recip. *Aquæ pimpinellæ unc.iiij. croci gran.ij. sacchari drach.ij. misce, & fiat potus pro una uice.*

Ad idem, est secretum, & expertum in prouocatione menstruorum, & in exitu fœtus mortui, & in prouocatione abortus, & in facilitando partũ.

Recip. *Boracis mineralis drach.ij. cassiæ ligneæ scrup. ij. croci gran.iij. puluerizentur omnia subtilissimè, & cum quinque uncijs aquæ matricariæ exhibeatur semel in septimana.*

Ad idem, expertum est, & semper valere in apertione menstruorum, dare mulieri alternis diebus immediatè ante prandium tres de sequentibus pilulis, certissimè menstrua aperientur.

Recip. *Aloës loti drach.ij. cum succo sauinæ fiant pilu-*

læ numero xxx. de quibus tres dabis mulieri modo dicto, & est expertum.

Ad idem, & est prouocatiuum menstruorũ expertum, quòd si mulier fuerit prægnans, menstrua non aperiet. Si verò non prægnans, fuerit, mox menstrua aperiet.

Recip. Betonicæ, squinanti, cinnamomi, cyperi, assari, nigellæ, cassiæ ligneæ, ireos ana drach. i. ex his fiat puluis subtilis, demum cribelletur, & pars grossa quæ remanet, ponatur in uncijs xii. uini albi subtilis, & dimittatur in infusione per diem naturalem, deinde uinum sine expressione coletur, & diuidatur in sex partes, unicuiq; parti uini appones partem unam pulueris subtilis, & continuabis per sex dies in diluculo, uel (quod melius est) in uesperi cùm mulier ibit dormitum, sic per sex uices, & uidebis apertionem menstruorum sine nocumento.

Ad idem.

Remedium domesticum in prouocatione menstruorũ est, quolibet mane, & quolibet uesperi in ingressu lecti continuare frictiones, incipiendo à coxis, usq; ad clauiculas procedere fortiter, & dolorosè fricando: & si frictiones solæ non contulerint, remedium est apponere uentosas in domestica parte coxarum, & in plicatura genuum. Quòd si expediens fuerit, eas scarificabis.

Ad idem.

Expertum est, si uesperi in ingressu lecti, & mane fiant infrascriptæ lotiones à coxis infrà, procul dubio aperientur menstrua, si cum ipsis lotionibus in diluculo detur patienti infrascriptus potus.

Lotio

Lotio hæc est.

Recip. *Calamenti, pulegii, salviæ, arthemisiæ, roris marini ana M.i. radicum lireos, radicum ebuli, radicum sambuci ana M.s. bulliant omnia in sufficienti quantitate uini albi potentis, usq; ad consumptionem tertiæ partis, & fiant dictæ lotiones. Potus quem debet mulier assumere in diluculo quolibet die, quo fiunt lotiones, talis est.*

Recip. *Theriacæ antiquæ drach.i. croci gran.iii. aquæ arthemisiæ unc.ii. misce, & fiat potus. Et nota quòd isto potu indubitatò aperientur menstrua, si quinq; uicibus mulier ipsum capiat, super factis lotionibus prædictis.*

Ad idem, & est expertum, & mirabiliter aperit menstrua, si ori matricis imponatur sequens suppositorium.

Recip. *Succi mercurialis unc.ii. salis nitri, salis gemmæ ana drach.i. fiat suppositorium longum de bombice, & ipsum madefactum in huiusmodi succo ori matricis impone, & repentinam uidebis menstruorum apertionem.*

Ad idem, secretum est, & expertum, si mulieri in ore matricis imponatur sequens pilula.

Recip. *Theriacæ antiquæ unc.i succi sauinæ scrup.i. misce, & fiat ad formam pilulæ, & cum digitis imponatur ori matricis, et citissime apparebunt tibi menstruorũ apertiones.*

Ad idem, si cum traiectorio in matrice proijciatur sequens liquor, statim videbis apertionem menstruorum.

Recip. *Succi sauinæ unc. iii. succi ebuli unc.i. croci drac. i. aquæ matricariæ lib.s. misce, & cum traiectorio impellatur dictus liquor. Ad idem, si fuerit uirgo, cuius menstrua retineantur, uiro copuletur, & sanabitur: si uerò monialis*

fuerit, solicita apponere ori matricis mercurialem, & menstrua apparebunt.

DE SVPERFLVO FLVXV MENstruorum. CAP. XXXIIII.

OCCVRRENTE tibi muliere à principio, cuius menstrua prærupta sint plusquàm oporteat, consulo, ut tua intentio primò sit ad oppositam regionem sanguinem ipsum reuellere, & istud facies, & bene tibi succedet, & pluribus uteris ingenijs. Vno phlebotomia per apertionem uenarum superiorum. sic igitur phlebotomabis primò basilicam lateris dextri, & paululum de sanguine extrahes, sed tribus continuis diebus eandem reiterabis phlebotomiam, ut & successiua continuata, & paulatina sanguinis diuersione natura assuescat ad oppositam regionem. Quòd si hac phlebotomia non obserentur menstrua, consulo, ut aperiantur phlebotomo, uel alio ingenio narium uenæ. Et hæc est optima cura in retentione menstruorum superfluentium.

Secundum ingenium, quod omnino debes operari, est apponere uentosam magnam supra hepatis regionẽ, alteramq; supra splenem, quoniam non solùm fiet reuulsio sanguinis à matrice, sed & in oppositio loco fiet eiusdem retentio. Et nota, quòd diu non debes propinari huiuscemodi uentosam apponere supra hepar, maximè cùm timor est quòd sanguis detentus ab operatione naturæ derelictus in hepate, flegmonem generet. Igitur in dispositionibus hepatis, & stomachi non debes sic apponere huiusmodi cucurbitulas, quoniam uidi multotiens apostemata generari ex his: & ideo melius est iterare appositionem earum, quàm quòd longo tempore in illis membris detineantur. Ad idem, & tene istud pro certo, quòd

quòd deriuare sanguinem ad particulam propinquam matri cis, est de his quæ maximè astringunt menstrua, ueluti si mulieri patienti profluuium menstruorum prouocentur hæmorrhoides cum appositione sanguisugarum. Quòd si hæc non contulerint, consulo, ut digeratur materia cum his, quæ sanguinem ingrossant, ut cum sequenti syrupo.

Recip. Syrupi de succo plantaginis, syrupi de succo acetosæ, syrupi rosati de rosis siccis ana unc.s. aquarum acetosæ, plantaginis, portulacæ ana unc.i. misce, continuato syrupo per septem dies, detur mulieri patienti profluuium menstruorum infrascripta medicina.

Recip. Sem. plantaginis, sem. acetosæ, sem. portulacæ ana drach.ij. myrobalanorum citrinorum drach.ii.s. sem. citoniorum, coraliorum rubeorum, seminum rosarum rubearum ana drach.i. bulliant in sufficienti quantitate aquæ calibeatæ usq; ad consumptionem medietatis, & colentur cum forti expressione, & cum colatura dissolue electuarij rosati Mesuæ drach.iii. reubarbari electi drach.ii. boli armeni scru. ii. puluerizentur puluerizanda, & fiat potus, qui patienti exhibeatur per horam ante lucem. Vbi autem hæc non contulerint, uolo ut habeas pro experto, & secreto, quòd si patienti profluuium menstruorum per septem dies continuos in diluculo dabis infrascriptum bolum, optimum tibi succedet iuuamentum.

Recip. Philonii persici scrup.iiii. boli armeni scrup.i. misce, & fiat bolus, qui exhibeatur patienti modo dicto.

Ad idem, volo vt habeas istud pro secreto in obserando superflua menstrua, dare patienti infrascri ptum succum, optimam videbis operationem.

Recip. Succi millefolii unc. ii. sacchari albissimi drach.i.

miſce, & detur patienti in diluculo.

Ad idem, expertum eſt, & te excuſabit ab vlteriori operatione.

Recip. *Trochiſcorum de terra ſigillata ſcrup.i. trochiſcorum de carabe drach.i. miſce, & fiat puluis ſubtilis, qui exhibeatur mulieri tribus diebus alternatis in diluculo diſſoluti in uino nigro ſtiptico quantum ſufficit.*

Ad idem, expertum eſt, ſi detur mulieri drach.i. ſequentis pulueris, citam videbis menſtruorum clauſionem.

Recip. *Pellicularum interiorum corticum nucis auellanæ ſylueſtris immediatè ſuper nucleum exiſtentis unc.s. fiat puluis ſubtiliſſimus, qui exhibeatur modo dicto.*

Ad idem.

Si mulieri patienti diuturnum profluuium menſtruorum applicetur uentoſa magna in hepatis regione continuè per xv. dies continuos hora una, ſanabitur à profluuio menſtruorum.

Ad idem, expertum, ſi mulieri patienti diuturnum fluxum menſtruorum applicare intra duos renes cærotum ſequens, & pectini mulieris patiēti profluuium menſtruorum, multum conferre.

Recip. *Boli armeni, terræ ſigillatæ, ſanguinis draconis ana unc.s. thuris, maſticis, mirrhæ ana drach.ij. pilorum leporis combuſtorum, pilorum talpæ combuſtorum ana drach.i.s. acatiæ, hypociſtidos ana drach.i. ſeminis acetoſæ, ſeminis plantaginis, ſeminis portulacæ, ſeminis citoniorum ana drach.ij.s. pulueriz entur omnia ſubtiliter, & cum oleo roſato omphacino incorporentur pulueres, & deinde cum pice, & cæra quantum ſufficit fiat magdaleon, cuius quantitas*

titas extensa super corium apponatur dictis partibus mulieris, & non remoueatur ab ea per sex dies continuos, deinde reiteretur.

Ad idem, expertum est, quòd si mulier per decem dies continuos, cuius fluxus menstruorum est diuturnus, capiat manè, & vesperi ante cibum vnam de infrascriptis pilulis, sanabitur à fluxu menstruorum.

Recip. Olibani, mirrhæ, masticis, ana drach. i. boli armeni drach. s. pulverizentur omnia subtiliter, & cum succo citoniorum fiant pilulæ numero x.

Ad idem, expertum, si mulier suffumigetur sequenti suffumigio, multum conferre.

Recip. Vngulæ asini, vel equi, unc. i. pellis anguillæ exiccatæ unc. s. thuris, masticis, ana drach. ij. pulverizentur omnia subtiliter, & cum succo citoniorum fiant pilulæ ad formam auellanæ. Deinde manè, & vesperi in assella suffumigetur uulua mulieris.

Ad idem, expertum, si mulier quolibet vesperi in ingressu lecti inungat sibi plantas pedum cum sequenti linimento, curabitur à profluuio menstruorum.

Recip. Succi plantaginis, succi solatri, succi semperuiuæ, ana unc. s. coraliorum rubeorum, thuris, masticis, ana drac. i. s. coriandrorum præparatorum, seminum rosarum rubearum ana scrup. ii. seminum iusquiami albi, corticum radicum mandragoræ ana drach. s. aceti nigri fortissimi unc. s. pulverizentur pulverizanda subtiliter, & omnia misceantur, & eo tepido leniantur plantæ pedum modo dicto, & optimam uidebis experientiam.

Ad idem, expertum est,& secretum, si mane, & in ingressu lecti, mulier capiat tres de infrascriptis pilulis, & superbibat haustum vini nigri.

Recip. Trochiscorum de carabe, de terra sigillata, de spodio, ana drach. i. misce. Et cum succo citoniorum fiant pilulæ numero xviij. & capiat modo dicto.

Ad idem, dare mulieri per septem dies continuos in diluculo drach. ij. triferæ descriptione Phenonis, multum valet.

DE MATRICIS PRAEFOCATIONE.

CAPVT XXXV.

Ad præfocationem matricis, si fuerit ex retentione mẽstruorum, sicut frequenter contingit, tunc curam habeas aperiendi menstrua: si uerò fuerit ex apostemate matricis, curam uidebis cùm loquemur de apostematibus matricis.

Si uerò fuerit ex retentione spermatis, curam hodie habebis.

Ad præfocationem ex retento spermate.

Sublimis cura, & infallibilis,& bene experta est, prohibere spermatis generationem cum syrupis appropriatis digerentibus, & cum euacuatione, de qua dicemus modo. Et aduerte, quòd in præfocatione matricis à spermate retento non debes uti phlebotomia, quoniam ipsa mirum in modum infrigidat matricem: & sic ipsa magis infrigidata minus poterit resistere generationi malorum uaporum à spermate: et hoc tibi dico in actu præfocationis matricis. In præseruatione uerò ab ea, consulo, ut docet experientia, quòd ipsa mulier solita pati talem præfocationẽ, quater in anno phlebotometur, & quinquies uel sexies, secundum abundan-

tiam

tiam sanguinis in ea, quoniam diminuto sanguine, minuetur propria materia generationis spermatis: cum uerò mulier esset prægnans, non phlebotomabis eam, quia accidentia sæuiora inualescerent.

Ad idem, expertum, vbi adhuc stante fluxu menstruorum mulier esset præfocata à sola spermatis retentione, si dabitur mulieri infrascripta confectio, multùm conferre, immediatè super bibendo infrascriptum potum.

Recip. Sem. agni casti, sem. portulacæ, sem. acetosæ ana drach. i. sem. menthæ sem. calamenti, ana scrup. ij. pulueriz entur omnia subtiliter, & cum saccharo dissoluto in aquâ menthæ quantum sufficit, fiat confectio in rotulis iij. drach. pro qualibet, una quarum mane & uesperi ante cibum per horam detur patienti mulieri. deinde superbibat immediatè infrascriptum potum.

Recip. Aquæ menthæ unc. iij. uini citoniorum unc. s. miscе, & fiat potus.

Ad idem, cùm fuerit à spermate retento.

Recip. Aceti fortißimi unc. ij. salis gẽmæ, salis nitri ana drach. ij. misce, & in hoc liquore intingatur suppositoriũ magnum factum ex bombice, & matrici imponatur. ualet hoc, & bene expertum est.

Ad idem, quòd si mane & vesperi abluãtur crura mulieris cum sequenti lotione, multũ conferet.

Recip. Radicum Ireos, radicum calamenti, radicum ciclaminis ana M. i. bulliant in sufficienti quantitate uini potẽtis usque ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & colatura usui seruetur.

Ad idem, expertum nõ solum in præfocatione à spermate,

ſpermate, ſed à quacunque alia cauſa, vbi patiens vtatur infraſcripto balneo, ſedendo in eo mane & veſperi, per tempus ad minus unius horæ.

Recip. Matricariæ, florum camomillæ, calamenti, abrotani, aniſorum, carui, dauci ana M.i. ſem. acetoſæ, ſem. agni caſti, coriandrorum præparatorum ana. M.s. bulliãt in ſufficienti quantitate aquæ uſque ad conſumptionẽ quartæ partis, deinde mulier ſedeat in dicta decoctione: poſtquàm exierit ex huiuſmodi balneo, inungat ſibi immediatè partes domeſticas coxarum, cum ſequenti unguento.

Recip. Gallia muſcatæ drach.i. olei ſiſamini drach.i.s. cæræ albæ quantum ſufficit, & fiat linimentum, cum quo non ſolum coxas, ſed & intrinſecas partes uuluæ uſque ad collum matricis inunges.

Ad idem, à quacunque cauſa, & eſt expertum, & ſecretum, dare patienti quolibet mane vnam de ſequentibus pilulis, ſtomacho ieiuno, multum conferre.

Recip. Aſſæ fœtidæ drach.i. dauci drach.s. omnia inſimul miſceantur cum melle roſato, & fiant pilule numero v. & iſtud ualet in curatione, & in præſeruatione à præfocatione matricis.

Ad idem, expertum eſt, ſi dentur qualibet ſeptimana una vice ſequentes pilulæ.

Recip. Pilularum aggregatiuarum drach.s. aſſæ fœtidæ, caſtorei, ana ſcrup.s. miſce, & cum melle roſato fiant pilulæ numero iij.

Ad idem, valens præfocationi in effectu, & ne mulier cadat in eam, dare quotidie per tres horas ante lucem in præſeruatione, & qualibet hora in curatione,

curatione, infrascriptam pilulã multum conferre.

Recip. *Assæ fœtidæ scrup.i. mithridati optimi scrup.ij. misce, & fiant pilulæ numero tres, quarum una detur modo dicto.*

Ad idem, & mulieri præfocatæ, & in præseruatione à præfocatione ualet, dare infrascriptum bolum, & multum confert.

Recip. *Terebentinæ lotæ cum aqua matricariæ drach. iij. dauci scrup.i. misce cum modico mellis rosati, & fiat bolus, qui exhibeatur modo dicto.*

Ad idem, & à quacunque causa prouenit, secretum est, dare mulieri infrascriptum bolum alternis diebus, & in curatione, & in præseruatione multum conferre.

Recip. *Agarici electi scrup.ij. terebentinæ drach.ij. sem. dauci, assæ fœtidæ ana scrup.s. misce, & fiat bolus, qui exhibeatur modo dicto.*

Ad idem, si dabis mulieri infrascriptum potũ, liberabis eam à præfocatione actuali, & præseruabis à futura.

Recip. *Aquæ distillationis radicũ dauci.i. pastinacæ syluestris unc.v. mellis rosati unc.i.s. misce. & huiusmodi potus excusabit te ab exhibitione aquæ balnei ipsis præfocatis.*

Ad idem, si suffumigabis nares ipsius mulieris in hora præfocationis sequenti suffumigio, statim releuabitur mulier à præfocatione.

Recip. *Castorei drach.ij. capillorum dictæ mulieris præfocatæ drach.i. misce cum resina pini, fiant pilulæ ad modum auellanæ, cum una quarum suffumigetur mulier modo dicto.*

Ad

Ad idem.

Recip. *Assæ fœtidæ, euphorbij, castorei ana drach.i. misce, & fiat pilula ad formam auellanæ, & suffumigetur modo dicto.*

Ad idē, valet si mulieri quolibet mane per quatuor horas ante cibum, detur infrascriptus potus.

Recip. *Aquæ rosatæ unc. iij. syrupi de corticibus citri unc.i. specierum aromatici rosati unc.i.s. musci optimi gra. ii. misce, & fiat puluis, qui cum prædicta aqua detur mulieri modo dicto. Et de his satis.*

De exitv matricis. cap. xxxvi.

Ad exitvm *matricis compertum est, quòd si mulier cum digitis inunctis in sequenti oleo pellat sursum collum matricis, demum imponendo infrascriptum puluerem in collo ipsius matricis, mirabiliter conferre.*

Recip. *Olei masticis, olei rosati omphacini, ana unc. ij. cū prædicto oleo impellatur matrix sursum. & puluis, quo debet collum matricis superaspergi.*

Talis est.

Recip. *Cupularum glandium, balaustiarum, corticum granatorum, granorum myrti ana scrup.i. thuris, masticis, acatiæ, hypocistidos drach.s. misce, & fiat puluis subtilissimus.*

Ad idē, si regioni matricis in aluo mulieris imponatur sequens cærotum, idem quoque ponatur in dorso mulieris de directo matricis usq; ad duas anchas, satis ualet.

Recip. *Seminum acetosæ, seminum plantaginis, coriandrorum præparatorum ana drach.ij. coraliorum rubeorum seminum,*

seminum rosarum rubearum ana drach.i. hypocistidos, acatiæ, thuris, ana drach.i.s. gallarum, corticum granatorum, balaustiarum ana drach.ij. pulueriz entur omnia subtiliter, & densentur pulueres cum oleo rosato omphacino, deinde cum cæra & pice quantum sufficit fiat cærotum. quod extensum super corium in locis dictis imponatur.

Ad idem, si mulieri patienti exitum matricis, quolibet mane assumpto infrascripto liquore confestim imponatur magna uētosa infra umbilicum immediatè, & ipsam per horam detineat, bene confert. Liquor talis est.

Recip. *Succi citoniorum, succi mirtillorum ana unc. ij. coraliorum rubeorum, boli armeni ana drach.i. pulueriz entur omnia pulueriz anda, & detur mulieri.*

Ad idem, apponere cærotum factum ex gallia muscata Mesuæ ipsi umbilico, plus tamen stomachum uersus, multum ualet.

DE APOSTEMATE MATRICIS.

CAPVT XXXVII.

AD *apostema matricis, si apostema in initio sui fuerit, phlebotomabis mulierem ex uena nigra brachij dextri, & tantò copiosius, quantò mulier erit plena malis humoribus. Tali enim euacuatione sanguinis totum exonerabitur corpus à causa antecedente ipsius apostematis, ut inde residuum materiæ existentis in matrice, natura ualeat resoluere, deinde intercedente die phlebotomabis saphenam dextri pedis, & tantò plus de sanguine extrahes, quantò mulier erit sanguineæ temperaturæ, & abundantior erit materia in matrice.*

Ad

Ad idem.

His celebratis phlebotomiis, expertum est, quòd digerere materiam facientem apostema infrascripto syrupo, & eam euacuare infrascripta medicina, multum confert.

Syrupus talis est.

Recip. Syrupi de duabus radicibus (& hoc si materia apostematis fuerit frigida, sicut in pluribus contingit, quoniam materia generationis apostematis matricis ut plurimũ est melãcholica) syrupi matricariæ, mellis rosati colati ana unc.s. aquarum artemisiæ, lupulorum, buglossæ ana unc. i. misce, & utere per septem dies continuos. octauo uerò die purgetur materia sequenti medicina.

Recip. Diasenæ lenitiui unc.i. confectionis amech. drach. ii. electuarii indi maioris drach.i. uel minoris secundum fortitudinem uirtutis patientis. dissoluantur omnia cũ decoctione matricariæ, epithymi, polypodii, folliculorum senæ quantum sufficit, & fiat potus.

Ad idem, si mulier vtatur semel in septimana infrascripta potione, præseruabitur ab apostemate matricis, & curabitur ab instante apostemate.

Recip. Succi lupulorum unc.i.s. succi buglossæ unc.s. epithymi subtiliter puluerizati drach.ii. aquæ decoctionis polypodii, & senæ unc.ii. & fiat potus, qui calidus patienti exhibeatur. Ad idem, si detur mulieri patienti apostema matricis, bis in septimana unc.ii. succi fumiterræ cum unc.iiii. aquæ tormentillæ, ipsam curabis.

Ad idem.

Si mulier quotidie stomacho ieiuno utatur decoctione mirobalanorum indorum, & emblicorum cum unc.i. succi fumiterræ, subitò procul dubio præseruabitur à futuro apostemate

mate matricis, & à præsenti curabitur.

Ad idem.

Si mulieri patienti apostema matricis, quod utique terminandum est per uiam resolutionis, & non per uiam suppurationis, expertum, si frequententur cucurbitulæ super coxas, & in plicatura genuum ad minus bis in septimana cum scarificatione, multum conferre. Et recordare quòd in curatione apostematis matricis nõ debes uti frigidis repercussiuis, quoniam matrix est membrum neruosum, cui frigida admodum nocua sunt: tum etiam quòd ipsis frigidis materia magis compingitur, & apostema concrescet. Quapropter expertum est, si matricis apostemati applicetur sequens emplastrum, multum conferre ad ipsius resolutionem.

Recip. Florum camomillæ, meliloti, matricariæ, foliorum maluæ cum radicibus uiolariæ, branchæ ursinæ ana M. i. radicum althææ minutim incisæ unc. iii. bulliant in sufficiẽti quantitate aquæ usque ad consumptionem medietatis. Deinde adde farinæ seminis lini, farinæ fœnugræci ana M. i. butyri, pinguedinis anatis, pinguedinis gallinæ ana unc. s. olei anethi, decoctionis matricariæ ana quantum sufficit ad impinguandum emplastrum. Et recordare quòd fomentationes humidæ (ut expertũ est) in ægritudinibus matricis obnocuæ sunt. Ideo in actu practico quantum potes illas caue.

Ad idem, est expertũ, si mulier assiduet sequens emplastrum, quòd apostema matricis resoluetur.

Recip. Succi camomillæ uiridis, succi matricariæ ana unc. ii. emplastri de meliloto lib. i. misce, & loco apostemato applicetur.

Ad idem, si apostema matricis vngatur cum sequenti vnguento, demum ei superaspergatur pul-

uis

uis sequens, illius apostema resoluetur. Vnguentum tale est.

Recip. *Succi althææ, succi ireos, succi matricariæ ana unc.ij.bdellij, oppoponacis, galbani ana drach.ij.dissoluantur gummi cum prædictis succis, & cum modico cæræ fiat unguentum molle, ungatur cum isto unguento calido tota matricis regio, & statim superaspergatur ei puluis sequens.*

Recip. *Radicum zedoariæ exiccatarum, galangæ ana drach.ij.ligni aloës, macis, nucis muscatæ ana drach.i.carui, dauci, ameos ana drach.i.s.misce, & fiat puluis subtilis.*

Ad idem, si mulieri applicetur sequẽs cærotum in loco apostematis matricis, multum confert.

Recip. *Diaquilonis sine gummis unc. vi. cæroti hyssopi unc.i.croci drach.ij. succi matricariæ unc.i.s. cum cæra & modico resinæ pini, fiat cærotum, quo utere modo dicto.*

Ad idem, si sequẽs liquor sæpius in matrice mulieris imponatur, plurimum confert.

Recip. *Succi althææ unc.iij.lactis ouini unc.ij.croci drac.i.misce, & imponatur modo dicto. Quòd si apostemata matricis noluerint obedire resolutioni, sed etiam cum his alijs ad suppurationem apostemata peruenerint, tunc disrupto apostemate his medicaminibus, quibus utebamur ad disruptionem apostematis stomachi, curabimus matricem cum curatione ulcerum eius.*

DE VLCERIBVS MATRICIS.

CAP. XXXVIII.

Ad *ulcera matricis facta quidem ex suppurato & disrupto apostemate, primum remedium debet esse abstersiuum, mundificatiuum, lotiuum, & in hoc expertum est*

sequens

sequens medicamentum.

Recip. *Aquæ fontis claræ lib.ij. hordei non excorticati unc.iij. mellis rosati unc.iiij. misce, & inuicem bulliant quousque tertia pars aquæ consumpta sit, deinde colentur, & cum colatura quater in die cum proprio iniectorio injciatur aqua ista tepida: & aduerte quòd quæ frigida sunt, non debent ad intus matricem afferri, quia matrix neruosa est, cui frigiditas nocua est. Cõtinuata iniectione prædicta aquæ per tres dies continuos, intentio tui tunc temporis sit ad consolidandum. ad quod expertum est per me sequens medicamentum multum conferre.*

Recip. *Lactis mulieris unc.iiij. olei rosati completi unc. ij. tutiæ præparatæ unc.s. aloës drach.ij. omnia simul mortario plumbeo bene ducantur, quousque fiat unguentum molle, cuius portio aliqua dissoluatur in aqua hordei, & pluries in die in matricem injciatur per collum eius.*

Ad idem confert, si sequens medicamentum in matricem mulieris injciatur.

Recip. *Terebentinæ lotæ cum aqua matricariæ unc. iij. olei rosati unc.ij. litargirij argentei unc.i. mirrhæ, aloës ana drach.ij. tutiæ drach.i.s. omnia simul in mortario plumbeo bene ducantur, quousq; fiat unguentum molle, cuius portio dissoluta in lacte ouino uel uaccino imponatur, et uidebis iuuamentum.*

Ad idem, valet si matrix syringetur cum sequẽti liquore.

Recip. *Vnguenti de tutia communis unc.ij. lactis ouini unc.viij. misce, & unguentum optimè dissoluatur, & cum prædicto matrix syringetur.*

Ad idem, si mulier in tempore quo fiunt reme-

dia localia prædicta, alternis diebus vtatur ſtomacho ieiuno de mane per quatuor horas ante cibum infraſcripto bolo, ſatis valet.

Recip. Terebentinæ ter lotæ in aqua matricariæ drach. iij. hyſſopi ſicci ſubtiliter puluerizati drach. i. s. mellis roſati drach. i. miſce, & fiat bolus, qui exhibeatur modo dicto.

Ad idem, valet ſi per tres horas ante cibum ſtomacho ieiuno mulier capiat decem dies continuos potum infraſcriptum.

Recip. Lactis ouini recenter muncti unc. vi. mellis roſati unc. i. miſce, & detur patienti ut ſupra. Et hæc de ulceribus matricis.

DE SVPERFLVO FLVXV SVPER fluitatum albarum à matrice.

CAP. XXXIX.

SVPERFLVITATES *albæ, quæ ſolent per uiam menſtruorum à matrice defluere, eorum coniuncta cauſa, eſt mala concoctio facta in ipſa matrice, propter id quod ad nutriendum matricem tranſmittitur non debitè concoctum, conuertitur in talem albam ſuperfluitatem, uel ad ipſam matricem per cõſenſum à ſuperioribus membris, capite uidelicet, ſtomacho, & hepate, confluunt ſuperfluitates, quas natura matricis imbecillis nequit reſoluere, ſed ipſæ derelictæ ab opere naturæ conuertuntur in ſuperfluitates albas, & exeũt huiuſmodi ſuperfluitates. medicus autem debet dignoſcere complexionem harum ſuperfluitatum, & ex colore maximè. Nam ſi ſuperfluitates illæ fuerint albæ, uel albæ et aquoſæ, atteſtabuntur dominio humoris pituitoſi in matrice abundantis, quẽ natura nequit regulare. Si uerò citrinæ fuerint, atteſtabuntur dominio bilioſi humoris in matrice exiſtentis,*

qui

qui defectu uirtutis matricis uertitur in superfluitates matricales. Si uerò fuerint nigri coloris, humori melancholico atteſtabuntur. Quapropter ſecundum dominium humoris peccantis, medicus debet curare ſuperfluitates albas exeuntes à matrice, quoniã potius albæ dicuntur, cùm ferè ſemper aliquid humoris pituitoſi per uiam indigeſtionis illis miſceatur: euacuatione tamen directa ad humorem, quem manifeſtabit color illarum ſuperfluitatum. quapropter ad ſuperfluitates albas ſubrubeas effectas, ſubl me remedium eſt phlebotomia baſilicæ, aſſiduë quidem facta ſemel in menſe, tribus continuis menſibus. Demum uerò rectificare ſanguinis complexionem, & fortificare uirtutem hepatis, ut ſanguis ab eo fluens, ſit pro alimento idoneus, & non pro generatione ſuperfluitatum: et quia rariſſimè ſuperfluitates ſanguineæ albæ à matrice naſcuntur, ideo de his non tantam habebit medicus ſolicitudinem, quantam habebit de ſuperfluitatibus albis à dominio choleræ, uel à dominio phlegmatis, cum magis contingant mulieribus. Obſeruabis igitur.

PRIMO, in cura ſuperfluitatum albarum ad choleram citrinam uergentium, euacuationem exonerantem membra à communibus.

SECVNDO, concoquas materiam facientem morbũ, quæ eſt cholera.

TERTIO, euacuabis eradicando materiam illam.

QVARTO, confortabis membra, tam per ea quæ intus aſſumuntur, quàm per ea quæ extrinſecus applicãtur. Obſeruato ad hæc, quòd tota tui intentio ſit in uigorando facultatem concoctricem ipſius matricis.

PRIMO igitur lenias uentrem mulieris ſequenti medicina.

Recip. Floris caſsiæ nouiter tractæ unc.i.myrobalanorũ citrinorum ſubtiliter pulueriz atorum drach.ij.miſce, et fiat bolus cum ſaccharo, qui exhibeatur mulieri in diluculo. & ſeptem diebus continuatis, ſequenti die dabis ei infraſcriptum ſyrupum.

Recip. Syrupi de ſucco acetoſæ, ſyrupi roſati de roſis ſiccis, ſyrupi myrtini, mellis roſati colati ana unc.s. aquarum plantaginis, acetoſæ, endiuiæ ana unc.i miſce.

Et nota quòd in ſyrupis conuenientibus ſuperfluitati albæ cholericæ ex matrice fluenti debent eſſe tres intentiones.

PRIMA, quòd alteretur mala complexio calida hepatis generantis choleram.

SECVNDA, quòd corrigatur malitia phlegmatis, quòd ſemper peccat, etſi à ſubdominio ſit in his ſuperfluitatibus cholericis.

TERTIA, quòd ſemper aliquod veſtigium ſtipticitatis derelinquat in membris, & humoribus. & ſic in prædicto ſyrupo iſtæ tres intentiones habendæ ſunt, ut patet intuenti. octauo uerò die mulieri patienti detur infraſcripta medicina.

Recip. Diacatholiconis drach. vi. electuarij ſucci roſarum drach.i.s. reubarbari electi drach.i.non apponas ſpicã, quoniam præparat reubarbarum magis aperire, nos autem attendimus ſtipticitati, myrobalanorum citrinorum drac.i.s. pulueriz entur pulueriz anda ſubtiliter, & cum decoctione communi florum, & fructuum quantum ſufficit, fiat potus. & hæc pro digeſtione, & euacuatione cauſæ antecedentis ſuperfluitatum à matrice cholericarum.

Si uerò, ſicut plerunque contingit, ſuperfluitates iſtæ matricales albæ ab abundantia pituitoſi humoris initiũ trahãt,

tunc

tunc principium curæ sit primo leniendo, & uias communes exonerando: secundo digerendo: tertiò abundantiam pituitæ euacuando. Primò igitur dabis patienti infrascriptam medicinam.

Recip. Diasebesten lenitiui drach. vi. medullæ carthami drach.i.s.misce cum melle rosato, & fiat bolus, qui exhibeatur in diluculo. Sequenti uerò die, et per septem dies continuos dabis patienti infrascriptum syrupum, et multum ualet hic syrupus in phlegmate, et in confortatione capitis, et stomachi, à quibus potissimum oritur pituita.

Recip. Syrupi de betonica, de duabus radicibus, mellis rosati colati ana unc.s. aquarum betonicæ, saluiæ, fœniculi ana unc.i. misce: octauo uerò die dabis patienti infrascriptam medicinam.

Recip. Diarob cum turbith unc.s. dissolue cum aqua decoctionis capillorum ueneris, saluiæ, hyssopi, et betonicæ, et patienti detur. Si uerò tibi occurrant superfluitates albæ matricales uergentes in fuscum, liuidum, uel nigrum colorem, diiudicabis illas oriri à melancholia: quæ dispositio etsi deterior cæteris sit, eius tamen curationem negligere non debes. dabis igitur patienti mulieri infrascriptam medicinam.

Recip. Diasenæ lenitiui unc.i. myrobalanorum indorum puluerizatorum drach.ii. misce, et fiat bolus cum saccharo: sequenti uerò die dabis per septem dies continuos patienti melancholicas superfluitates matricis, infrascriptũ syrupũ.

Recip. Syrupi sabor regis, de epithymo, de lupulis, mellis rosati colati ana unc.s. aquæ melissæ, buglossæ, lupulorũ ana unc.i. misce. octauo uerò die patienti dabis infrascriptam medicinam.

Recip. Diasenæ lenitiui, diacatholiconis ana unc.s. myrobalanorum indorum drac.i.s. confectionis amech. drac.ij. pulueri izentur pulueriza nda, & cum decoctione communi florum, & fructuum, cum qua bulliant folliculorum senæ, polypodij ana drach.ij. & fiat potus, qui detur patienti per duas horas ante lucem.

Ad fluxum superfluitatum albarum à matrice à quacunque causa, expertum est, sequentem confectionem multum conferre.

Recip. Coriandrorum præparatorũ, sem. acetosæ, sem. plantaginis, sem. agni casti, ana drach.i. terræ sigillatæ, boli armeni ana drach.s. specierum aromatici rosati drach.ij. specierum diadraganti frigidi drach.i. pulueri zentur omnia subtiliter, & cum saccharo dissoluto in aqua plantaginis quantum sufficit fiat confectio in rotulis drachmarum.ij. pro qualibet: quarum una quolibet mane per tres horas ante cibum detur patienti, super quam immediatè capiat haustum uini nigri stiptici, & tantundem in uesperi ante cibum.

Ad idem, expertum est, sequentem confectionem breuissimo tẽpore ægritudinem illã curare, si patienti mulieri dabis eodem modo quo prima.

Recip. Gummi arabici, dragaganti, amidi ana drach.ij. masticis drach.i. pulueri zentur omnia subtiliter, & cũ saccharo optimo dissoluto cum succo citoniorum fiat confectio in rotulis duarum drachmarum pro qualibet.

Ad idem, & est expertum, optimè curare ægritudinem istam si detur patiẽti manè, & vesperi bolus infrascripti electuarij.

Recip. Scoriæ ferri præparatæ, & subtilissimè pulueri zatæ unc.iij. pulueris trochiscorum de carabe drach.ij. omnia

nia subtilissimè puluerizentur, & cum melle decoctionis feminis acetosæ fiat electuarium, cum quo uidebis optimam experientiam in his superfluitatibus albis.

Ad idem, & est expertum, optimè valere, immo secretum est, cum quo curaui multas mulieres ab hac dispositione, si mulieri quolibet mane stomacho ieiuno detur bolus infrascriptus per sex horas ad minus ante cibum.

Recip. Albuminis oui recentis, & non cocti numero.ii. thuris masculi, boli Armeni, terræ sigillatæ ana drach. s. puluerizentur puluerizanda, & misce, & patienti exhibeatur.

Ad idem, & est expertum, & secretum, & cum eo indubitato curabis hanc ægritudinem, si patienti mulieri dabis per xv. dies continuos in diluculo infrascriptum potum.

Recip. Vini rubei stiptici extinctionis calibis pluries in eo unc.iiij. gummi arabici dragaganthi ana drach.s. misce, et fiat potus, qui detur modo dicto.

Ad idem confert puluis sequens, si mulier patiens ceperit drac.i. in diluculo, aliã verò drachmã in ingressu lecti dissolutam in vino rubeo stiptico.

Recip. Lapidis hæmatitis torrefacti, cornu cerui usti, coraliorum rubeorum ana drach.i.s. misce, fiátque puluis subtilissimus.

Ad idem, expertum est, si dabitur patienti sequens puluis modo prædicto, sanabitur à superfluo fluxu menstruorum alborum.

Recip. Ossium dactylorum, & subtiliter puluerizatorũ unc.s. sanguinis draconis drac.i. misce, & fiat puluis subtilis:

Ad idem, bene expertum est, si detur sequens puluis modo prædicto.

Recip. Ossium, granorum granatorum acetosorum torrefactorum unc.ij. thuris drach.ii. misce, & fiat puluis subtilissimus.

Ad idem, & est expertum, & re vera multum confert in ablatione menstruorum alborum, & est, si mulier suffumigetur in vulua sequenti suffumigio.

Recip. Aceti nigri fortissimi lib.iij. marchesitæ lib.i. corticum pinearum lib.s. bulliant omnia insimul, & manè, & uesperi ante cibum suscipiat mulier fumum per embotum usque ad collum matricis.

Ad idem, & istud est bene expertum, & bene valet, si mulier manè, & vesperi abluat sibi vuluã, vsq; ad os matricis, cum sequenti vino.

Recip. Vini nigri stiptici lib.ii. scoriæ ferri lib.i. bulliant simul usq; ad consumptionem tertiæ partis uini, deinde colẽtur, & cum uino calido abluatur membrum, ut dictum est. Et aduerte, quòd in quantum possibile est debemus cauere mulierem sedere in aqua, uel in alia re frigida, & humida, quoniam per ea laxabuntur ligamenta matricis, & præcipitabitur matrix, & est pessimus lapsus.

Ad idem, & expertum, sequens vnguentum bene valere, si cum eo inungatur dorsum mulieris, & totum pecten.

Recip. Succi solatri, succi semperuiuæ, succi plantaginis ana unc.i. olei myrtini, olei rosati omphacini, olei mastices ana unc.s. coraliorum rubeorum, seminum rosarum rubearum, serici combusti ana drach.i. boli armeni, terræ sigillatæ,

gillatæ, pilorum leporis combustorum ana scrup. ij. omnia subtiliter pulucrizentur, & cum modico cæræ fiat unguentum molle.

DE ARDORE VRINAE.

CAPVT XLI.

CVM ardor urinæ potißimum à calore punguente, uel à phlegmate salso originem trahat, quo fit ut collum ueßicæ, & canalis uirgæ ulcere afficiantur corrosiuo; ideo experientia compertum est, quòd si humor ille ardorem faciens deriuetur ad aliam regionem suæ euacuationis, uidelicet ad anum, optima perficietur cura. Primo igiur detur patienti infrascriptus bolus, uidelicet.

Recip. Cassiæ nouiter tractæ unc. i. liquiritiæ subtiliter pulueriza tæ drach. i. diaprunis solutiui drach. i. s. misce, & fiat bolus cum saccharo, qui patienti exhibeatur in diluculo.

Ad idē, expertum est, quòd digerere materiā cholericam cum sequenti syrupo remittente acuitates humoris facientis ardorem, multum confert.

Syrupus talis est.

Recip. Syrupi uiolati, de nenufare, ana unc. i. aquarum plantaginis, portulacæ, sem. communium frigidorū ana unc. i. misce.

Ad idem, expertum est, quòd solicitare infrascriptum potum ante prandium per tres horas, & in meridie, multum confert.

Recip. Aquæ maluæ unc. iiii. syrupi uiolati unc. ii. misce: continuabis per septem dies hos potus, octauo uerò die capiat infrascritam medicinam.

Recip. Diasebesten lenitiui unc. i. diaprunis solutiui drac. i. s. misce, & fiat potus cum aqua decoctionis pectoralis.

Ad

Ad idem, est expertum, quòd euacuato corpore si æger assiduabit per x. dies continuos infrascriptum potum, proculdubio sanabitur.

Recip. Aquæ fontis claræ lib. x. cicerum rubeorum lib. i. s. bulliant insimul usq; ad consumptionem tertiæ partis aquæ: deinde colentur, & colaturæ adde liquiritiæ rasæ subtiliter incisæ unc. i. foliorum maluæ cum radicibus, radicum althææ mundæ, radicum graminis, agrimoniæ, cuscutæ ana M. i. Iuiubarum, sebesten ana numero. x. sem. mellonum mundatorũ unc. ij. granorum alchechengi M. s. granorum solatri unc. s. ossium mesp ilorum cõtusorum drach. iij. milijsolis unc. s. bulliant omnia usq; ad consumptionem tertiæ partis aquæ, & sic utere.

Recip. Iuris prædicti colati unc. vi. sacchari duarum coctarum unc. i. s. misce, & detur patienti in diluculo, & super dormiat per horam.

Ad idem, & est expertum, si hæmorrhoides cõsuetæ essent in patiente ardorem vrinæ, earum apertionem ipsum sanare.

De gomorea. cap. xlii.

Ad Gomoream primo expedit corpus euacuare, ut materia ad oppositam regionem deriuetur cum sequenti medicina.

Recip. Floris cassiæ nouiter tractæ unc. i. electuarij succi rosati drach. ij. misce, & fiat bolus cum saccharo, demum digeratur materia, ut melius purgetur cum sequenti syrupo: quæ materia cùm secundum plurimum sit cholerica, uel ad minus calida propter putredinem spermati acquisitã, conueniet syrupus digestiuus materiæ choleri cæ, in quo fit facul-

tas

tas ſtipticandi uias, per quas tranſit ſemen ipſum.

Syrupus talis eſt.

Recip. Syrupi myrtini, citoniorum, de ſucco acetoſæ ana unc.s. aquarum plantaginis, portulacæ, acetoſæ ana unc.s. miſce. Quòd ſi materia exiens fuerit frigida, ſicut contingit aliquando, cùm Gomorea ſit ex aliquo ſpermate aquoſo facto, & tunc cognoſces hoc, quoniam in exitu ſpermatis non percipies caliditatem, non pruritum, non ardorem, non mordacitatem, immo inſenſibiliter ex uirga exit, tunc dabis infraſcriptum ſyrupum.

Recip. Syrupi de ſticados unc.i. ſyrupi roſati, mellis roſati colati ana unc.s. aquarum betonicæ, ſaluiæ, bugloſſæ ana unc.i. miſce. Et nota cùm ſecundum plurimum materia faciens gomoream ſit mixta ex ſubtili calida, & aquoſa frigida, propter hoc dabis ſecundum plurimum ſyrupos mixtos ex habentibus reſpectum ad aquoſitatem frigidam ſpermatis, & ad aliqualem cholericitatem eiuſdem. digeſta igitur materia dabis patienti infraſcriptam medicinam per horam ante lucem.

Recip. ſem. plantaginis, ſem. acetoſæ, ſem. agni caſti, coriandrorum præparatorum ana drach.ij. corticum myrobalanorum citrinorum, indorum, chebulorum, ana drach.iij. turbith gummoſi ſubtiliter pulueriżati, & ligati in petia drach.i. bulliant omnia in ſufficienti quantitate aquæ calibeatæ, uſq; ad conſumptionem medietatis, & cum colatura diſſolue, reubarbari electi ſubtiliter pulueriżati drach.ij. diacatholiconis unc.i. fiat potus, & detur patienti modo dicto. Et hæc medicina ualet in gomorea calida, & frigida, & plurimum ualet, cùm contingit illi incendium, & ardor.

Ad idem, & expertum eſt, quando gomorea eſt

à materia

à materia frigida aquosa, si dentur patienti bis in die ante cibum per duas horas drach.ij. sequentis confectionis, statim bibendo super eam vnc.ij.aquæ plantaginis, & est expertum.

Recip. *Pinearum mundatarum lotarum cum aqua rosata, fisticorum, sem.cucurbitæ mundatorum ana unc.s. passularum unc.i. zinziberis, cinnamomi, macis, sem. agni casti, anisorum ana drach.i. croci scrup.i. sacchari quantum sufficit, & conducatur electuarium secundum artem, quo patiens utatur modo dicto. Si uerò gomorea fuerit à materia acuta calida mordicante, tunc detur patienti infrascriptum electuarium modo dicto.*

Recip. *Sem. mellonum mundatorum unc.ii. sem. cucurbitæ mundatorum unc.i. sem. agni casti, unc.s. acatiæ, coraliorum rubeorum ana drach.i. been albi & rubei, ana scrup. ii. omnia insimul puluerizanda puluerizentur, & contundantur contundenda, & cum sacchar o quantum sufficit fiat electuarium.*

Ad idem, & expertum est, si gomoreæ adfuerit dolor, & ardor, detur patienti infrascriptus potus per septem dies continuos, sanabitur à gomorea.

Recip. *Lactis ouini unc.iii. aquæ plantaginis, uel succi eius unc.s. boli armeni drach.i. misce, & tepidus patienti detur.*

Ad idem, & est expertum, si patienti detur infrascriptus potus bis in die per duas horas ante cibum mane, & vesperi proculdubio sanabitur.

Recip. *Lactis ouini unc. iiii. pilorum leporis combustorum, & subtilissimè puluerizatorum drach. ii. misce, & detur patienti.*

Ad idem, & expertum est, si mane, & vesperi cũ sequenti

sequenti vnguento vngantur renes, & dorsum, & ilia, & pecten, curam optimam videbis.

Recip. *Olibani unc.ij. acatiæ, hypocistidos ana drach.ij. gallarum drach.i. laudani drach.s. olei masticini, olei spicæ, olei myrtini ana unc.s. puluerizentur puluerizanda subtilissimè, & cum cæra quantum sufficit fiat unguentum molle, & in fine adde camphoræ scrup.s. & eo uteris, quoniam est expertum.*

Ad idem.

Et *est puluis mihi secretus, si eius quantitatem imposueris cùm syringa usq; ad collum uesicæ in uirga, cũ lacte mulieris dissolutam, quater aut quinquies, & decies in die, quàm breuissimè sanabitur à gomoreæ ardore, & ulceratione, si esset in uirga, & in collo uesicæ.*

Recip. *Tutiæ præparatæ unc.s. sarcocollæ ablutæ, aloës hepatici, sacchari candi ana drach. iij. misce, & fiat puluis subtilissimus, cuius drach.i. pro uice dissoluatur cum prædicto lacte, & patiens syringetur.*

De mictv sangvinis. cap. xliii.

Ad *mictum sanguinis, si fuerit creticus, quemadmodum quandoque contingit, sicut & fluxus sanguinis narium creticè plerunque aduenit corpori humano, sicut & creticè sanguis menstruus ex mulieribus fluit, tunc curatio eius derelinquatur naturæ, quoniam eius constrictio esset grauitare naturam, & ipsam præparare ad malos lapsus. Si uerò sanguinis mictus non habuerit creticum euentum sed symptomaticum, tunc initium curæ erit sanguinem ipsum diuertere sursum trahẽdo cum phlebotomia uenæ nigræ, & basilicæ, paulatim, & pluries facta, ut natura melius assuescat ad oppo-*

sitam

ſitam regionem. & caſu quo non inuenirentur hæ, ipſius cephalicæ, & inuenta eſt multum conferre. Quòd ſi patienti aliquando prouocetur fluxus ſanguinis narium, optima curatio erit euacuando, & diuertendo, & hoc eſt optimum ſecretum.

Ad idem, expertum eſt, quòd ſi materia ſubtilians ſanguinem, & ipſum exacuens digeratur cum ſequenti ſyrupo, & euacuetur cum ſequenti medicina, multum patienti erit vtile.

Syrupus talis eſt.

Recip. Syrupi roſati de roſis ſiccis, myrtini, de ſucco acetoſæ ana unc. s. aquarum plantaginis, acetoſæ, portulacæ ana unc. i. & continua per ſeptem dies: octaua uerò die capiat ſequentem medicinam.

Recip. Reubarbari uſti drach. i. s. diacatholiconis drach. vi. miſce, & fiat potus cum decoctione cõmuni florũ, & fructuum quantum ſufficit. digeſta materia, & euacuata, experientia docebit, quòd ſi patienti quolibet mane per decem dies continuos detur infraſcriptus potus, ſanabitur.

Recip. milleſolij puluerizati unc. i. lactis ouini recenter emuncti unc. v. boli armeni ſubtiliter puluerizati drach. i. miſce pro una uice.

Ad idem, experientia compertum eſt, quòd ſi per quatuor dies continuos detur patienti infraſcriptus liquor, curabitur ab indiſpoſitione mictus ſanguinis.

Recip. Philonij perſici ſcrup. iiij. ſucci plantaginis unc. s. aquæ portulacæ unc. iiij. miſce pro una uice, & detur patienti in diluculo.

Ad

Ad idem, & expertum est.

Recip. *Diacitonitem sine speciebus cum saccharo unc.i. emulsionis papaueris albi unc. s. Trochiscorum de carabe drach.i. puluerizentur puluerizanda, & omnia simul bene misceantur, & manè, & uesperi per duas horas ante cibum quotidie detur patienti ad quantitatem nucis.*

Ad idem, & expertum est.

Recip. *Lapidis hæmatitis torrefacti drach.i. & puluerizetur subtiliter, & cum succo plantaginis quantum sufficit dissoluatur, & potui detur.*

Ad idem, experientia compertum est, quòd si patientis hepar epithimetur sequenti epithimate manè, & vesperi ante cibum, multum confert.

Recip. *Aquæ plantaginis, solatri, acetosæ, endiuiæ, absinthij ana unc.iiij. sandalorum alborum, & rub.been albi, & rub.rosarum rub.ana drach.i.s. spodij drac.ij. spicæ gra. x. aceti optimi unc.iij. puluerizentur puluerizanda, pro epithimate hepatis, misce.*

Ad idem, expertum est, quòd si sequenti vnguento vngantur renes patienti, & à principio ancharũ vsq; ad pecten totum, & radicem virgæ, iuuamentum optimum consequetur patiens.

Recip. *Succi plantaginis, succi solatri, succi acetosæ ana unc.i. olei rosati, olei myrtini ana unc.s. hypocistidos, coraliorum rubeorum, rosarum rubearum ana drach.i. puluerizentur puluerizanda, & cum modico cæræ fiat unguentum molle.*

Ad idem, expertum optimè est, si sequens cærotum applicetur renibus patientis.

Recip. *Seminum plantaginis, seminum acetosæ, seminum portulacæ*

portulacæ ana drach.ij.gũmi arabici, dragaganti ana drach. i.s.hypocistidos,acatiæ, boli armeni,serici combusti, ana dra ch.i.s.terræ sigillatæ, pilorum leporis combustorũ ana drac. i.pulucrizentur omnia simul subtiliter, & cum oleo rosato omphacino, & cæra, & pice quantùm sufficit fiat cærotũ.

Ad idem,expertum est,& optimè valet, si patien ti detur infrascriptus potus.

Recip.Ossium dactylorum combustorum drac.i.serici usti drac.s.dissoluantur cũ uino nigro stiptico,& patienti detur.

DE CALCVLIS RENVM.

CAPVT XLIIII.

In præseruatione à calculis renum, attenta causa gene rationis eorum efficiente,scilicet caliditate hepatis et renum, materiali uerò,& est humor pituitosus & uiscosus.

Ideo in primis materias communes euacuabis à stoma cho, & ab intestinis.

Secvndo, materiam prædictam concoques,remittẽ do malam complexionem hepatis & renum.

Tertio, digestam materiam eradicatiuè euacuabis. ideo à principio in cura generationis lapidis renum, digestio materierum sit sequens.

Recip. Syrupi de iuiubis, syrupi uiolati, de endiuia ana drach.iij. syrupi de duabus radicibus drach.vij. aquarum se minum communium frigidorum, endiuiæ, capillorum ueneris ana unc.i.continuato syrupo per vij. dies continuos, octaua uerò die dabis patienti infrascriptam medicinam per duas ho ras ante lucem.

Recip. Pulparum sebesten unc.s. medullæ carthami drac. iij. diacatholiconis, confectionis amech ana drach.ij. misce, & fiat

& fiat potus cum decoctione communi pectorali, purgata materia.

Ad idem.

Expertum est, si patiens quotidie ante prandium ingurgitet drach.iii. Cassiæ nouiter tractæ, nunquam cadet in calculi generationem.

Ad idem, & est expertum indubitatò conferre, si patienti dabitur bis in septimana sequens bolus, non solùm eo præseruabitur patiens à generatione calculi, immo nūquam percipiet intestinorum colicam vel iliacam.

Recip. Iustini optimi drach.iii. sacchari uiolati drach.i.s. misce, & fiat bolus.

Ad idem, & est expertum in præseruatione à calculo, si patiẽti bis in septimana in ingressu lecti detur infrascriptus potus, non obstante cœna.

Recip. Semin. mellonum mundatorum unc.i. succi graminis unc.s. iuleb uiolati unc.s. misce, & omnia dissoluantur in aqua decoctionis liquiritiæ quantum sufficit, fiat potus pro una uice.

Ad idem, in curatione lapidis renum præsentis, vel in renibus existẽtis, vel in poris vritidibus, quo patiens pateretur vrinæ stranguriam, & optimum, & expertũ est, dare patienti infrascriptum bolum, quacunque hora molestetur.

Recip. Terebentinæ lotæ cum aqua uiolata unc.s. Benedictæ drach.ii. misce, & fiat bolus, qui detur patienti modo dicto.

Ad idem, & est expertum optimè, si patienti detur totus infrascriptus puluis vna sorbitione.

Recip. *Nucleorum perſicorum torrefactorum unc.s. oſſium meſpilorum drach.i. pulucrizentur omnia ſubtiliſſimè, & cum aqua ſaxifragiæ quantum ſufficit ad diſſoluendum prædictum pulucrem, & dabitur patienti, qua hora moleſtabitur.*

Ad idem, & eſt expertum, ſi patienti dabis infraſcriptum potum, nõ tranſibunt ſex horæ, quòd patiens proijciet lapidem.

Recip. *Corticum raphani fortiſſimi unc.i. uini albi odoriferi unc. viij. miſce, & ſtent in infuſione per xij. horas.* Deinde *coletur uinum, & ipſum tepidum exhibeatur patienti.*

Ad idem, & eſt expertum, ſi patienti dabitur infraſcriptus bolus, proculdubio eijciet lapidem, vel franget, vel puluerizabit ipſum.

Recip. *Electuarij litontripon deſcriptione* Nicolai *drac. iij. iuſtini drach.i. miſce, & detur patienti cùm moleſtabitur.*

Ad idem, & expertum eſt, cùm patienti dabis infraſcriptum puluerem.

Recip. *Lapidis inuenti in capite cancrorum unc.s. torrefiat, & ſubtiliter pulucrizetur, & cum aqua ſaxifragiæ tepida diſſoluatur puluis, & detur patienti.*

Ad idem, & eſt expertum.

Si patiens obſeruabit iſtum modum curæ, uidelicet cum pinguedinæ gallinæ, & butyro recenti mixtæ, & calefactæ ungens locum à ſupremo ancharum directè uſq; ad principium uirgæ cùm forti frictione manu calida, quoniam per huiuſmodi ſpatium deriuantur ad collum ueſicæ pori uritides uerſus dorſum, pòſt in eodem ſpatio applicabis duas cucurbitulas uel etiam tres: illis enim attrahentibus eleuabitur, & dilatabitur tunica pori uritidis: & ſic teneas dictas cucurbitulas

bitulas applicatas per ſpatium horæ unius, & ſubito remotis cucurbitulis, dabis patienti infraſcriptum potum.

Recip. Seminum naponum, ſeminum urticæ ana drach. ij. radicum graminis, radicum ſaxifragiæ ana drach. iij. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſq; ad conſumptionem medietatis: deinde colentur, & colaturæ adde lactis nucleorum perſicorum drach. i. & dabis patienti, poſt cuius aſſumptionem aliquantiſper dormiat, & uidebis ipſum repente mingere lapidem.

Ad idem, & expertum eſt, & multoties in hoc bene me habui, ſolicitare patienti pluries in die ſequentem fomentationem.

Recip. Olei ſcorpionum confecti ex oleo amygdalarum amararū, terebentinæ, butyri recentis ana lib. s. croci ſcru. i. caleſiant omnia in pentula ſimul ad ignem, & cum filtro madefacto in dicto liquore calido, in antedicto ſpatio ipſius alui appoſito fomentabis.

Ad idem, & eſt expertum, ſi antedicto ſpatio applicetur ſequens emplaſtrum.

Recip. Radicum althææ minutim inciſæ lib. i. parietariæ lib. s. bulliant omnia in oleo ſcorpionum quantum ſufficit, deinde adde croci drach. i. ad modum emplaſtri applicetur.

Ad idem.

Recip. Sanguinis hircini præparati drach. iij. diſſolue cum aqua diſtillationis florum geniſtæ quantum ſufficit, & patienti dabis.

Ad idem, expertum eſt, & præſertim vbi eſſet vrinæ ſuppreſsio, ſi hora qua æger afficitur, potaret infraſcriptum potum, multum conferre.

Recip. olei uitrioli romani drac. i. uini maluatici un. i. miſce.

Ad idem, est expertum, & multum valet, si ægro in hora afflictionis detur sequens potus.

Recip. Succi limonis immaturi unc. i. uini maluatici unc. iii. misce, & totus detur patienti.

AD FACILITANDVM PARTVM, & ad mitigandum eius dolorem.

CAPVT XLV.

Ad facilem partum reddendum, consulo quòd nullus medicus se intromittat, nisi postea quàm prægnans egressa fuerit lunam noni mensis suæ imprægnationis. Tunc temporis expertum est, si quotidie uesperi in ingressu lecti ceperit grana septem lauri, mirabiliter in ea facilitabitur partus, quia eorum aromaticitate, & caliditate mitigabitur ipsius partus dolor.

Ad idem, & est expertum, immo secretum singulare, dicta hora alternis diebus si in cœna ceperit infrascriptum condimentum, mirabilem inueniet effectum.

Recip. Granorum iuniperi, granorum lauri ana numero vii. cassiæ lignæ ana drach. s. cinnamomi inegri drach. i. omnia simul ponantur in uentre turturis unius pinguis, & carnosi, deinde coquatur in uerucum pinguedine pulli, & patienti mulieri pro esu dabis.

Ad idem, est expertum, si quolibet mane detur mulieri in mense partus per tres horas ante cibum vnc. s. infrascriptæ mixturæ, optimum inuenies remedium.

Recip. Succi hyssopi, succi enulæ, succi althææ ana unc. i. cinnamomi electi drah. i. s. puluerizetur cinnamomum, & cum

cum saccharo dissoluto cum aqua fœniculi, & matricariæ fiat electuarium.

Ad idem, expertum est, quòd si mulier manè, & vesperi inungat sibi pectẽ, dorsum, & alchatin cum sequenti vnguento, optimum præsidium inueniet in facilitate partus.

Recip. Olei amygdalarum dulcium, olei liliorum alborũ, olei camomillæ ana unc. i. s. succi althææ, succi radicum malu æ ana unc. i. croci scrup. s. mucillaginis semi. caulium, mucillaginis semi. fœnugræci, mucillaginis meliloti ana unc. s. misce, & cum cæra alba lota cum aqua uiolata quantum sufficit fiat unguentum.

Ad idem, expertum est, si cùm mulier appropinquauerit partui, quotidie bis imponat in sequenti liquore petiam lineã, ipsamque applicet collo matricis, miram partus facilitatem videbis.

Recip. Butyri recentis loti cum aqua uiolata unc. iii. mucillaginis caulium unc. ii. mucillaginis althææ, mucillaginis ficuum ana unc. s. misce, & collo matricis apponito.

Ad idem, expertum est, si semel quotidie fomentetur pecten, & vulua mulieris prægnantis sequenti fomentatione, hoc peridoneum erit.

Recip. Foliorum maluæ cum radicibus florum camomillæ, uiolariæ, fœnugræci, sem. lini ana M. i. fŏliorum caulium M. s. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis. Deinde cum spongia madefacta in dicto liquore fiat fŏmentum modo dicto.

Ad idem, est expertum, quòd si mulier cùm se appropinquet partui, abluat sibi crura vel manè vel vesperi, semel in die cum sequenti lotione, facili-

tabitur partus.

Recip. *Vini albi odoriferi lib.vi.calamenti, saluiæ, roris marini ana m.s. bulliant insimul usq; ad consumptionem quartæ partis uini, & utatur hac lotione modo dicto.*

Ad idem, & expertum est optimè, si pluries in die prægnans sibi fricauerit collum matricis cum sequenti oleo, multum ualebit ad facilitandum partum.

Recip. *olei amygdalarum dulcium unc. iiij. seminum althææ, seminum caulium ana drach.ij. butyri recentis unc.i. misce, & bulliant usq; ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & colatura usui reseruetur.*

Ad idem, & est expertum, quòd non solum facilitabitur partus, uerùm etiam sine dolore mulier pariet, si per x.dies uel xv.ante partum alternis diebus capiat infrascriptum potum, per tres horas ante cibum de mane.

Recip. *Theriacæ magnæ scrup.i. pulueris liquiritiæ, pulueris cinnamomi ana gran.iij. uini albi pauciferi unc.i.s. misce, fiatq; potus, qui detur modo dicto mulieri prægnanti.*

Ad idem, si mulier esset in hora partus, & cum difficultate pareret, utatur sequenti remedio, & statim pariet, & est secretum.

Recip. *Corticum raphani, mercurialis ana unc.i. croci gran.iij. cassiæ lignæ subtiliter pulucrizatæ drach.i. succi sauinæ drach.ij. misce, & insimul omnia bene contundantur, et hoc totum contusum ligatum in petia subtili, iungatur collo matricis, & statim parturiet.*

Ad idem, & est optimum, & expertum, sed non dabis nisi urgente magna necessitate, uel ubi fœtus

tus esset mortuus.

Recip. Succi sauinæ unc.ij. boracis mineralis subtiliter puluerizati drach.i.uini albi odoriferi unc.i.misce, & potui dato, & subitum effectum dignosces.

Ad idem, ualet sequens potus, si mulier non poterit habere fœtum vel viuum, vel mortuum.

Recip. Boracis mineralis drach.ij. aquæ matricariæ unc. v. misce pro una uice, & mulieri patienti dato.

DE SVPERFLVO MICTV INVOluntario, vel de diabetica passione.

CAPVT XLVI.

Cvm Diabetica passio secundum plurimum contingat à caliditate tum dilatante uias urinales, tum eliquante corporis humiditates per fluxũ earum ad uias urinæ, ideo prius laudo, ut tollatur mala complexio calida hepatis, & renum, cum his quæ uirtutem stipticam habent, conferre eisdem membris.

Primo igitur digeratur materia, prædictorum membrorum temperaturam alterando cum sequenti syrupo.

Recip. Syrupi de succo acetosæ, syrupi myrtini, syrupi rosarum de rosis siccis ana unc.s. aquarum plantaginis, acetosæ, buglossæ ana unc.i. misce. Laudo quoq; quòd cum sequẽti puluere syrupus aromatizetur.

Recip. Myrobalanorum citrinorum, coraliorum rubeorum ana scrup.ii. misce, & fiat puluis subtilis, qui ligetur in pecia rara, & subtili per noctem, moram trahat in syrupo. continuato uerò syrupo sic aromatizato per septem dies continuos, capiat patiens medicinam hanc.

Recip. Florum rosarum, florum borraginis, florum bu-

gloſſæ ana unc.s. ſeminum acetoſæ, ſeminum plantaginis, ſeminum portulacæ ana drach.ij. corticum myrobalanorum citrinorum unc.s. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ plãtaginis, uſq; ad conſumptionem medietatis, deinde colentur, & colaturæ adde floris caſſiæ nouiter tractæ drach.vi. reubarbari drach.i.s. myrobalanorum citrinorum drach.i.s. pulueriz entur ſubtiliter pulueriz anda, & fiat potus, qui patienti exhibeatur duabus horis ante lucem.

Ad idem, corpore euacuato compertũ eſt, quòd ſi patiens vtatur per menſem continuum infraſcripto electuario, ſanabitur à diabetica paſsione.

Recip. Mucillaginis ſeminis pſillij cum omni cautela benè conductæ, & confectæ, mucillaginis ſeminum citoniorũ ana unc.i. & aduerte qnòd ſi cautius in cura procedere uolueris, poteris derelinquere mucillaginem ſeminum pſillij tanquàm timoroſam, & multiplicare quantitatem mucillaginis ſeminum citoniorum, myrobalanorum citrinorum, oſſium dactylorum, coraliorum rubeorum ana drach.ij. pulueriz entur pulueriz anda, & cum ſaccharo quantum ſufficit fiat electuarium. doſis eſt unc.s. mane tribus horis ante prandium.

Ad idem, compertum eſt optimè valere, ſi quotidie patiens capiat tres de infraſcriptis pilulis ſtomacho ieiuno per tres horas ante prandium.

Recip. Trochiſcorum de ſpodio cum ſemine acetoſæ drac. iij. pulueriz entur ſubtiliter, & cum ſucco citoniorum fiant pilulæ numero xv.

Ad idem, & eſt expertum, vbi diabetica paſsio plurimũ infeſtabit, vt de nocte dormire nequeat, ſi patiens vtatur alternis diebus ſtomacho ieiuno, ieiunando quippe poſt aſſumptionem huius boli

ſequenti

sequenti per quinque horas.

Recip. Philonij persici scrup.iiij. sacchari rosati antiqui unc.i.misce, & fiat bolus, qui exhibeatur modo dicto.

Ad idem, & est expertum, si patienti detur ter in septimana sequens potus per mensem, sanabitur à diabetica passione.

Recip. Granorum myrti, ossium granorum granatorum ana unc.s. balaustiarum, corticum granatorum hypocistidos ana drach.ii. seminum citoniorum, seminum acetosæ, seminum rosarum rubearum ana drach.i. coraliorum rubeorũ drach.s. been albi, & rubei ana drach.i.s. bulliant in sufficienti quantitate uini nigri stiptici usq; ad consumptionem tertiæ partis, demum coletur, &

Recip. Vini prædicti unc.iii. myrobalanorum citrinorum subtiliter puluerizatorum drach.i.s. misce, & detur patienti modo dicto.

Ad idem, & est efficax, & multum conueniens, si patiens solicitetur assumere bolum infrascripti electuarij.

Recip. Diacitonitem sine speciebus cum saccharo, sacchari rosati uetusti, ana unc.ii. spodii drach.ii. coraliorũ rubeorum drach.i.s. myrobalanorum citrinorum drach.i. puluerizentur puluerizanda subtiliter, & cum succo citoniorum quantum sufficit, fiat electuarium.

Ad idem.

Optimè expertum si patienti quolibet manè myrobalanum unum citrinum optimè conditum detur.

Ad idem.

Quoniam ægritudo hæc plurimum à mala complexione hepatis, & renum prouenit, ideo consulo, ut quotidie epithimentur

thimentur hepar, & renes cũ hoc sequenti epithimate prius ebullito, & pòst infrigidato.

Recip. *Aquæ plantaginis, aquæ rosatæ, acetosæ, solatri ana lib.s. aquæ absinthij unc.iiij. specierun cæroti triasandalini unc.i. spodij drach.ij. coraliorum rubeorum, seminum rosarum rubearum, seminum acetosæ, seminum plantaginis ana drach.ij. spicæ gran.x. aceti optimi unc.iij. misce, & cum petia alba linea madefacta in dicto liquore, & bene expressa, epithimentur hepar, & renes.*

Ad idem, facto epithimate mox vngantur renes, & hepar, cum sequenti unguento.

Recip. *Olei rosati, olei myrtini, olei citoniorum ana unc. i. sandalorum albornm, & rubeorum, rosarum rubearum, spodij, coraliorum rubeorum ana drach.i. succi plantaginis, succi semperuiuæ ana unc.s. puluerizentur puluerizanda, et cum modico cæræ fiat unguentum molle.*

Ad idem, & est expertum, si patienti diabeticam passionem mane stomacho ieiuno sedeat in infrascripta decoctione, & in ea moram trahat per spatium unius horæ.

Recip. *Granorum myrti, balaustiarum, corticum granatorum, gallarum, corticum pinearum, hypocistidos, acatiæ ana M.i. spodij drach.iij. rosarum rubearum, coriandrorum præparatorum ana M.s. bulliant in sufficienti quantitate aquæ calibeate usq; ad cõsumptionem tertiæ partis, deinde colletur, & colatura usui seruetur.*

De lapide vesicæ cap. xlvii.

Ad *prohibendum lapidis generationem in uesica debet teneri corpus mundum à multitudine humoris pituitosi,*

ex

tuitosi, ex quo, ut materia, generatur huiusmodi lapis. debet quoque alterari temperatura hepatis, & renum ad frigidum, & confortare uirtutem concoctricem ipsius uentriculi, ne ex diminuta concoctione multiplicetur humor pituitosus. Non ab re igitur, consulo, ut digeratur materia prius cum sequenti syrupo.

Recip. Oxymellis simpl. syrupi de liquiritia, de duabus radicibus, mellis rosati colati ana unc.s. aquarum de endiuia, betonicæ, hyssopi, ana unc.i. misce. post uerò septimum syrupũ purgetur patiens in præseruatione à futuro lapide uesicæ, sequenti purgatione.

Recip. electuarij indi Almansoris, cõfectionis amech ana scrup.iiij. Diasebesten lenitiui, diacatholiconis ana unc.s. misce, & dissoluantur cum decoctione communi florum, & fructuum, facta in aqua Euphragiæ quantum sufficit, & detur patienti ante diluculum.

Ad idem, ut præseruetur patiens à generatione lapidis uesicæ, laudo ut bis uel ter in mense capiat pilulas infrascriptas per duas horas ante lucem.

Recip. Pilularum de lapide lazuli, pilularum indarum, cochiarum almansoris ana scrup.i. misce cum syrupo de liquiritia, & fiant pilulæ numero.v.

Ad idem, confert multum, estque secretum, si patienti detur infrascriptus bolus per decem dies continuos, quolibet mense mane in diluculo super quem parum dormiat.

Recip. Liton tripon drach.iij. amygdalarum amararum, nncleorum persicorum ana numero.x. omnia simul bene contundantur, & fiat bolus cum saccharo, qui detur patienti, & uidebis idoneum effectum.

Ad

Ad idem,& est expertum in præseruatione à generatione lapidis mirabile.

Recip.*Succi saxifragiæ unc.i.mitridati optimi drach.i.misce, & dissoluatur cum uino optimo potenti, & exhibeatur patienti semel in septimana stomacho ieiuno per tres horas ante cibum.*

Ad idem,& est expertum, & mirabile ad præseruationem generationis lapidis renum, & veficæ, si patienti bis in septimana detur infrascriptus potus sic continuando per duos menses.

Recip.*Liquiritiæ mundæ, radicum althææ, radicum maluæ ana unc.i.milii solis unc.s. bulliant in sufficienti quantitate aquæ saxifragiæ usq; ad consumptionem medietatis, deinde coletur, & de colatura.*

Recip.*unc.iiii.ossium mesp̃iloruu subtiliter puluerizatorum drach.ii.misce, & tepidus detur patienti.*

Ad idem, & est expertum, & secretum, & bene menti tenendum in præseruatione à generatione lapidis, & in disruptione lapidis geniti.

Recip.*Terebentinæ unc.iiii. aduratur super laminam ferream ignitam, donec possit puluerizari.* Deinde

Recip. *prædicti puluer is drach.ii. aquæ saxifragiæ unc. iiii.misce, & fiat potus, qui exhibeatur patienti in diluculo bis in septimana. quòd si patiens sic continuabit per duos menses continuos, proculdubio præseruabitur à generatione lapidis uesicæ.*

Ad idem.

Recip.*Terebentinæ non lotæ unc.s.liton tripon drach.ii. misce, & fiat bolus, qui detur patienti,ut dictum est.*

Ad idem,& est expertum optimè conferre, si de

tur

tur patienti modo dicto hic bolus.

Recip. Terebentinæ decies lotæ in aqua drach. vi. & cum succo saxifragiæ fiat bolus cum modico sacchari, & detur patienti.

Ad idem, & est expertum.

Si patiēti detur sanguis hirci præparati optimè, optimum uidebis iuuamentum: modus etiam exhibitionis sanguinis hirci præparati, est triplex.

Primus talis est.

Recip. Sanguinis hirci præparati unc.s. dissoluatur in uino albo potenti, & detur stomacho iciuno.

Secundus modus talis est huiuscemodi exhibitionis.

Recip. Sanguinis hirci præparati drach.iii. succi saxifragiæ unc.i.s. misce sanguine pulueriza to, & patienti detur.

Tertius modus supradictæ exhibitionis talis est.

Recip. Sanguinis hirci præparati drach.iii. olei amygdalarum amararum, uel olei confecti ex nucleis persicis quoniam melius unc.iiii. sacchari unc.s. misce, & detur patienti, & scias quòd etsi sanguinis hircini exhibitio his modis conferat in præseruatione à generatione lapidis uesicæ, plus tamen confert ad disruptionē eiusdem, si natus est disrũpi: quòd si non, tunc submittatur officio ipsius chirurgici.

DE CVRATIONE DOLORIS HAEmorrhoidarum. CAP. XLVIII.

Dolor hæmorrhoidarum plerunq; contingit ex multiplicato sanguine melancholico ad ipsas hæmorrhoidas, ut nihil ipsius extra expiret, sed reddantur cæcæ & surdæ hæmorrhoides, quæ sic dicuntur, quoniam ab ipsis nihil

sanguinis

sanguinis profluit, & sic propter tensionem factam, sangui ne exire non potente, conducitur dolor intensus hæmorrhoi- darum. & hic habebis primum sermonem nostrum, in quo curabimus hæmorrhoidarum ablationem doloris cæcarum & surdarum.

Primo igitur consulo, ut occurrente tibi corpore taliter affecto, quòd fiat clystere lenitiuum secundum sequentem de- scriptionem.

Recip. Olei uiolati unc. iiij. decctionis foliorum caulium unc. vij. uitelli oui numero. i. sacchari rubei unc. i. s. salis com munis scrup. ij. & fiat clystere. Quòd si tantũ ex hæmor- rhoidibus circulus obseratus fuerit, ut minimè clystere pos- sit imponi, dabis per os ipsi patienti floris cassiæ nouiter tra- ctæ unc. s. habita solutione uel lenitioue, debes solicitare phle botomiam basilicæ lateris dextri, quoniam diuertit & eua- cuat fluentem sanguinem ad hæmorrhoidas. Facta uerò phle botomia, si adhuc perseueret doloris uehementia, hortor ut die interposito deriuetur sanguis per saphenam lateris dex- tri sectam. Qua phlebotomia celebrata, si adhuc dolor infe- stat, cùm sint hæmorrhoides cæcæ, die quidem interposito hæmorrhoidas aperies uel cum aspera petia fricando, uel cũ folijs ficuum, uel cum phlebotomo. Sed quoniam plerunque disrumpunt uenas plusquàm sit opportunum, quo fit ut ulce ra in hæmorrhoidibus signentur; ideo consulo securius ape- riri sanguisugis bene purgatis extremitatibus hæmorrhoida rum appositis, & duas uel tres, secundum quòd expediet applicabis.

Et nota quòd prima phlebotomia ex basilica, & secunda ex saphena debent esse abundantes: cũ sanguisugis uerò non transibis quantitatem sanguinis quatuor unciarum propter debilitatem

debilitatem corpori acquisitam ex præcedentibus copiosis phlebotomijs. & quia sanguis hæmorrhoidalis crassus est et melancholicus, ideo ea hora auferẽdus est, qua humores crassi & melancholici mouentur. quapropter in curatione hæmorrhoidarum per phlebotomiam saphenæ, uel per appositionem sanguisugarum, consulo sanguinis missiones in uespere fieri debere. Quòd si adhuc perseuerabit dolor materiam conducens, & sanguinem ad hæmorrhoidas ipsas, digerẽda est, quæ secũdum plurimum est materia biliosa, uel humor pituitosus satis aquosus.

Syrupus itaque digerens, est infrascriptus.

Recip. Syrupi uiolati, de liquiritia, de iuiubis, mellis rosati colati ana unc. s. aquarum lupulorum, borraginis, seminum communium frigidorum ana unc. i. misce. & nota quòd positi syrupi sunt lenientes partes alui, & emollientes tunicas uenarum hæmorrhoidalium. hoc ideo, quoniam medicus in doloribus hæmorrhoidarum à tota sui intentione debet cõmittere uentris lenitionem, & hæmorrhoidarum emollitionem, & his sanabitur dolor hæmorrhoidarum. Continuato isto syrupo per septem dies continuos, corpus purgare debes cum medicina, cuius facultas sit uentrem lenire, & humores melancholicos euacuare. Cùm enim mũdificabitur ab his sanguis, dolorem non causabit in hæmorrhoidibus.

Medicina talis est.

Recip. Diasenæ lenitiui drach. vi. pulpæ sebesten unc. s. diacatholiconis, medullæ cartami ana drach. ij. confectionis amech drach. ij. misce, & dissoluatur in decoctione communi pectorali quantum sufficit, & fiat potus, qui patienti detur per duas horas ante lucem. Facta corporis purgatione consulo, ut bis uel ter in die ungantur hæmorrhoides cum sequenti

quenti unguento: quod plurimum ualet in doloris ſedatione. & aduerte quòd dicendum unguentum non habet par in ſedatione doloris hæmorrhoidarum in mulieribus prægnantibus, quæ propter retentionem menſtruorum ferè ſemper moleſtantur hæmorrhoidibus ſatis doloroſis.

Recip. Olei uiolati loti cum aqua uiolata, butyri recentis loti, ana unc.i. uitelli oui numero.i. olei de ſeminibus lini unc.s. cæræ quantum ſufficit, & fiat unguentum molle.

Ad idem, & expertum eſt, ſi aſsiduè cum ſequẽti oleo ungatur circulus, & lana ſuccida madefacta in tali oleo intus ponatur ad locum hæmorrhoidarum.

Recip. Olei de ſemine lini, olei de chryſomelis ana unc. iiii. porcellionum, uermium terreſtriũ ana unc.i. bulliant inſimul uſque ad perfectam coctionem animalium. deinde colentur cum forti expreßione, & uſui ſeruentur.

Ad idem, & eſt expertum, ſi infraſcriptus ſaccus calidus frequenter hæmorrhoidibus, vel ano applicetur.

Recip. Taßi barbaßi bene triti, mellegæ ana M.i. bulliant in uino albo potenti uſque ad cõſumptionem medietatis uini, deinde ponantur in ſacculo oblongo ad ſimilitudinem uirgæ, & facta forti expreßione à uino, ano apponatur. ſic reiterando ſæpius in die, optimum uidebis effectum.

Ad idem, multum confert ſequẽs emplaſtrum, ſi eius applicatio ad anum ſolicitetur.

Recip. Medullæ panis furfurei lib.i. lactis ouini, uel uaccini, uel caprini lib.ii. bulliant inſimul uſq; ad conſumptionẽ duarum tertiarum lactis, deinde adde pinguedinis renum caprarum unc.ii. puluueris uermium terreſtrium unc.i. bene miſceantur

sceantur omnia, & calidum ano applicetur.

Ad idem, & est optimum & mirabile, si patiens bis in die, mane scilicet & vesperi, ante cibum sedeat in infrascripto balneo calido.

Recip. Foliorũ maluæ, cũ radicibus, radicum althææ, bismaluæ, uiolariæ, brassicæ, florũ tassi barbassi, camomillæ, meliloti, fœnugræci, seminũ lini ana M.i.s. bulliãt omnia in sufficienti quantitate aquæ fluminis, uel alterius aquæ dulcis, usq; ad consumptionẽ medietatis, demum bis in die patiens moram trahat per spatium temporis unius horæ modo dicto.

Ad idem, & est aliud balneum, quo multotiens bene me reperi in sedatione doloris hæmorrhoidarum.

Recip. Olei oliuarum lib. xxx. radicum althææ unc. iij. bulliant insimul usq; ad consumptionem quartæ partis olei, deinde patiens sedeat bis in die in dicto oleo per horam: cùm uerò exierit balneum, statim lanam succidam oleo dicto madidam circulo calidam applicabis, simul & femori, & dictam lanam ad minus per duas horas loco dicto tenere conetur applicatam. statim quoq; cùm exierit balneum prædictum, capiat patiens infrascriptum bolum confectionis, & non comedat, eoq; cibum aliquem accipiat, nisi transactis duabus horis sequentibus.

Recip. Succi radicum tassi barbassi unc. iiij. penidiarum unc. iij. puluerís liquiritiæ unc. s. sacchari quantum sufficit, & fiat electuarium. Et aduerte quod secundum plurimum in doloribus hæmorrhoidarum cæcarum aluus obstructa est: ideo consulo ut eo ipso tempore, quo alia medicamenta exercerentur, alternis diebus ad minus patiens utatur sequẽti clysterio: reperiet enim in ipso non solum alui lenitionem, quin

imò & certam doloris ablationem.

Recip. *Olei oliuæ, decoctionis radicum althææ ana unc.* v. *Butyri recentis unc.iiii. ſucci foliorum porrorum unc.i.s. ſacchari unc.ii.uitelli oui numero.i. ſalis communis drach.ii. Et nota quòd ſi hæmorrhoides eſſent ulceratæ, nullatenus debes apponere ſal in clyſterio.*

Ad idem, & eſt iſtud valens in eadem intẽtione.

Recip. *Florum taßi barbaßi, foliorum caulium, foliorum maluæ, uiolariæ, fœnugræci, ſem.lini ana M.i. furfuris großi ligati in petia M.i. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſque ad conſumptionem medietatis, deinde colentur, & de colatura.*

Recip. *Vnc.x. olei oliuæ unc.iii. butyri recentis unc.ii. ſucci apii unc.i.s. uitelli oui numero.i. ſalis communis, et ſacchari ut expedit, & fiat clyſtere.*

Ad idem, & eſt medicamen in cuius experientia ego edoctus ſum, ſi triginta diebus continuis ſequentem liquorem calidum per circulum in loco hæmorrhoidarum cum ſyringa, vel lana ſuccida bis in die applicabis, procul dubio ſanabitur dolor hæmorrhoidarum.

Recip. *Succi porrorum unc.ii. ſucci apii unc.i. butyri uaccini, olei nucum, olei decoctionis cataputiæ ana unc.i.s. olei raphani unc.i. ſepi renum caprarum unc.i.s. omnia ſimul in mortario bene ducantur, & totum uſui ſeruetur.*

Ad idem, & eſt vnguentum optimum, & à me expertum, quo hæmorrhoides dolentes ſanantur vbi adhuc eſſent vlceratæ, ſi cum dicendo vnguento ſæpius in die hæmorrhoides vngantur.

Recip. *Succi corticum medianarum ſambuci unc.ii. ſucci apij*

ci apij unc.i. ſucci celidoniæ unc.i.s.butyri recentis, ſepi renum caprarũ ana unc.i.maxillarũ lucci exiccatarum,porcellionũ,qui à Galeno dicuntur ouici,terreſtrium exiccatorum, uermium terreſtrium exiccatorum ana unc.i.olei decoctionis cataputiæ unc.s. puluerizentur puluerizanda ſubtiliter, & cum modico cæræ albæ fiat unguentũ molle,cuius portio cum lana ſuccida loco hæmorrhoidarum ponatur,& in lacte uaccino diſſoluta,anus ſyringetur.

Ad idem, & eſt expertum, ſi hæmorrhoides, dato etiam quòd eſſent vlceratæ, ſequenti vnguento vngantur, & ſi eo patiens vtatur frequenti vſu, indubitato ſanabitur.

Recip.Succi cælidoniæ, pinguedinis colli inuli,ubi extant crines,ana unc.iij. miſce, & eius portio, uel cum ſyringa, uel cum lana ſuccida loco patienti imponito. Et nota quòd ſi tanti uigoris eſſet dolor,qui iam ſupraſcriptis medicamentis ſolui non poſſet,timore non afficiaris, ſi unicuiq; unguentorum eorum gra.iiij.opij apponantur cum gra.iij.croci.

Ad idem.

Et eſt expertum, multum conferre patienti, ſi frequentet ſeßionem ſuper tabula calida bene terſa de ligno pini, inuncta pinguedine renum caprarum, & mirabilem aſſequemur effectum. Et omnibus his remedijs celebratis, ubi dolor ſolutus fuerit, omni ingenio debes præſeruare, ne iteratò patiens cadat in talem affectionem hæmorrhoidalem, ob quam rem conſulo, ut homo præſeruandus, alternis diebus quolibet menſe per tres horas ante prandium capiat bolum infraſcripti electuarij immediatè ſuperpotando unc.iiij.iuſculi cicerum rubeorum.

Recip.Myrobalanorum indorum,belliricorum, emblico-

rum electorum ana drach. s. cum aqua bugloſſæ abluendo, ab his amaritudo remoueatur. radicum taſsi barbaſsi drach. vi. ameos, ſpicæ, ſquinanti ana ſcrup. i. zinziberis, cinnamomi, galangæ, nucis muſcatæ ana ſcrup. ij. ſcoriæ ferri præparatæ drach. vi. penidiarum un. iiij. ſacchari quantum ſufficit, fiat electuarium.

Secundum uerò propoſitorum principalium erat ſuccurrere fluentibus hæmorrhoidibus pluſquàm oportet, et dolori iuncto illi fluxui.

Plerunque tamen uolo, ut habeas menti, quòd hæmorrhoidibus fluentibus non omnes obſeruandæ ſunt, ſed cum ab illis totum corpus expurgetur à fæculentis, & turbidis humoribus maximè obnoxijs toti corpori, ideo ſemper unam de hæmorrhoidibus apertam ſeruare debes, iuxta illud Hippocratis, antiquas hæmorrhoidas ſananti, ſi non unam dimiſerit, aut in hydropem, aut in phthiſim, aut in maniam corpus conducet.

In obſeruatione igitur hæmorrhoidarum fluentium, conſulo, primò vt hæc obſerues ingenia.

Primo, phlebotomabis baſilicam dextri lateris, non magnam tamen quantitatem ſanguinis extrahendo, ut melius natura aſſueſcat ad ſanguinis euacuationem oppoſitam.

Et ideo primo die educes à baſilica ſanguinis quantitatem unc. ii. uel iii. ad plus, ſequenti uerò die iterato ex eadem uena ſanguinem mittes, pondere unc. ii.

Et tertia de ſimili modo ſanguinem mittes ex eadem uena.

Secundum ingenium eſt.

Quod in ſubito ac in ſuperfluo fluxu non dante moram ipſi medico in ſui operatione eſt, quòd ſub dextra mamilla in loco hepatis apponatur uentoſa magna: fiet enim tunc temporis

poris retentio,et diuersio fluxus sanguinis hæmorrhoidalis, iuxta illud Hippocratis: hæmorrhoidibus plurimum fluenti bus sicya magna hepati apposita ægritudinem soluit.

Tertium ingenium in plurimo fluxu sanguineo hæmorrhoidarum est.

Si fluxum sanguinis ex naribus promouebis, non quidem una uice simul multum de sanguine educes, sed successiuè, & pluribus missionibus parum de sanguine pro uice educendo, intentum tuum adipisceris, sic enim natura melius assuescit ad oppositas euacuationes.

Quartum ingenium est.

Ingrossare sanguinẽ,ne ita impetuosè sui subtilitate fluat ad ipsas hæmorrhoidas.His igitur celebratis sanguinis missionibus æquetur materia sequenti syrupo, quem patiens bis in die,uidelicet in diluculo, & in meridie, assumat.

Recip.Syrupi rosati ex infusione rosarum siccarum unc. i. de succo acetosæ, myrtini, ana unc. s. aquarum plantaginis, acetosæ, portulacæ, ana unc.i. sumptis decem de his syrupis, sequenti die iube patientem capere infrascriptam medicinam,duabus horis ante lucem.

Recip.Seminis acetosæ, seminis plantaginis, seminis portulacæ, seminis endiuiæ ana drach.ij.rosarum rubearum, florum borraginis,florum buglossæ ana M.s.bulliant omnia insimul in sufficienti quantitate aquæ calibeatæ usque ad consumptionem medietatis,deinde coletur, & cum colatura dissolue diacatholiconis drach.vi.reubarbari electi drac.ij.subtiliter puluerizetur reubarbarum,et fiat potio. Facta purgatione expertum est,quòd si manè,& uesperi epithimetur hepar sequenti epithimate, multum confert.

Recip.Aquæ solatri, rosaceæ, absinthij, acetosæ, endi-

uiæ ana un.v.ſpecierũ ceroti triaſandalini dra.vi.ſpodij dra. i.s.ſpicæ gr.x.aceti optimi unc.iij.miſce ꝑ epitimate hepatis.

Ad idem, conſulo, vt qualibet vice, facto epithimate vngantur hepar, & renes cum ſequenti vnguento frigido.

Recip. Vnguenti ſandalini, infrigidantis galeni ana unc. i. ſucci ſolatri, ſucci ſemperuiuæ, ſucci plantaginis ana unc.s. ſeminum roſarum rubearum, coraliorum rubeorũ ana drac. i. acatiæ drach.s. puluerizentur puluerizanda ſubtiliter, & cum modico cæræ, & olei myrtini, & citoniorum, fiat unguentum molle. Quòd ſi hæmorrhoides multum fluant, ut prædictis medicamentis fluxus ſiſti non poſſit, conſulo, quòd ipſis hæmorrhoidibus fluentibus. i. orificijs earum apertis, ſequens unguentum applicetur.

Recip. Aloës hepatici, mirrhæ, thuris, ſanguinis draconis, boli armeni ana drac.s. puluerizentur ſubtiliter, & cum albumine oui, & modico olei roſati omphacini incorporẽtur pulueres, et cum bombice madefacto in liquore ungantur orificia hæmorrhoidarum.

Aduerte tamen

Quòd earum una ſemper remaneat aperta, ut dictum eſt. quòd ſi neque iſto medicamento fluxus prædictus amoueatur, ultimo deuenire poteris ad cauterium actuale, cauterizando orificia aperta hæmorrhoidarum, unam ſemper derelinquendo. Et *aduerte tanquam notatu dignum, quòd ſi una tantùm hæmorrhoidalis uena fuerit aperta conducens multum ſanguinem fluentem, quem natura non poſſet tolerare, conſulo, ut omnibus prædictis ingenijs orificium illius uenæ obſeretur, & quoniam illius obſeratio timoroſa eſt propter dictum Hippocratis, conſulo, ut altera uena hæmorrhoidalis*

rhoidalis confestim aperiatur apposita sanguisuga, quoniam tunc modestè sanguis euacuabitur hæmorrhoidalis, & corpus non cadet in aliquam prædictarum ægritudinum, & superfluus fluxus tolletur, cum quo est tumor de casu uirtutis.

Ad idem, & est expertũ in præseruatione à superfluo fluxu sanguinis hæmorrhoidalis, si patiẽs quolibet mane per tres horas ante cibum, capiat rotulam vnam infrascriptæ confectionis.

Recip. seminum acetosæ, seminum plantaginis, seminum portulacæ, seminum rosarum rubearum, acatiæ, hypocistidos ana drach.i. reubarbari electi scrup.iiij. myrobalanorum citrinorum sc rup.ij. puluerizentur omnia subtiliter, & cum saccharo albissimo dissoluto in aqua plantaginis, uel rosata quantum sufficit, fiat confectio in rotulis duarũ drachmarum pro qualibet. Quòd si multum solueret uentrem, tamen bis in septimana patiens eam assumat.

Ad idem, expertum est, si patiens omni vesperi ante cœnam per horam vnam capiat de infrascriptis pilulis multum conferre, & in mane, vnam de supradictis rotulis, vt dictum est.

Recip. Trochiscorum de carabe dra.i.s. fiant pilulæ num. viij. cum syrupo myrtino.

DE DOLORIBVS, ET TVMORIBVS testiculorum. CAP. XLIX.

CVM testiculorum tumores præter naturam per confluxum humorum ad ipsos ortum habeant.

Ideo laudo, cùm influxus illius humoris fuerit à toto corpore, quòd prius totum corpus mundetur phlebotomia. qua propter considerabis materiam ipsam fluentem, siq. idem in

fluxu sit, quantuncunque pars aliqua illius sit fluxa.

Consulo, ut utaris phlebotomia diuersiua. Secabis igitur uenam mediam dextri cubiti cum extractione sanguinis unciarum quinque.

Quòd si cognoueris materiam ut plurimum fluxam esse ad testiculos, quod ostendet tibi dolor, tumor, & grauitas.

Tuuc utere phlebotomia euacuatiua. Secabis igitur saphenam malleoli dextri, cum extractione sanguinis unciarum quinque.

Vnum tamen aduerte, quòd si patiens tumorem in testiculis fuerit tumor ab indurata materia frigida, nullatenus uti debes phlebotomia, propter ipsam esse causam maiorem inducentem durltiem in ipsis testiculis: ipsos tamen curabis modo infra dicendo.

Materia igitur faciente tumores testiculorum calida existent, ebis phlebotomijs factis consulo, ut præcedente semper lenitiuo clysterio, quatuor cucurbitulas super nates imponere de directo ad ipsos testiculos, eas quoque scarificabis, & sanguinem extrahes. Quibus factis, confestim debes materiam digerere cum sequenti syrupo, in quo est uirtus prohibitiua fluxus materiarum ad testiculos. Alteratiua etiam malæ complexionis calida, & confortatiua uirtutis hepatis & testiculorum, æquatiuaq; materiæ etiam confluxæ ad testiculos.

Recip. Syrupi rosati ex infusione rosarum siccarũ unc. i. de endiuia, portulacæ ana unc. s. aquarum lupulorum, plantaginis, cicoreæ ana unc. i. misce. sumpto syrupo per sex dies continuos, consulo, quòd purgetur materia cum sequenti medicina.

Aduerte tamen quòd in ægritudinibus testiculorum, &

ani,

ani, non debes uti medicinis laborioſis & ſcammoneatis, quoniam illorum membrorum ſitus deorſum eſt, ad quem confluunt omnes euacuandæ ſuperfluitates.

Scammoneata enim medicina multam ſuperfluentium humorum quantitatem ſui fŏrti attractione ad teſticulos & ad anum conduceret.

Quo fit, ut prædicti tumores concreſcant, & accidentia ſæuiora efficiant. ſit igitur medicina talis.

Recip. Diaſebeſten lenitiui, quod multum ualet in his tumoribus, unc.i. Reubarbari optimi & electi drach. ij. ſpicæ gra. vij. miſce, & cum decoctione pectorali fiat potus. et attende quŏd non blaſphemarem, ſi in medicinis pro tumoribus teſticulorum apponeretur aliquid de diaphinicone, cũ ſit medicina ſecuritatis, neque laboriosè euacuans, cum ſcamonea ſit in eo bene conſolata, & eius uirtus non tranſcendit hepar.

Præterea conſulo, ut pro euacuatiuis ad minus alternis diebus patiens utatur clyſterio lenitiuo, uel ante cibum capiat medullam caſſiæ recenter tractæ pondere drach. iiij. diuertetur enim uel deriuabitur plurimum materia ad anum, & uirtus teſticulorum quotidie reddetur ualidior ad reſolutionem materiæ facientis tumorem. His factis remedijs procedere debes ad tumorem & dolorem teſticulorum.

Remedium expertum eſt ſequens.

Recip. Olei liliorum alborum, olei roſati completi, ana unc. ij. hyſſopi humidæ unc. i. s. & in eo liquore madefiat lana ſuccida, & calida teſticulis applicetur, ſoluitur enim tumor & dolor teſticulorum iſto remedio.

Ad idem, eſtque expertum conferens multum tumori indurato.

Recip.

Recip. *Passularum enucleatarum unc. iij. farinæ hordei, farinæ cicerum alborum ana unc. ij. farinæ fœnugræci, farinæ seminum lini ana unc. s. mellis nnc. i. s. omnia simul bene misceantur, & in mortario contundantur, & calida testiculis applicentur.*

Ad idem, & est expertum, si ipsis testiculis applicetur sequens cærotum, & continue feratur.

Recip. *Mucillaginis seminis althææ, mucillaginis seminis fœnugræci ana unc. i. mucillaginis ficuum unc. i. s. farinæ fabarum unc. s. croci scrup. ij. misce omnia, & cum oleo camomillæ .s. modico, & cæra, & pice quantum sufficit, fiat cærotum.*

Ad idem, & est aliud cærotum multum conferens in eadem dipositione.

Recip. *Gummi Arabici, dragacanthi ana drach. ij. galbani, armoniaci ana drach. i. s. farinæ fabarũ, cicerum alborũ ana unc. i. dissoluantur gummi in oleo amygdalarum dulciũ, et modico aceti, deinde omnia simul bene misceantur, & cum pice, & cæra quantum sufficit fiat cærotum.*

Ad idem, ualet fomentatio sequens, mane & uesperi facta.

Recip. *Florum camomillæ, meliloti, fœnugreci, seminum lini ana M. i. bulliant in sufficienti quantitate uini albi usq; ad consumptionem tertiæ partis uini, deinde cum filtro infuso in dicta decoctione calida fomententur testiculi. statim uerò facta fomentatione applicetur ipsis tumidis testiculis sequens emplastrum.*

Recip. *Radicum maluæ, althææ, ireos, ana unc. i. florum camomillæ M. ij. prius bulliant radices unica forti ebullutione: deinde adde ebullitioni flores camomillæ, & bulliant*

usque

usq; ad perfectam radicum decoctionem.

Deinde adde farinæ fabarũ, farinæ fœnugræci ana p.i.croci dra.i.mellis un.ij.olei camomillæ,olei amygdalarũ dulcium ana quantum sufficit ad impinguandum emplastrum.

Ad idem, & est unguentum multum conferens in tumoribus testiculorum.

Recip. Olei liliorum alborum, olei camomillæ ana unc.i. cimini drach.ij.laudani,galbani,ana unc.i.dissoluantur gummi in aceto forti, & puluerizentur puluerizanda, & cum modico cæræ fiat unguentum molle,in quo lana succida intincta applicetur testiculis.

Ad idem,& est expertum, si patienti applicetur sequens emplastrum die noctuque.

Recip. Ciceruum alborum lib. i. bulliant in uino albo odorifero, usq; ac completam decoctionem, deinde in mortario bene contundantur, & adde farinæ camomillæ unc.ij.croci drac.i.olei liliorum alborum unc.ij.misce,& calidum testiculis applicetur.

Ad idem, & est expertum, si die noctuque patiens portet sequens medicamen testiculis applicatum.

Recip. Puluerís radicum ireos exiccati unc.s.cinnamomi puluerizati,anethi puluerizati ana drac.ij.croci scru.i. omnia subtiliter puluerizentur, deinde accipe petiam unam de scarlato madefactam in uino albo potenti calido,deinde eã superasperge de prædicto puluere,& petiam calidam sic testiculis applicato.

Ad idem,& est expertum, si testiculis applicetur sequens medicamentum mane & uesperi.

Recip. Theriacæ antiquæ unc. i. olei amygdalarum dulcium

cium unc.s.croci drach.s. uini albi potentis unc.i. miſce, & cum dicto liquore intinges lanam ſuccidam, & teſticulis applicato. Et ſi teſticuli ad tantam duritiem ducantur, ut ſui duritie inobediant reſolutioni fiendæ ex prædictis medicamentis, prius applicabis ipſis medicamenta emollientia, quemadmodum ſequens medicamentum.

Recip. mucillaginis ſeminũ cauliũ lib.s. mucillaginis ficuum unc.ij. mucillaginis ſeminũ maluæ unc.i. olei ſiſamini unc. i.s. olei amygdalarum dulciũ unc.i. miſce, et cum lana madefacta in dicto liquore calido teſticulis applicato per modñ fomenti, quòd ſi aliqualem mollitiem factam cognoueris in teſticulis, ſtatim applicabis ei ſequens medicamentum.

Recip. Abſinthij uiridis M.ij. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſque ad conſumptionem medietatis.

Deinde adde mellis unc. ij. farinæ cicerum rubeorũ unc.i. croci drach.i. olei camomillæ unc.i. miſce, & calidum teſticulis applicetur.

Vbi uerò neque medicamentis reſolutiuis iam dictis, neque mollientibus, teſticuli obedire noluerit, tunc diſpone ipſos ad manum chirurgici, & ſi uidebis folliculum eius aqua plenum eſſe, ipſum perforabis, & exibit aqua. Si uerò neque aquam uideris, ſed ſolum materiam grauitantem teſticulum, & ipſum apoſtemantem, procuret chirurgicus ſanationem, & apoſtematis diſruptionem. Demum curet ipſum curatione ulcerum. Quòd ſi patiens ſanitatem non adipiſcatur, remedium eſt inciſione conuenienti teſticulum extrahere, & in poſterum illemet teſticulis non dolebit.

DE CVRA DOLORIS SCIATICI.

CAPVT L.

SCIAS quòd ſecundum plurimũ dolor ſciaticus fit à materia pituitoſa, cui permiſcetur aliquid humoris bilioſi calidi, quo iuuatur motus pituitæ uſq; ad ſciam. quapropter dolor iſte prouenit à materia exiſtente ad intra uenam ſciæ, à cuius multitudine humoris replentis uenam illam, eiuſdem extenſione dolor cauſatur. Laudo igitur ut primo uenter leniatur cum exhibitione caſſiæ pondere unc.i.s. uel cum clyſterio lenitiuo, facto ex decoctione foliorũ maluæ, uiolariæ, blitis, furfuris groſſi ligati in petia, addendo quantum ſufficit dictæ decoctioni caſſiam uel mel roſatum, oleum uiolatum, & ſaccharum, ſal, & uitellum oui ſecundum quod expedit: deinde facta uentris lenitione abſq; dubio phlebotometur ſciatica, quæ deriuatur in clauiculam partis ſylueſtris eiusdem cruris dolentis, & extrahe ſanguinis quantitatem unciarum v. et nota quòd hæc phlebotomia multoties excuſat medicum ab ulteriori euacuatione, quoniam tollit dolorem ſciaticum, ſecundum plurimum à principio.

Secundo uerò facta phlebotomia, conſulo ut digeratur materia cum ſequenti ſyrupo.

Recip. Mellis roſati colati, oxymellis ſimplicis, ſyrupi de betonica ana unc.s. aquarum betonicæ, ſaluiæ, cicoreæ ana unc.i. miſce. continuato ſyrupo per ſeptem dies in dilucu lo ſumpto, capiat patiens ſequenti die per tres horas ante lucem ſequentes pilulas.

Recip. Agarici præparati, pilularum de hiera nicolai, aurearum nicolai ana ſcrup.i. miſce cum ſyrupo de ſticados, fiant pilulæ nu.v. Facta hac leui purgatione, ſicut decet in principio doloris ſciatici, infeſtante quippe dolore uolo quòd

iterato

iterato fortiori purgatione, atq; fortiori materiæ pituitosæ concoctione æger sic medicetur. Quiescat igitur æger per duos dies sequentes ad assumptionem pilularum dictarum, in quibus quolibet mane ante cibum per tres horas capiat infra scriptam mixturam.

Recip. Conseruæ saluiæ, sacchari rosati ana drach. ij. misce pro una uice. Tertio uerò die sequenti per vij. dies continuos capiat infrascriptum syrupum.

Recip. Syrupi de sticados sine speciebus, syrupi rosati, mellis rosati colati ana unc. s. aquarum betonicæ, saluiæ, cicoreæ ana unc. i. misce. octauo uerò die per duas horas ante lucem capiat infrascriptas pilulas.

Recip. Pilularum cochiarũ almansoris scru. ij. de hermodactilis, aurearum nicolai ana scru. i. misce, et cum syrupo de sticados fiant pilulæ numero v.

Et nota eo tempore quo assumit syrupos si molestaretur uehementia doloris sciatici, ad doloris sedationem utatur sequentibus ingenijs. Primo apponantur quatuor uentosæ super nates cum scarificatione, & sanguinis extractione. Secundo quolibet mane stomacho ieiuno, uel alternis diebus utatur sequenti clysterio.

Recip. Florum camomillæ, meliloti, fœnugræci, seminum lini, florũ sticados Arabici ana M. s. fŏliorũ maluæ, mercurialis, furfuris grossi ligati in petia ana M. i. bulliant omnia inst mul in sufficienti quantitate aque usq; ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & de colatura

Recip. Vnc. x. benedictæ, hieræ simplicis ana unc. s. mellis rosati unc. iij. olei communis unc. iij. salis communis drac. ij. uitelli oui numero i. sacchari rubei unc. i. s. ex his imponatur clystere. Tertium ingenium est fomentare locum doloris,

dato

dato etiam quòd esset totũ crus dolens, isto sequenti sacculo.

Recip. Florum camomillæ, milii mundi, furfuris ana M. i.iii. salis M.s. Quòd si adhuc dolor perseueret, laudo ut fiat tertia humorum peccantium digestio, & eorum exquisita euacuatio, & maxime à loco dolente. quiescat igitur patiens duobus diebus post prædictas pilulas assumptas, & quolibet mane tribus horis ante cibum accipiat infrascriptam mixturam.

Recip. Conseruæ acori, conseruæ sticados, sacchari rosati ana drach.i.s. misce pro una uice. Tertia uerò die capiat sequentem syrupum per vii. dies continuos.

Recip. Syrupi de iua nicolai, de sticados, mellis rosati colati ana unc.s. aquarum iuæ, betonicæ, cicoreæ ana unc.i. misce. octaua uerò die capiat infrascriptas pilulas

Recip. Pilularum de hermodactylis, pilularum fœtidarum, pilularum cochiarum ana scrup.i. misce cum syrupo de sticados fiant pilulæ numero. v.

Et nota quòd eisdem diebus, quibus capit syrupos infestãte dolore, utatur supradictis ingeniis, uel altero eorum. Iterum nota quòd in casu ualentiores sunt medicinæ in forma pilulari, quàm in forma potionis, quoniam longiorem moram trahunt in stomacho, & à longinquis partibus melius euacuant, sicut oportet. His omnibus exactis purgationibus, expertum est si patiens utatur tribus diebus alternatis tribus sequentibus clysterijs, proculdubio sanabitur à dolore sciatico.

Primum clystere tale est.

Recip. Florum camomillæ, meliloti, florum anethi, fœnugræci ana M.i. florum sticados arabici, maioranæ, betonicæ ana M.s. absinthij, menthæ ana p.i. agarici ligati in petia

tia drach. ij. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usque ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & de colatura.

Recip. lib. i. olei rutæ, mellis rosati, ana unc. iij. benedictæ, hieræ compositæ ana drach. vi. uitelli oui numero i. sacchari rubei unc. i. s. salis communis drach. iij. misce, & imponatur clystere: conetur patiens retinere plusquàm sit ei possibile, & uoluat se super latus doloris moram contrahendo, & plusquàm potest super illud latus quiescat. sequenti uerò die assumat per tres horas ante prandium, sequentem mixturam.

Recip. Conserua saluiæ, conserua acori, ana drach. ij. Tertia uerò die eadem hora stomacho ieiuno ante prandium capiat sequens clysterium.

Secundum clystere.

Recip. Florum Camomillæ, meliloti ana M. s. pulegij, calamenti, abrotani, florum sticados arabici, betonicæ, sansuci, iuæ, herbæ paralisis ana M. i. agarici, pulpæ coloquintidæ ligatæ in petia ana drach. ij. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usque ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & de colatura.

Recip. lib. i. olei de cheiri unc. iij. mellis rosati unc. ij. hieræ compositæ, hieræ logodionis ana unc. s. salis communis drac. ij. uitelli oui numero i. sacchari rubei unc. i. s. misce, & imponatur clystere: quiescat sequenti die, & stomacho ieiuno de mane capiat infrascriptam mixturam.

Recip. Cõserua iuæ drach. ij. sacchari rosati drach. i. misce. Sequenti uerò tertio die patiens capiat tertium clystere tale.

Tertium

Tertium clyſtere.

Recip. Prædictæ decoctionis ultimæ lib.i. electuarij indi maioris, hieræ, logodionis, hieræ ruffini ana unc.s. olei rutæ, unc.iij. mellis roſati unc.ij. uitelli oui numero i. ſacchari rubei unc.i.s. ſalis communis drach.ij. miſce, & fiat clyſtere. his equidem clyſterijs, ut expertus ſum, & euacuationibus præmiſſis, proculdubio patiens ſanabitur à dolore ſciatico.

Et nota quòd neq; medicus, neque patiens terreri debent, ſi ex illis clyſterijs aliquando conducatur dyſenteria, quoniã ſignum eſt optimæ euacuationis, operationisq; clyſteriorum. Vbi uerò perſeueraret dyſenteria, ſtatim eam curabis ſequẽti clyſterio bis in die facto.

Recip. Lactis uaccini lib.i. uitelli oui numero i. ſacchari rubei unc.i. olei roſati omphacini unc.ij. miſce, & fiat clyſtere.

Ad idem.

Recip. Decoctionis hordei torrefacti lib.i. ſucci plantaginis unc.ij. olei roſati omphacini unc.iij. ſacchari rubei unc.i.s. uitelli oui num.i. miſce, & fiat clyſtere.

Quòd ſi his remedijs exactis adhuc dolor ſciaticus perſeueraret, ſublime remedium eſt balneare patientem ſequenti balneo, ipſumq; medicari ſequentibus remedijs. Primum remedium erit balneum tale.

Recip. Florum camomillæ, meliloti, fœnugræci, anethi, ſeminis lini ana M. ij. abſinthij, menthæ, pulegij, calamenti, abrotani, iuæ, florum ſticados arabici, betonicæ, maioranæ, herbæ paraliſis, ſaluiæ, roris marini, chamædrios, chamæpiteos, ana M.i.s. Bulliant in lib. 200. aquæ fõtis claræ, uſq; ad conſumptionem tertiæ partis. deinde coletur, & aquæ huiuſmodi colatæ adde ſulphuris uiui lib.s. nitri præparati

unc.iiij. salis gemmæ unc.iij. iterum bulliant unica forti ebullitione, deinde colentur, & colatura usui seruetur. sic quòd quolibet mane per octo dies continuos patiens ingrediatur. Tinam huiusce modi decoctionis, & moram trahat in ea per tempus unius horæ bene coopertus, excepto capite, pòst ucrò exiens ex balneo, totoq; corpore bene absterso ingrediatur lectũ calidum, et statim capiat infrascriptam mixturam.

Recip. Theriacæ magnæ drach.i. sacchari rosati unc.i. s. misce. Demum quiescat, & dormiat in lecto per duas horas pannis bene coopertus, sudabit multum, abstergatur bene à sudore illo: & immediatè inungatur sibi locus doloris, qui erit totum crus, ab ancha usq; ad malleolum syluestris lateris ipsius cruris, cum sequenti unguento calido.

Recip. Vnguenti marciaton, unguenti agrippæ, unguenti aragon ana unc.i. misce, & sic continuet patiens cum omnibus prædictis ingenijs, scilicet cum balneo, & cùm unguẽto per octo dies continuos, proculdubio sanabitur à dolore sciatico. Si uerò medicamentis præcedentibus patiens non sanetur à dolore sciatico, cõsulo, ut omnino submittatur cauterio: cauterium enim sit actuale, & non potentiale, si possibile fuerit, cùm ipsum sit magis exiccatiuum, & membri confortatiuum: locus etiam cauterij sit crus dolens in parte illius syluestri infra genu per quatuor digitos, intra duos ibidem musculos apparentes: isto enim cauterio conuertitur materia faciens dolorem à loco doloris ad extrà, & à toto corpore ad locum ipsius cauterij. Quamobrem consulo nullatenus cauterium dimittendum esse, alijs non conferentibus. Et hæc dicta sufficiant de dolore sciatico.

TRA-

TRACTATVS DE AFFECTIONIBVS, quæ cutim afficiunt.

De phlegmone. cap. I.

Cvm phlegmon sit sanguineum apostema, idcirco in initio illius curationis non prætermittas phlebotomiam. & in quacunque corporis parte initium capiet phlegmon, ad oppositam partem trahendo, sanguinem mittes, ut si in dextra, in sinistram: si sursum, in deorsum, & in alijs sic procede, nisi apostema fuerit pestiferum. Facta phlebotomia diuersiua, attenta quidem semper uirtute, & etiam ætate, phlebotomabis patientẽ ex eadem parte lateris flegminãtis, ut humor quidem iam ad particulam patientem fluxus est, ea phlebotomia deriuetur uel euacuetur. His sanguinis missionibus peractis, uentris lenitione semper præcedente, considera si phlegmon fuerit in loco propinquo membro principali, & tunc non debet fieri curatio cũ his quæ ipsam materiam repellunt, ut cùm fuerint phlegmones in emunctorijs cerebri, uel sub asellis: in illis quidem timere debes de reuulsione materiæ ad cerebrum, in istis ad cor uel ad hepar. Caue quoq; quantum possibile sit, ne in emunctorijs testiculorum, & in inguinibus initio curæ phlegmonis, uti repellentibus: quoniam testiculi membra sunt principalia, facilè ad ipsos materia posset duci: ob quam rem si apparuerit phlegmon in alijs membris nostri corporis longè distantibus à principalibus, securè uti poteris à principio repellentibus, & tanto securius, quanto si sanguinis missiones præcesserint.

Medicina reuulsiua materiæ erit talis.

Recip. Succi solatri, plantaginis, semperuiuæ ana unc. i.

roſarum rubearum, mirtillorum ana drach. ij. puluerizentur puluerizanda ſubtiliter, miſceantur, & cum petijs lineis madefactis in illo liquore medicaberis patienti.

Ad idem, poteris repellere cum ſequenti medicamine.

Recip. Aceti optimi unc. iij. albuminis oui nu. i. aquæ roſatæ unc. i. s. roſarum rubearum ſubtiliter puluerizatarũ drac. s. miſce, & petias lineas madefactas in dicto liquore loco patienti applicabis.

Ad idem, & eſt remedium materiæ optimum fluentis ad phlegmonem.

Recip. Vnguenti de cæruſa unc. ij. ſucci plantaginis, ſucci ſemperuiuæ ana unc. i. aquæ roſatæ unc. ij. miſce, & cum petijs lineis medicaberis.

Ad idem, & eſt expertum, & optimè valet in repellendo materiam.

Rec. Laminam plumbeã ſubtiliter conductã quantum expedit magnitudini phlegmonis, cui aſperges puluerem iſtum.

Recip. cæruſæ unc. s. roſarum rubearum, coraliorum rubeorum ana drach. ij. miſce, & fiat puluis ſubtilis.

Ad idẽ, & eſt expertum quòd non ſolum repellet, immo ſiquid reſoluendum eſt, reſoluet.

Recip. Vrinæ pueri maſculi citra decem annos lib. i. albuminis oui numero iij. Aceti albi fortiſſimi lib. s. aquæ roſatæ unc. ij. miſce, & cum petijs madefactis in dicto liquore, uel (quod melius eſt) cum placellis de ſtupa lini locum medicaberis ſæpius in die. & aduerte quòd ſi opus reuulſionis materiæ fruſtraretur, quod ſic dignoſces, quoniam ex applicatione repellentium in prima die uel ſecunda naturali ipſius phlegmonis, nullum apparebit indicium abolitionis ipſius

phlegmo-

phlegmonis, tunc uti debes aliis ingeniis, & sunt simul repellere atque resoluere. applicabis igitur illi primo remediũ sequens, quod est expertum in prohibitione augumenti ipsius apostematis.

Recip. Olei camomillæ, olei liliorum alborum, olei amygdalarum dulcium ana unc.ii. hyssopi humidæ drach.i. succi plantaginis unc.i.s. rosarum rubearum puluerizatarũ drac. ii. misce, & cũ lana succida infusa in dicto liquore calido locũ patientẽ medicaberis. & aduerte quòd cũ sola tui intẽtio sit reuellere, medicinas actu frigidas applicabis, quia frigido actu, & potestate reuellimus: si uerò tui intentio erit resolutio, tunc medicinas actu, & potentia calidas applicare debes, cum resolutio fiat ab utroq; calido, & in effectu, & in potestate. & scias quod non debes intromittere te ad curationem phlegmonis, uel reuellendo, uel resoluendo, nisi factis phlebotomiis, et sufficientibus euacuationibus totius corporis, ad quas debet præcedere peccantis materiæ digestio. Et ideo laudo, quòd post sanguinis missionem euacuetur primo corpus medicina purificante sanguinem, non expectando eius digestionem, quoniam natura phlegmonis est, quæ digestionem non expectat. dabis igitur primo medicinam sequentem.

Recip. Cassiæ nouiter tractæ drach. x. reubarbari electi drac.i.s. spicæ gra.x. misce, & dissoluantur cũ decoctione cõmuni florum, & fructuum quantum sufficit, & dabis patienti hora exhibitionis medicinarum in diluculo. Et cùm intentio curationis phlegmonis sit sanguinem ipsum purificare, & maximè cum cholera sanguini permisceatur, ideo est apponendum reubarbarum choleræ euacuatiuum, & sanguinem mundificatiuum, & ad eandem intentionem potes admi-

ſcere ipſi caſſiæ diaprunem ſolutiuum, uel electuarium roſatum meſuæ, uel electuarium de ſucco roſarum nicolai ſi uerò cognoueris per indicia, quòd phlegmon generetur ex ſanguine cum permixtione pituitæ, uel atræ bilis, ut docuit nos Galenus in libro de tumoribus præter naturam, appones caſſiæ uel turbith, uel electuarium de dactylis, uel indum, uel puluerem hieræ ſimplicis Galeni, quoniam euellunt omnes ſuperfluitates à toto corpore, uel pro atra bile cappones elleborum nigrum, polypodium, uel puluerem ſenæ, uel confectionem amech. Mundato itaque corpore ſic, & ex præcedentibus phlebotomiis poteris aggredi audacter magis intẽtionem reuulſionis, & reſolutionis, & eo quidem tempore reſiduum materiæ remanentis digerere procurabis, & digeſtiua erunt appropriata materiæ peccanti, ut ſi materia fuerit ſanguinea choleræ admixta, ſyrupi ſint digerentes choleram, ut eſt talis.

Recip. Syrupi de ſucco endiuiæ, ſyrupi de ſucco acetoſæ, ſyrupi roſarum ana unc. s. aquarum endiuiæ, acetoſæ, cicoreæ ana unc. i. miſce. Si uerò fuerit admixtio phlegmatis cum ſanguine, digeratur materia cum oxymelle ſimplici, cum ſyrupo de duabus radicibus, cum melle roſato colato, addendo aquas fœniculi, capillorum ueneris, & hyſſopi. Si uerò permixtus fuerit humor melancholicus, non prætermittes ſyrupum Sabor regis, ſyrupos de epithymos, de thymo, de lupulis, de fumo terræ, & melle roſato, cum aquis bugloſſæ, borraginis, lupulorum, meliſſæ, fumi terræ, & huiuſmodi. & eo quippe tempore quo materia digeritur, & factus eſt trãſitus phlegmonis ad ſtatum, tunc relictis ipſis repellentibus, cum reſoluentibus, & maturantibus ipſum phlegmonẽ procedes, primò tamen augmentabis reſoluentia ipſis maturan-

tibus

tibus minoratis, quia phlegmonis cura est resoluere ipsam materiam sanãdam. A principio igitur status phlegmonis medicamento sequenti medicaberis.

Recip. radicum althææ mundæ unc.ii. florum camomillæ, meliloti, anethi ana M.s. foliorum maluæ cum radicibus, uiolariæ ana M.s. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usque ad consumptionem medietatis. deinde addatur farinæ fœnugræci, seminis lini, ana unc.i. farinæ tritici unc.s. olei camomillæ, amygdalarum dulcium ana quantum sufficit ad impinguandum emplastrum. Et aduerte, & tene menti quòd in quolibet medicamento quantumcunq; resolutiuo ipsi phlegmoni semper addere modicum de olco uiolato, & de oleo rosato completo, propter id de calido, quod semper secum phlegmon conducit, & hoc quidem emplastrum phlegmoni tepidum applicabis quater in die naturali.

Ad idem, valet saquens medicamentum.

Recip. mucillaginis seminis althææ, mucillaginis seminis maluæ, & mucillaginis seminis, fœnugræci, mucillaginis seminis lini ana unc.i. succi althææ unc.ij. olei amygdalarum dulcium, olei liliorum alborum, olei camomillæ, hyssopi humidæ ana unc.s. olei uiolati unc.i. misce, & cum lana succida in prædicto liquore madefacta, phlegmonem medicaberis. & scias, ut sit minus fastidium patienti phlegmonem, poteris applicare parti patienti cærotum, quod optimè cõficeretur ex prædictis rebus unà cum cæra, & modico resinæ, quantum sufficit ad faciendum cærotum, quod extensum supra corium phlegmoni applicabis. Et scias, quòd ex eisdem rebus, ex quibus factum est supradictum emplastrum in uia maioris resolutionis, poteris phlegmonem ipsum fomentare cum spongia uel filtro madefacta in aqua decoctionis dictarum re

rum,& facta quidem fomentatione,mox applicabis dictũ cærotum. Aduentante uerò secunda parte status, ubi cognosces resoluentia non complere opus suum, statim debes solicitare ipsius phlegmonis suppurationem,quam utique cõplebis cum sequenti emplastro.

Recip.radicum maluæ cum foliis, uiolariæ ana m.i.s.radicum althææ mundæ, & minutim incisæ unc.ii.radicum liliorum alborum unc.i.s. Bulliant omnia usq; ad consumptionem medietatis aquæ,deinde adde mucillaginis seminis cauliũ unc.i.s.farinæ frumenti unc.s. fermenti unc.i.pinguedinis porci, butyri recentis, lactis mulieris ana unc.i. olei liliorum alborum,olei amygdalarum dulcium ana quantum sufficit ad impinguandum emplastrum, quod calidum loco patienti apponatur. & aduerte ne calida multum emplastra apostematibus applicentur, quoniam partes materiæ subtiles resolue-rentur, & grossum petrificaretur, quod esset impedimento maturationis : eadem quoq; emplastra frigida minimè apponantur, quoniam sui frigiditate materiam compingerent,& maturatio prohiberetur.

Ad idem,optimè maturat, & ad suppurationem conducit hoc sequens emplastrum.

Recip. Lactis uaccini à quo non sit extractum butyrum lib.i. medullæ panis subtiliter trituratæ lib.i. succi caulium unc.iij.croci drach.s.olei liliorum alborum unc.iij.misce,& calidum phlegmoni applicetur.

Ad idem,optimè ad maturationem conducit sequens medicamentum.

Recip. Diaquilonis sine gummis un.iij.succi caulium unc.i.s.croci drach.i. cæræ citrinæ quantum sufficit ad incorporandum unguentum satis densum, quod extensum super corium

rium per unum uel duos dies continuos patiens poterit portare, & bene erit.

Ad idem, & est optimum, cùm apparuerint signa maturationis in phlegmone, applicare ei ter vel quater in die permutãdo sequẽs medicamentũ

Recip. farinæ tritici lib.s. olei rosati completi unc.iiij. aquæ fontis claræ unc.iij. croci drach.s. misce, & omnia simul apud ignem benè ducantur, quousq; fiat ueluti unguentum.

Ad idem, & est expertum in maturatione phlegmonis, si ipsi applicetur sequens medicamentum repente suppurabit.

Recip. Tritici bene masticati, & stomacho ieiuno cum saliua bene permixti lib.s. olei rosati cõpleti unc.ij. croci drac. i. misce, & loco patienti cum assidua permutatione applicetur. maturato uerò phlegmone, cuius indicia erunt mollities cum undositate apparens, carentia doloris, febris remissio, & loci tensionis priuatio, tunc temporis debes præparari ad illius disruptionem, quod si patiens ferro uel igne terreretur, disrumpatur phlegmon sequentibus ingeniis.

Recip. Diaquilonis simplicis unc. ii. fermenti unc.i. olei amygdalarum dulcium unc.s. misce, & grosso modo extenda tur supra petiam uel corium, & in medio pone stercoris columbini subtiliter puluerizati drach.i. & phlegmoni hoc applicabis stercore ipso columbino apposito in loco in quo habilior erit phlegmonis disruptio.

Secundum ingenium est, si applicetur phlegmoni maturato sequens ruptorium, eo in loco maximè, quo facilius disrumpetur phlegmon.

Recip. fermenti unc.s. salis communis drach.i. aceti optimi drach.ii. puluerís cantaridarum scrup.iiii. omnia simul bene

ne misceantur, & in mortario bene conducantur quousque fiat pasta, cuius drach.s. uel secundum quantitatem phlegmonis disrumpendi applicabis ipsi apostemati, superposito cæroto prædicto maturatiuo, uel emplastro suprà dicto.

Tertium ingenium est, maximè ualidum in disrumpendo apostemate maturato, si in loco, in quo tẽtabis disruptionem, tres uel quatuor guttas infrascripti liquoris apposueris, eodem quippe cæroto suprapositо.

Recip. Vitrioli romani unc.ii. arsenici unc. ii. sublimati unc.s. succi uitis albæ unc. vi. cantharidarum bene triturarũ drach.ii. omnia simul bene misceantur, & ponantur in alembico, & distilletur liquor, qui erit ad modum olei, de quo duas uel tres guttas cum baculo loco disrumpendo applicabis, disrupto apostemate, & etiam cum ferro debes cautelam obseruare, ne euacuetur totum apostema à sanie ipsa, quia cùm sanies ipsa dicatur esse multum spirituosa ad similitudinem spermatis, uirtus membri, & totius tantum debilitaretur, quòd esset timendum de casu eius. Quapropter euacuato apostemate à parte saniei, statim ipsum à principio disruptionis sic medicaberis.

Recip. Albuminis oui numero.ii. salis drach.ii. boli armeni drach.i. madefiant placellæ stupeæ in dicto liquore, & per diem naturalem loco disruptionis apostematis eas applicabis, ubi uidelicet timeres fluxum multi sanguinis ad locum incisum. Vbi uerò non haberes hunc timorem, sicut in suppuratis apostematibus ferè hoc nunquam est timendum. Ideo talia apostemata sic secundum plurimum medicaberis à principio suæ disruptionis.

Recip. Terebentinæ unc.ii. uitelli oui numero. & optimè ægitentur, quousq; fiat forma unguenti, de quo unguento tentam

tam factam ex petia uel eius filis ad quantitatem foraminis effecti, extendes, & foramini impones. Demum uerò ipsum unguentum extendes supra petiam, & totum apostema teges. Factaq; idonea ligatura non multum quidem stricta, ne prohibeatur euentus spiritus, & caloris ad membrũ, & materiæ residuæ maturatio, sic continuabis per tres dies, quod materia fuerit sufficienter euacuata, & labia uulneris optimè digesta. mũdificato uerò apostemate mutabis intentionem ad maiorem iteratam mundificationem, & absterſionem, & sic appones unguentum sequens, & tentam intinctam in sequenti unguento, foramini apostematis ab extremis ad fundum usq; attingentem, & nõ cum extremis acutis lædentem.

Recip. Terebentinæ unc. ii. mellis unc.i. misce, & usui seruato, semper super ponendo unguentum digestiuum prius factum.

Mundificato uerò phlegmone, quemadmodum poteris uidere ex priuatione generationis sanici, & ex alterius malæ materiæ currentis ex ulcere, tunc curabis cum absterſione, & mundificatione, & cùm tunc indigebit uulnus carnatione, & ulceris consolidatione, ideo cum sequenti unguento procedes.

Recip. Terebentinæ unc.ii. mellis unc.i.s. thuris, masticis, myrrhæ, aloës ana drach.i. sarcocollæ drach.s. puluerizentur puluerizanda, & omnia in mortario beneducantur, & agitentur quousque fiat unguentum, & sic continuabis usq; ad ueram ipsius consolidationem.

Demum uerò, si ex inobedientia ipsius ægrotantis, aut medici ignorantis, sequeretur fraudulentum ulcus, & putridũ, ex ipso iam disrupto phlegmone, illius curam relinquo prudenti chirurgico.

De herisipella. cap. ii.

Ad herisipellam, si fuerit cum tumore, tunc eius cura est sanguinis missio ex basilica. & aduerte quòd si tumor in herisipella fuerit edema, sicuti contingit hydropicis, quorum crura edemate afficiuntur, tunc caue à phlebotomia, quoniam citissimè corpus deduceretur ad hydropen uel ad eius confirmationem, & esset ausa perditionis ipsius ægrotantis.

Si uerò herisipella fuerit absq; tumore, ut sit simplex apostema adhærens pilis, tunc temporis debes cauere phlebotomiam, indicatur enim ex hoc choleram potius peccare, sanguine quidem pauco permixto. Quòd si sanguis non peccans euacuetur, tunc bono euacuato, malum derelinquetur. quo fit ut adaucta materia cholerica ulceretur herisipella, quod maxime cauendum est in cura herisipellæ.

Primo igitur ad herisipellam sine tumore, euacuabis totum corpus sequenti medicina.

Recip. Floris cassiæ nouiter tractæ unc.i. electuarii succi rosarum nicolai drach.ii.s. misce, & dissoluatur cum aqua endiuiæ quantum sufficit, & exhibeatur patienti in diluculo.

Et aduerte quòd apparente herisipella sine tumore non oportet expectare digestionem in materia ante fiendam euacuationem, quoniam materia peccans est cholera subtilis facilè mobilis, & per sui naturam facilè euacuabilis est, digestione non expectata, ut uoluit Galenus, in de quando, & qualiter euacuare oportet.

Facta euacuatione, tunc non intendas ad digestionem materiæ, sed tantùm ad alterationem, qua acuitas humoris remitti debet. Patienti igitur sequentem syrupum dabis.

Recip.

Recip. Syrupi roſati, de ſucco endiuiæ, de ſucco acetoſæ ana unc.s.aquarum plantaginis,acetoſæ,roſarum ana unc. i. miſce. & aduerte quòd tua intentio in heriſipella nõ tantum ſit remittere acuitatem materiæ, quantum eſt cum exhibitione ſtipticantium prohibere curſum choleræ ad patientem particulam,& hæ intentiones complentur per ſyrupũ roſarum,de ſucco acetoſæ, per ſyrupum myrtinum cum prædictis aquis. ob quam rem, conſulo,ut facta euacuatione, cum his quæ extra applicantur,medicemur heriſipellam, his quidem diebus quibus caliditas materiæ remittitur,cum ſyrupis dictis infrigidantibus, & totum regimen conſiſtit in ablatione uini,totaliter priuando corpus,& à carnibus,& ab ouis, & à pluribus aliis,quæ habent ſanguinem,et choleram augmentare, & humorẽ exacuere poſſunt,de quibus eſt uſus maximè coitus,& forte exercitium inflammans,& uſus rei piperatæ,alliorum,cæparum,& ſimilium,& ualet à principio ſequens medicamen.

Recip. Succi plantaginis, ſolatri, ſemperuiuæ ana unc. vi. aquæ roſatæ unc.iij.miſce,& cum petijs infuſis in prædicto liquore heriſipelle medicaberis.

Et aduerte quòd in his ſuccis non debet permiſceri aliquid,quod ſua humiditate emolliat, ſicut eſt ſuccus foliorum maluæ,lactucæ,& huiuſmodi,quoniam ſui emollitione timẽdum eſſet, ne heriſipella ad ſuppurationem uerteretur, quæ eſt uia ad ulcus;quapropter ſemper à principio ſtipticis uti debes.& obſerua cautelam hanc quòd cùm dilutæ petiæ ſuper membrum heriſipellatum incipiant calefieri, ſtatim eas amouere procurabis, ne ab illis reuerberata caliditate ad mẽbrum concreſcat heriſipella.

Caue quoque, ne calore membri attrahente ad ſe petiam illam;

illam, & eam exiccante, petia illa adhæreat ipsi herisipellæ. quoniam in ipsius ablatione posset herisipella ulcerari, quod magnopere timendum est.

Ad idem, valet sequens medicamentum.

Rec. Atramẽti lib.s. per seipsum solum ualet ab eo intincta herisipella, et hoc propter ingredientia eius cõpositionem frigida esse, & stiptica.

Ad idem, valet sequens medicamentum.

Recip. Vnguẽti de cæruſa unc.ij. totum, uel illius pars extendatur supra petiam, & herisipellæ apponatur.

Ad idem, & est efficacius.

Recip. Vnguẽti de cæruſa unc. vi. ſucci plantaginis unc. ij. aquæ roſatæ unc. i. miſce, & eo extenſo ſupra petiam herisipellæ apponatur.

Ad idem, in augmento, & principio ſtatus valet ſequens medicamentum, & est expertum, quo statim curabitur herisipella.

Recip. Lithargirij argẽtei unc. vi. ſucci plantaginis unc. iij. olei roſati unc. ij. aceti optimi unc. i. miſce, et omnia in mortario plumbeo beneducantur, quouſque fiat unguentũ participans de colore plumbi, de quo unguento extẽſo ſupra petiã ad quantitatem ſufficientem, appones ipſi herisipellæ, hæc quidem permutando manè, et ueſperi, & ſecundũ quod oportet ſolicitabis quidem hæc dicta remedia, quouſq; eris certus de augumẽto herisipellæ, & de ſtatu eiuſdem. Cum autem herisipella cœperit declinare, quod cognoſces ex mutatione coloris ad album colorem, uel ad ſubrubeum, tunc temporis ſiſte gradum ab applicatione frigidorum, quoniam illis adducere potes patientem ad alterum duorum inconuenientium, uel ad carnis mortificationem, ubi appareret color ipſius rubeus,

beus, obscurus, & sic esset periculum, ne cum infrigidantibus ipsis, herisipella ad hestiomenum conduceretur. ob quam rem laudo ut derelictis tunc infrigidantibus ipsis apparente altero illorum colorum, manè, & uesperi fomentetur locus cum spongia madefacta in sequenti liquore.

Recip. Floris camomillæ, meliloti, fœnugræci ana M. s. bulliant in sufficienti quãtitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & colatura usui seruetur.

Facta uerò quotidiana hac fomentatione cum petia madefacta in dicto liquore, laudo, ut abluatur locus cum modico uini albi odoriferi calidi: hoc enim est quod prohibet futuram membri mortificationem ex herisipella.

Si uerò color membri cœperit albus apparere, siste (ut dixi) ab infrigidantibus: applicatione enim eorum frigiditas neruis applicata, esset, & foret causa tremoris, uel alicuius spasmi ipsius membri, cùm frigidum inimicum sit neruis.

Si uerò herisipella fuerit ulcerata, uel ex medici imprudentia, uel malo patientis regimine, uel ex malitia materiæ, quæ corrigi non potuit à uirtutibus medicinarum, ei applicabis unguentum sequens, & procul dubio sanabitur ab ulcerata herisipella.

Recip. Lithargirij unc. iij. unguenti populeonis, cæruſæ ablutæ, infrigidantis Galeni ana unc. s. olei rosati completi unc. i. misce, & omnia in mortario bene ducantur, quousque fiat unguentum, quod in opere continuabis usq; ad consolidationem herisipellæ.

Et hæc de herisipella dicta sint.

DE EDEMATE. CAP. III.

CVM edema fiat maximè ex materia pituitosa cum paulo choleræ admixta, credendum est quòd maximè fiat in membris frigidis, & longe distantibus à fonte caloris corporis animalis, ut sunt crura, & pedes, cùm tamen, & in alijs membris propinquis fonti, & radici caloris contingere possit, aut propter natiuam caliditatem membrorum affectorum corruptam esse, aut ad minus uitiatam. quamobrem cùm tibi apparuerit membrum tumidum præter naturam deperdens quem habuit colorem, cedatq; digitis illud prementibus, cum remanentia cauitatis, & uestigij impressionis, proculdubio dices membrũ tale edema pati. quo fit, ut edematis causam dignoscere ualeas ipsam esse pituitosam materiam, quam & principalium caliditas infrigidata, & particulariũ membrorum uirtus concoctiua defecata progignunt, ob quam rẽ cùm omnis curatio suo medicetur contrario, commune præceptum obseruabis, curationem scilicet edematis consistere in applicatione calefacientium, & exiccantium.

In initio igitur curæ ipsius edematis materiam ipsam digerere debes cum his, quæ ne dum opponuntur temperaturæ materiæ pituitosæ, uerum etiam & membra ipsa confortantia, & innatam caliditatem augumentantia. detur igitur infrascriptus syrupus per nouem dies continuos.

Recip. oxymellis simplicis unc. i. syrupi de duabus radicibus, mellis rosati colati ana unc. s. aquarum saluiæ, betonicæ, buglossæ ana unc. ii. misce. demum quibusdam apparentibus signis concoctionis, non quidem completè, quoniam hoc fieri non potest, propter materiam hanc rebellem esse concoctioni, et propter uiciatam caliditatem concoquentem principalium

cipalium membrorum, purgabis cum sequenti medicina.

Rec. Diacatholiconis unc.s. agarici optimi, & electi dra. i.s. electuarij indi maioris scru.iiij. electuarij de succo rosarũ dra.i. & recordare, quòd cum qualibet medicina euacuatiua phlegmatis permiscere debes aliquod euacuatiuum choleræ. cùm de se phlegma non moueatur ad membra, nisi eo subtiliato, et pro moto à flaua bile. Infundatur agaricus cum modico zinziberis, & salis gemmæ in oxymellite quantũ sufficit per x. horas deinde facta fòrti expressione, omnia simul dissoluantur in aqua decoctionis hyssopi, saluiæ, betonicæ, & quatuor florum cordialium quantum sufficit, & fiat potus, qui exhibeatur patienti per duas horas ante lucem. Si uerò edema fuerit uitio corruptæ caliditatis hepatis non bene sanguificãtis, sicut in hydrope accidit, ut crura, & alia membra corporis tumida, & edemata facta sint, purgabis corpora post syrupos sequenti medicina.

Recip. Diacatholiconis unc.s. reubarbari optimi, & electi drach.ij. spicæ gran.x. agarici præparati scru.ij. electuarij de dactylis drach.s. infundatur reubarbarum cum spica secundum artem per x. horas, & facta fòrti expressione omnia simul dissoluantur cum communi decoctione florum, & fructuum quantum sufficit, & fiat potus qui pãtienti exhibeatur modo dicto. Et aduerte quòd omnes medicinæ, quæ à nobis in capite de hydrope fuerũt dictæ, eædem conferunt in edematica passione hydropi coniuncta. Facta hac prima purgatione in materia cum dicta euacuatione, laudo, ut iterato digeratur materia, & euacuetur, quoniam diuturnæ ægritudines maximè pendentes à pituita, paulatina indigent digestione, paulatinaq;, & successiua euacuatione. replicabis igitur syrupum sequentem per nouem dies continuos.

Recip. Syrupi de iua Nicolai, quòd si ei iungatur timor de hydrope, dabis syrupum de cicorea cum reubarbaro nicolai, mellis rosati colati ana unc.s. aquarum hyssopi, iuæ, capillorum ueneris ana unc.i. misce. Apparente concoctione, & si non completa in materia, dabis patienti per duas horas ante lucem sequentem medicinam.

Recip. Diacatholiconis unc. s. pulueris hieræ simplicis Galeni drach.s. pulueris turbith boni, & gummosi scrup.iij. pulueris reubarbari scrup.ij. spicæ, zinziberis, salis gemmæ ana gran.iij. omnia simul misceantur, et cum decoctione communi florum, & fructuum quantum sufficit, dissoluantur, & fiat potus.

Et aduerte, quòd post purgationem materiæ procurabis unà simul procedere cum remedijs per intus exhibitis, & per extra applicatis, ut his & illis materia edematis corrigatur, & membra innatæ caliditatis uigentia reddantur. laudo igitur ut quolibet mane per duas horas ante cibum detur patienti bolus infrascriptæ mixturæ.

Recip. Diagalangæ unc.i. triasandalini drach.s. diatrion pipereon drach.ij. diarhodonis abbatis unc.i.s. misce, cum syrupo de duabus radicibus fiat mixtura: eisdem quoq; diebus mane et uesperi diluantur membra edemata cum sequenti decoctione, uel cum spongia madefacta in prædicta decoctione locus fomentetur.

Recip. Saluiæ, roris marini, florum sticados montani, maioranæ, florum camomillæ, iuæ ana M.s. salis nitri, salis gẽmæ, alluminis ana drach.ij. bulliant in sufficienti quantitate aquæ cineris, siue lixiuij, usq; ad consumptionem tertiæ partis, deinde colentur, & colatura usui seruetur. Vbi uerò crura essent edemata, eorum fiat lotio cum prædicta decoctione,

ctione, uel sequenti.

Recip. *Aquæ cineris lib.xx. florum camomillæ, radicum ebuli, ana M.i. salis communis lib.s. aceti albi optimi unc.iiij. misce, & bulliant usque ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & colatura usui seruetur.*

Ad idem valet sequens lotio, & est multum experta in terris maritimis.

Recip. *Aquæ maris lib. xx. aceti optimi lib.ij. bulliant insimul usque ad consumptionem quartæ partis, deinde ipsa dicto usui seruetur.*

Ad idem, scias quòd cõferunt omnes aquæ termarum calidæ, sapientes naturam uel salis, alluminis, nitri, & salis gemmæ. quòd si patiens assiduum usum frequentet in dictis balneis, proculdubio ab edemate, & præcipuè in cruribus existente, sanabitur. Quòd si prædictis non sanabuntnr membra edemata, laudo, ut his ingenijs sequentibus patiẽs gubernetur.

Primum est, cauterizare membra huiusmodi cum actuali cauterio pluribus in locis, ipso enim nedum extrahetur æquositas pituitosa talem progignẽs affectionem, uerumetiam membra exonerata confortabuntur, ut inde nutrimentum melius concoquere ualeant, & superfluum secernere.

Secundum ingenium est, ut membrum tale taliter affectũ siccetur cum applicatione sequentis emplastri, positi supra corium ad quantitatem conuenientẽ, & positum supra edematam partem membri affecti.

Recip. *Fermenti unc. vi. cantaridarum subtiliter pulueri zatarum drach.i. salis communis drach.iij. aceti fortissimi quantum sufficit ad incorporandum uelut unguentum quod-*

dam,quod extensum supra corium modo dicto mẽbro applicetur,ipsumq; non amouebis à membro per spatium decẽ horarum,quo eleuato apparebunt tibi uesicæ aqua plenæ, supra quas appones fõlium caulis perunctum butyro recenti, & sic mane, & uesperi fõlium mutabis, & uidebis copiam aquositatis facilè exire à membro edemato. quòd si membrũ tale ad ulcerationem conducetur, nimio quidem calore adurente apparente in membro, mox eleuato fõlio caulis apponere debes sequens unguentum.

Recip. Vnguenti de cæruſa unc.i.s.litargirij unc.ij. succi plantaginis unc.i.olei roſati unc.s. omnia ſimul miſceantur, & in mortario ducantur, quouſq; fiat unguentum,quod uſui ſeruetur. eo quippe unguento ulcera corrigentur,& aquoſitas pituitoſa extrahetur,& edema ſanabitur. Quòd ſi hæc non contulerint, hoc remedium ſequens debes edemati applicare.

Recip. Saluiæ ſiccæ, roris marini, betonicæ ana unc. s. cardui, dauci, aniſorum, fœniculi ana drach. ij. puluerizentur omnia ſubtiliſſimè, & prædictus puluis ſuperaſpergatur ſpongiæ ſiccæ ad quantitatẽ mẽbri edemati, eamq; illi superalligabis,& ſic mane & uesperi continuando,uidebis diſſolutum edema. & hæc de edemate.

DE SCABIE. CAP. IIII.

CVM ſcabies ſecundum plurimum fiat ab humore per uiam aduſtionis ſanguinis, uel choleræ,uel melancholiæ, uel per uiam ſalſi phlegmatis deſuper redundantis ad totum corpus, laudo ut apparente pruritu & rubedine in membris totius corporis ſcabie afflictis, quòd fiat phlebotomia ſecundum diuerſos ſitus per reſponſum ad materiam peccantem,

tem, ut si fuerit ex sanguinis adustione, cuius indiciũ erit pruritus, & rubedo membrorum, ut diximus, tunc fiat phlebotomia ex basilica dextri lateris, & extrahatur sanguis in pondere unciarum vi. consentiente robore & ætate. Si uerò scabies ex adustione choleræ fuerit, cuius indicium est temperatura ægri cholerica uehemens, & acutus pruritus, & citrinitas tum loci scabiosi, tum etiam exeuntis à pustulis scabiosis: tunc remittatur ebullitio in cholera, & phlebotometur eadem basilica brachij eiusdem, cum sanguinis extractione pondere unciarũ vi. Quòd si phlegma salsum scabiei causa fuerit, cuius indicium est uiolentus & intolerabilis pruritus sine apparentia rubedinis uel citrinitatis, in prædictis fiat phlebotomia satis minuta ex eadem basilica usq; ad tres uncias sanguinis ad plus in pondere. Quòd si ab adustione melãcholiæ scabies trahat originem, cuius indicium est carentia fortis pruritus, & liuiditatis apparentia in colore membri scabiosi & pustulati, cum exitu sorditiei liuidæ uergentis in nigrum: tunc temporis phlebotomabis saluatellam sinistræ manus cũ extractione sanguinis pondere unciarum vi. Quòd si patiens consuetus sit pati hæmorrhoidarum fluxum, earũ fiat apertio cum sanguisugis applicatis hæmorrhoidibus, & extrahe sanguinis uncias iiij. Et attende, quòd non est credendum illis, qui dicunt quòd in scabie apparente non debet fieri phlebotomia, ne natura tentans exonerare se, impediatur à suo opere, quoniam cum in scabie materia plurima uitiata sit ad intra uenas, non est timẽdum fieri phlebotomiam, & si etiam tractus sanguinis ad extra uenas fiat, ex eo quòd in multitudine peccantis materiæ existentis ad intra uenas, & euacuatæ per phlebotomiam iuuamẽtum maius adfuerit, quàm nocumentum, quòd posset contingere ex aliquali ad-

huc per phlebotomiam retractione materiæ ab extra uenas ad intus, fiet enim ex ipsa phlebotomia natura uigentior supra residuum materiæ remanentis, ad naturam regulandam ab intus ad extra uenas. Et caue ne ante totius corporis euacuationem ætate adhuc tolerante inungas scabiem, quoniã plerunq; facta inunctione corporis porositates obserantur, quo fit, ut materiæ malæ intus peccantes, prohibita expiratione earum, magis putrefiant, & febres inducant, sicut ferè in omnibus contingit præmittentibus unctiones euacuationi. Facta igitur ante dicta phlebotomia, laudo, ut peccans materia digeratur cum sequenti syrupo, ualet enim in omni materia adusta faciente scabiem.

Recip. Syrupi de fumoterræ, de lupulis, de endiuia, mellis rosati colati ana unc.s. aquarum scabiosæ, fumiterræ, cicoreæ ana unc.i. misce, & laudo, ut eo tempore quo digeritur materia, quotidie in mane per quatuor horas ante cib ũ, ad prouocandum magis scabiem ad cutim, patiens utatur sequenti balneo.

Recip. fŏliorum maluæ cum radicibus, uiolariæ cum radicibus ana M. ij. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem tertiæ partis, deinde colentur, & cum colatura diluat se patiens in omnibus membris scabiosis. Apparentibus uerò pòst signis digestionis in materia, purgetur patiens cum sequentibus pilulis, si pilulæ sibi sint magis familiares, uel cum sequenti medicina in forma boli, uel in forma potionis ad libitum patientis.

Recip pilularum de fumoterræ scrup.ij. aurearum nicolai, fœtidarum, ana scrup.s. misce, & fiant pilulæ numero v. Vel sic.

Recip. diacatholiconis unc.i. confectionis amech drach.s.

electuarij

electuarij succi rosarum scrup.iiii. misce, & fiat bolus cum saccharo, uel fiat potus cum decoctione communi florum et fructuum quantum sufficit, cum qua bulliant folliculorum sennæ, polypodii quercini, summitatum fumiterræ ana drach. ii. et detur patienti duabus horis ante lucem. Et aduerte quòd cùm hæc sit euacuatio eradicatiua, ante phlebotomiã, uel ante syruporũ assumptionem, recordari debes de lenitione præcedente cum Cassia fistula, uel cum diaprunis non solutiui, uel cum tamarindis, uel cũ trociscis de uiolis sine scamonea, quæ omnia multum leniunt euacuando humores adustos, his euacuationibus tum phlebotomia, tum pharmatia factis, poteris audacter transire ad unctiones in scabie conuenientes.

Ad scabiem puerorum, in quibus nulla adhuc præcessit euacuatio propter ætatem non consentientem, plurimum valet sequens vnguentum sine aliquo timore.

Recip. Olei rosati unc.iiii. salis communis drach.i.s. butyri recentis loti unc.i. omnia simul bene misceantur, & in mortario bene ducantur, donec fiat unguentum molle.

Ad idem, & valet in pueris, & in sequentibus ætatibus, & ante euacuationem, & post euacuationem, & est expertum bene, si quotidie ante ingressum lecti prope ignem subtilissimè membra scabiosa, uel totum corpus inungatur sequenti unguento.

Recip. Terebentinæ lotæ in aqua rosata unc.iiii. succi limonis unc.i.s. Butyri recentis unc.i. uitelli oui numero.i. salis communis drach.ii. olei rosati unc.ii. misce, & diu omnia agitentur in mortario, donec fiat unguentum pro scabie.

Ad idem, valet sequens unguentũ non nisi præ-

cedente digestione,& totius corporis euacuatione, & vbi scabies esset plurimum crassa.

Recip. *Succi lapatij acuti, & succi fumiterræ, & succi plantaginis ana unc.i.litargirij argentei unc.iiij. Terebentinæ lotæ cum aqua rosata unc.ij. Cæruſæ ablutæ, butyri recẽtis loti ana unc.i.s. succi limonis unc. ij. uitelli oui numero ij. salis communis unc.i.olei rosati unc.i.s. misce, & omnia simul in mortario plumbeo bene ducantur,uel agitẽtur, donec fiat unguentum.*

Ad idem,& est aqua mirabilis, cum qua patiens debet scabiem inungere,facta forti, & subtili dilutione.

Recip. *Aquæ distillationis lapatij acuti lib.ij. succi plantaginis unc.iiij.aquæ rosatæ unc.iij.succi limonis unc.ij.litargirij unc.vi.cæruſæ unc.s. sublimati unc. i.s. salis communis unc.s.sulphuris uiui drach.iij. puluerizentur puluerizanda subtiliſſimè,& cum aquis misceantur,& in infusione maneãt per diem naturalem. Demum ponantur omnia in alembico, & lento igne aqua distilletur. Et scias quòd prædicta aqua non solùm confert scabiei, sed etiam ad delendũ crustas morbi gallici: etenim non solùm tolluntur crustæ morbi gallici, sed etiam earum uestigia delentur. Et scias quòd quemadmodum præcedens aqua multum confert ad scabiem sanandam, ita plurimum conferunt aquæ termarum sulphureæ, ueluti de Poreta, de Abano, de Petriolo, & huiusmodi: euacuato enim corpore,& à superfluis bene mundato, si in prædictis balneis patiens balneetur,uidebis super hoc iuuamentũ præstans. Et unum tibi dico, sicut experientia compertum est, si adhuc uehementi, & sæua scabie totum corpus occupante quis molestaretur, si peteret Pisanas termas de aquis, quæ balnea*

balnea in comitatu Pisarum sic dicta sunt, certè uidebis miraculum, cùm non tantum à qualitate manifesta, quantũ à proprietate sua possunt huic conferre.

Ad idem.

Consulo, ut eo tempore quo patiens scabiem inunctionem fecerit, semper de mane apparente luce, consulo, uel laudo, ut utatur sequenti balneo calido in toto illius corpore, mox exiens è balneo ingrediatur lectum calidũ, dormiat, & sudet.

Recip. Foliorum lapatij acuti, fõliorum fumi terræ, fõliorum maluæ cum radicibus, fõliorum borraginis ana M.iij. furfuris ligati in petia M.ij. siliginis M.iij. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem tertiæ partis, deinde colẽtur, et colatura usui seruetur. Et hæc de scabie.

DE MORPHEA. CAP. V.

Ad morpheam, & alias cutis defœdationes originem habentes ab humore melancholico, consulo, ut purgetur materia peccans cum sequenti medicina.

Recip. Diasenæ lenitiui unc.i. Cassiæ nouiter tractæ unc. s. misce, & fiat potus cum aqua decoctionis polypodij querci ni, epithimi, thimi, et aliorum fructum, & florum omniũ communium, & demum digeratur materia, nulla facta phlebotomia in tali curatione, quoniam augeret causam Morphææ cũ sequenti syrupo.

Recip. Syrupi de fumo terræ de epithymo, de thymo, de endiuia ana unc. s. Aquarum borraginis, melissæ, fumi terræ, ana unc.i. misce. Continuato isto syrupo per septem dies continuos, purgetur materia sequenti purgatorio duabus horis ante lucem.

Recip. Diasenæ lenitiui drach. vi. confectionis amech drach.

drach.ij. electuarij ſucci roſarum drach.i.miſce, & fiat potus cum prædicta decoctione.

Facta purgatione, laudo quòd ungantur omnes corporis partes morphea affectæ cum ſequẽti oleo calido ueſperi cùm ibit dormitum.

Recip. Olei de tartaro, uini albi potentis unc.iij.

Ad idem valet ſequens unguentum.

Recip. Olei de Tartaro unc.ij.olei amygdalarum amararum unc.i.ſucci lapatij acuti unc.i.s. cæræ quantum ſufficit, & fiat unguentum, quo inungatur morphea modo dicto.

Et aduerte quòd cum ueſperi fiet dicta unctio, de mane cõtinuè diluatur locus affectus morphea cum ſequenti aqua.

Recip. Aquæ diſtillationis lapatij acuti lib. iij. interiorũ mellonum cum ſeminibus lib.ij. ouorum hirundinum numero decem, ſalis nitri unc.s. Tartari uini albi optimi unc.ij. omnia ſimul miſceantnr puluerizatis puluerizandis,& ponantur in alembico, & diſtilletur aqua, & uſui ſeruetur.

DE COXIS, ET PVSTVLIS APPARENTIBUS in facie. CAP. VI.

CVRATIO puſtularum apparentium in facie, quas communi nomine coxos appellant, regulatur dieta, & ab initio ſic ordinanda eſt.

Primo iniungatur patientibus dieta non multiplicatiua ſanguinis cholerici, uel phlegmatis ſalſi,cum ſecundum plurimum eorum materia immediata ſit ſanguinis acuti,uel choleræ multitudo, uel ipſius ſalſi phlegmatis. Caueat igitur ab omnibus cibarijs calidis, quemadmodum ſunt carnes, & cuiuſcunque condimenti commixtæ,multus uſus ouorum quantuncunq; recentium, omneſq; res ſalſæ,& ex ſalſis omnia facta

cta cõdimenta talis affectiones progignũt. ita et omnia piperata.i.condmenta facta ex pipere, quibus associatur zinziber, cinnamomum, garyophyli, macis, & huiusmodi. caueat quoq; patiens à coitu, tanquam à re admodum obnoxia, cum ex coitu immoderato humores exacuantur, & fiant tunc materiæ præparatæ ad generationis talis affectionis. principiũ igitur euacuationis erit capere infrascriptũ bolum per duas horas ante prandium.

Recip. Floris cassiæ nouiter tractæ unc.i.carnium tamarindorum unc.s.misce, & fiat bolus cum saccharo. sequenti uerò die consulo, sanguinis missionem ex hepatica cubiti dextri cum extractione sanguinis quinque unciarum. sequenti uerò die pro alteratione temperaturæ calidæ hepatis capiat patiens in diluculo sequentem syrupum.

Recip. Syrupi de succo acetosæ, de succo endiuiæ, ana drach.vi. de fumo terræ unc.s. aquarum seminum communiũ frigidorum, lupulorum, fumi terræ, ana unc.i. misce. captis tribus de prædictis syrupis, laudo quòd iterato patiens phlebotomet saluatellam sinistræ manus cum extractione sanguinis pondere unciarum iiij. cõtinuet uerò patiens syrupos usque quo septimum ceperit syrupum. octauo uero die apparẽte signo concoctionis in materia purgetur sequenti purgatorio.

Recip. Seminis acetosæ, plantaginis, endiuiæ ana drach. ij. quatuor florum cordialium ana M. s. tamarindorum unc. s. Iuiubarum, sebesten, ana numero decem, Carnium prunorum damascenorum, passularum enucleatarũ ana unc.s. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem midietatis. Deinde cum colatura dissolue floris cassiæ nouiter tractæ drach. vi. electuarij succi rosarum drach.i. Confectionis

fectionis amech, diaprunis solutiui, ana scrup. ij. & fiat potus. quiescat tamen patiens post purgationem per duos, uel per tres dies.

Demum post meridiem faciat uenarum hæmorrhoidarum apertionem, cum extractione sanguinis pondere unciarũ iiij. præcedente tamen clysterio lenitiuo.

Peractis uerò his euacuationibus, tum cũ pharmacijs, tũ cum phlebotomijs uesperi cum patiens ibit dormitum, uolo, quòd inungantur ei loca affecta ab illis pustulis cum sequenti unguento abluat mane uerò totam sibi faciem, cum infrascripta aqua. Vnguentum tale est.

Recip. Nucleorum persicorum torrefactorum, & subtiliter puluerizatorum unc. i. succi plantaginis, semper uiuæ ana unc. s. ceruſæ ablutæ drach. i. s. cum cæra quantum sufficit fiat unguentum molle.

Ad idem, & est vnguentum expertum, & admodum valet vesperi inuncta facie.

Recip. Succi citri unc. ij. ceruſæ unc. s. sarcacollæ drac. ii. salis communis drach. i. olei rosati unc. s. lithargiri argentei drach. vi. omnia simul in mortario bene ducantur. demũ superaddendo modicum aquæ rosatæ pone in pomo citri, bulliant duabus ebullitionibus continuè cum baculo bene ducendo.

De mane uerò abluatur facies cum aqua dicenda.

Recip. Aquæ rosatæ lib. s. aquæ distillationis lapatii acuti, lib. ii. Coraliorum rubeorum, margaritarum ana drach. ii. camphoræ drach. i. puluerizentur puluerizanda & omnia simul bulliant unica ebullitione; deinde colentur, & colatura usui seruetur.

Ad idem, & est expertum, & secretum, si patiẽs

ter

ter vel quater in die abluat sibi faciem cum infrascripta aqua, quæ hæc est.

Recip. Camphoræ drach.ij. ceruſæ ablutæ unc.i. cicerum rubeorum lib.s. interiorum mellonum lib.i. ouorum hirundinum numero decem, margaritarum drach.ij. ſeminum bombacis drach. iij. ſalis communis drach. ij. ſucci limonis unc. iiij. tartari uini albi unc.s. puluerizentur pluuerizanda, & contundantur contundenda, & infundantur omnia inſimul in lib. x. aquæ diſtillationis lapatij acuti per duos dies naturales.

Demum omnia inſimul ponantur in alembico, & diſtilletur aqua, qua utatur patiens modo dicto, & proculdubio ſanabitur ab huiuſmodi affectione.

FINIS.

BENEDICTI VICTORII FAVENTINI DOCTRINALIS EMPIRICA DE FEBRIBVS.

DE QVIDDITATE, ET MODIS FEBRIS IN GENERALI, Caput primum.



EBRIS A FERVORE DICTA est, quia nostra corpora feruendo febriunt, & per febrem in ebullitione ponuntur, ob quod Galenus dixit in prima particula aphorismorum cõmento 16. Febris est calor naturalis mutatus in igneum. Et quoniam non potest in igneum mutari, nisi corpus ex toto afficiatur; ideo dicimus febrem esse affectum & caloris naturalis, & totius corporis humani, ob quod Princeps in prima quarti dixit, febrem esse totius corporis qualitatem afficientem cor, ideo & morbum communem consuevimus eam appellare.

PRIMO, quia eius nocumẽtũ cõmunicatur toti corpori

SECVNDO, quia communicatur calori naturali per totum corpus expanso. quod non contingit alijs morbis afficientibus corpora nostra. Quæ febris curanda à nobis habet tria genera principalia, ut in primo de febribus ad Glauconem Galenus scripsit: & secundum numerum trium partium existentium in corporibus humanis tria sunt ipsius febris genera. Sunt enim membra, humores, & spiritus, necessaria ad esse humani corporis. Quoniam ut scribitur à

Principe

Principe prima fen. primi canonis. Ab eis naturalitas corporis humani primitus resultat. Quòd si feruor hic primo uel successiuè sit in his membris, nocumentum manifestũ causans in actionibus naturæ ipsorum.

Vnum genus febris habemus: quod genus dicitur Ethica, quasi habitualis facta, & affixa. Si uerò idem feruor in humoribus tanquam in subiecto primo consistat impediens actiones consuetas naturæ, ipsius humoris, uel totius corporis, humoralem febrem nuncupabimus. Et est alterum genus febris. Quòd si calor ebulliens in spiritibus fuerit ipsos impediens in actionibus naturæ: uel actiones naturæ impediens per ipsos calefactos spiritus, erit tertium genus febris, quam Ephemeram dicimus, unius dici duraturam tantum, ab Ephemero animali dicta: de cuius uita meminit Aristoteles in vi. de animalibus. Scias tamen quòd febris sumit diuersitatem generum solum diuisione rerum corporalium existentiũ in corpore humano. Cum & alia plura ibi sunt, à quibus non possunt genera febrium distingui, ut accidentia, & uirtutes, & complexiones. Ab harum enim diuersitate utpote in corpore, febres non distinguuntur. Quare dicam febrem esse corporis affectionem: siue membra, siue humores, siue spiritus affecti fuerint. Quoniam autem febris Ephemera breuis terminationis est, & à toto genere salubris, ideo in præsenti modicam habebimus solicitudinem de ea. Remittẽs me ad ea, quæ à Principe scripta sunt in quarto Canone. & à Galeno in primo artis curatiuæ ad Glauconem. Et quoniam aliorum duorum generum scilicet putridæ & ethicæ. i. habitualis. Febris putrida sæpius occurrit humanis corporibus. Ideo noster processus erit circa curam febrium putridarum. Quarum quædam sunt acuti

morbi;

morbi; quædam uerò non acuti, sed crocini, iuxta sermonem Galeni in secunda particula aphorismorum commento 19. Ideo noster processus erit à Curatione febrium putridarum acutarum, demum ad curationem reliquarum ueniemus. Et quoniam febrium putridarum quædam sunt continuæ. Quædam interpollatæ. Primo de cura febrium putridarum cõtinuarum sermonem tractabimus compendiosè. Deinde de alijs.

DE QVIDDITATE FEBRIS PVTRIdæ continuæ,& acutæ in generali.

CAPVT II.

VOLENTES acutam continuam febrem cognoscere, dicamus cum Galeno in secunda particula aphorismorum commento 19. Quòd febris acuta continua est, quæ cum uelocitate sui finis est magna, etenim ob materiam eius factam esse subtilem, & mobilem cum uelocitate finem suum attingit. qui est uel salus, uel mors. Et quoniam ex uelo ci motu materiæ subtilis hinc inde male afficiuntur membra nostri corporis,& eorum uirtutes. Ideo in ipsis sæua fiunt accidentia, ideo dixit quòd est magna iuxta etiam tenorem uerborum Galeni in prima particula pronosticorum dicentis. Magnitudinem morbi debere metiri iuxta sæuitatem accidentium. Vel dicitur febris continua acuta: quia cum uelocitate sui motus, in ea est timor, ut ait Galenus in loco præallegato, propter enim uelocem motum materiæ currentis de membro ad membrum, & idem in aphorismo præallegato acutorum morborum &c. Ait, uirtutes corporum in tantum molestantur,ut terrentur, ut etiam ipse patiens, & medicus, & assidentes ipsi de futura timeant morte. & ideo dixit

dixit in ea est timor. Et propter hoc habetis duo.

Primum quòd medicus omni solicitudine, & prudẽtia debet se præparare ad curationẽ febrium acutarum continuarũ.

Secundo, modum pronosticationis in generali in febribus acutis. Semper scilicet timorem in ipsis pronosticari.

DE CAVSIS CONTINVAE ACVTAE febris in generali. CAP. III.

ET FEBRIS continuæ acutæ in generali adsunt causæ: quas Medicus debet cognoscere antequàm ad curam accedat, ut est dictum Galeni, in primo regiminum acutorum, commento tertio, ostendentis. Neminem debere febrem curare, nisi nouerit causam. Item, primo de febribus ad Glauconem dicit Galenus. Quòd oportet Medicum ægritudines, & causas, & tempora earum cognoscere. Sic igitur huius febris tria erunt genera causarum, iuxta modum determinationis Galeni in tertio tegni, & in libro de causis pulsuum: causæ scilicet antecedentes; coniunctæ, et primitiuæ.

Quæ ad nostrum modum loquendi consuetum secundum Galenum, ad duo possunt reduci, scilicet ad genus causarum intrinsecarum & extrinsecarum. Causæ igitur coniunctæ huius febris continuæ in genere, est ipsa putredo, quæ licet multotiens non iungatur cordi per se, per putridam tamen effumationem ad cor ipsum attingit, ut dicam putredinẽ cum effumatione putrida esse causam coniunctam febris. Quapropter cum intentio Curatiua ex tertio tegni sit causam remouere ægritudinis, rectè considerabis hanc febrem nõ posse amoueri, nisi amota putredine unà cum putrida effumatione ad cor. Cuius causæ coniunctæ aliæ etiam sunt non multum distantes ab ea, quas uulgus medicorum appellat etiam

causas coniunctas: ut est prohibita transpiratio, & euentatio humoris qui in nostro corpore non potest euentari, qui afficitur calore extraneo, & ita putrefit, iuxta illud Aristotelis quarto meteororum: Putredinem esse corruptionem innati caloris ab aliena caliditate in unoquoq; humido. Huius autem prohibitæ transpirationis causa est, humorũ coartatio in uenis. Nam cùm ipsi coartantur & ingrossantur ibi, prohibetur eorum euentatio. Cuius coartationis humorum causa est oppilatio. Quapropter si omnes has rerum causas coniunctas uelimus dicere, immediatiorem tamen causam cæteris, dicemus esse putredinem ipsam cum effumatione putrida ad cor. Quare ipsius Medici intentio curatiua in ipsa erit, solicitare remotionẽ oppilationis, coartationis humorum, prohibitæ transpirationis, & putredinis cum sua effumatione putrida. causæ uerò antecedentes continuæ febris acutæ, erit multitudo humorum existentium ad intra uenas grossorum & uiscosorum, qui dicũtur esse causæ obstructionis meatuum corporum, & inde prohibitæ transpirationis, & ita putredinis, & post putridæ effumationis, & ipsius febris. Quare medicus in actu practico solers in præseruando ab hac febre, debet suis temporibus solicitare æquationem grossorum, & uiscosorum humorum (qui utique dicuntur esse obstructionis meatuum corporis) & eorum à corpore euacuationem.

Secunda causa antecedens, potest esse siccitas quædam magna reperta in uenis corporis humani, ut contingit in inflãmatiua æstate, propter quod natura cogitur ad uenas trahere multitudinem humorum, & præcipuè calidorum; quia habiliores sunt ad motum, à quorum caliditate uelut ab extraneo, humores in uenis super calefacti putrefiunt, et febres faciunt.

faciunt. Causa uerò primitiua, est causa extrinsecus operans, quæ primitiua dicitur, quia primum mouet antecedentes causas scilicet & coniunctas. Coniunctæ autẽ & antecedentes eam mouere non possunt, sicut est aëris intensa caliditas, à qua non solùm spiritus inflammantur, sed & humores. Et sic à calido extraneo putrefacti humores febres causant: ut plerunq; contingit in æstate ualde calida.

Secũda causa primitiua, potest esse mala qualitas impressa aëri, ut in locis pestiferis, in quibus aër mala illa, & pestifera qualitate affectus, ingrediens corpora, humores nostri corporis afficit, & sic putredinem quandam causat, quam pestilentiam dicimus, de qua infra sermonem habebimus.

Tertia causa primitiua, potest esse uehemens frigiditas aëris, à qua serrantur porositates corporis, ut inde fumi mali exhalare non queant. Et quasi per Antiperistasim super calefacit eos humores. Et tanquam à calido extraneo putrefiunt, & febres putridas acutas causant. ut plerunque contingit euentus febrium continuarum in tempore hyemis.

Aliæ autem primitiuæ possunt esse causæ à cibo, & potu secundum diuersitatem qualitatum illis aduenientium, à quibus possunt humores in corpore putrefieri, & febres causari. Et hæc pro causis generalibus prædictæ febris.

DE SIGNIS CONTINVARVM, ET acutarum febrium in generali.

CAP. IIII.

Signa, quibus febrem continuam acutam dignoscemus, generaliter sunt. Capitis dolor, materia enim febris cùm sit in cõtinua ebullitione à superflua putrido calore mali effumant uapores, quia attigentes pelliculas cerebri mali-

tiam complexionis causant in eis, & extendendo solutam cõtinuitatem: propter quod capitis dolorem efficiunt.

Secundo, capitis calor, & totius corporis, quoniam cum materia faciens hãc febrem dicatur esse in ambitu totius corporis, tunc caliditate totum corpus afficit. Et quia fumi eleuati leues, caput attingunt, ideò caput, & totum corpus calet, hoc autem non contingit in aliis febribus non acutis.

Tertio, febris intensio, quoniam cognoscitur per continuum augmentum caloris in toto, quia materia eius est subtilis, & de facili inflammabilis. Ideo propter hoc intenditur in caliditate cordi communicata, propter quod febris continuò augetur.

Quarto, caliditatis penetratio ad interiora manus tangentis cum caliditate mordaci. cuius causa est materia febris subtilis, & facilè penetrabilis, uehementi caliditate fundata potius in sicca materia. Ideo caliditas manum tangentis facilè penetrabit. Cuius oppositum contingit in febre Ethica. Cum enim calidum sit in humido membrorũ, potius ad lenitatem quandam, & anodinam caliditatem declinat.

Quinto, uigiliarum instantia, cùm enim uapores à minera putredinis eleuati ad cerebrum, calidi & sicci, sint natura ignei, apti sunt sua caliditate resoluere cerebri humiditates, & uigilias inducere. fit enim somnus naturaliter humido ac frigido.

Sexto, angustia totius corporis, & inquietudo. Materia enim febris continuæ subtilis est, & mobilis, & hinc inde ad omnes corporis particulas mouetur. ut hanc pungendo, alteram agitando, non relinquit membra in uno situ quiescere, nec totum corpus.

Septimo, sitis intollerantia, & uehementia. Cùm enim

à minera

à minera putredinis facientis hanc febrem cõtinuam acutam, eleuentur uapores calidi, & ſicci, ad ſuperiores partes: ut ad orificium ſtomachi, ad meri, ad linguam, & ad palatum, efficiunt caliditatem, & ſiccitatem in membris illis.

Octauo, aridit as, & ardor linguæ, & palati, propter eandem dictam cauſam.

Nono, pulſus uelocitas. Cùm enim febris ſit calor extraneus in corde accenſus, quantò febris maioris fuerit acuitatis, tantò intẽſiore calore extraneo cor afficietur. Quare etiam cor tunc maiori euentatione indigebit, propter quã pulſus uelocitatur: et quia motus anhelitus ſequitur motum pulſus; ideo uelocitatur anhelitus, & uelocior redditur.

Decimo, urina rubea, tincta aliquando multa citrinitate quia rubedo & citrinitas caloris affectus ſunt, & quantò eſt gradus rubedinis, uel citrinitatis maior, tantò ab illo dijudicabis maiorem calorem. & ſic à minera febris contingit ſignum inſeparabile rubedo urinæ, ſimiliter tinctura citrina.

Nec mireris ſi in primis diebus non appareat rubea, uel citrina: quia materia peccans non bene permixta adhuc ſanguini eſt. Et hoc modo niſi in primis duobus, uel tribus diebus, urina ſic apparuerit, non debetur phlebotomia in febre continua in primo die, uel ſecundo: quia materia non bene adhuc ſanguini permixta eſt. Quòd ſi talis permixtio prima die apparet, fiat phlebotomia eadem die. Verùm cùm permixtionis ſigna nõ niſi in ſecunda uel tertia die apparent, conſulo, ut eodem quoque tempore phlebotomia fiat.

Vndecimo, præter hæc, quæ dicuntur à Galeno in primo ad Glauconem, eſt etiam apud eum carentia horripilationis, uel rigoris, uel typi. Dixit enim in ſecundo de differentijs febrium: Proprium eſt ipſarum continuarum non horrere.

huius dicti causa est: quia rigor, typus, seu horripilatio, contingunt ex materia faciente febrem, sparsa ad lacertos, & corporis musculos. Considerate tamen, quòd in acuta continua potest esse rigor: ut in casu, quo multa esset materia ad intra uenas cũ uirtute expulsiua forti: ut eius pars expellatur ab intra uenis ad extra ad musculos faciens rigorem: permanens autem materia in uenis putrida multa, continuam faciet febrem. Et sic in continua simul apparebit rigor: sed non est rigor in interpollata: quoniam non seruat ordinem perioditionis.

Duodecimo, est tempus mensurans febrem continuã acutam comparatione ad interpollatam: quia in hac febre non inuenitur terminus 24. uel minus horarum, ut in interpollatis inuenitur. Sed continua afflictio usque ad totum tempus status inclusiuè. Quòd si cum omnibus his signis cognoueris materiam cholericam peccare in hac febre, eueniet tibi febris magnitudo, & intensio. Et ideo si uideris febris intensione cum accidentium comitantium sæuitia, iudicabis hanc febrem continuam esse à cholera.

Decimotertio, paraphrenesis, & in somno loquutio frequens: somnia terribilia. Quum enim à materia putrida faciente febrem eleuentur uapores calidi, & sicci: qui afficientes spiritus animales in cerebro, promouent eos ad deseruiendum uirtutibus animalibus ad operationes naturæ suæ contrarias: & sic loquuntur nescientes se loqui. Et nota quòd hæc signa dicta plenius uerificantur: si cætera illis proportionata concurrent: ut ætas iuuenilis, et æstas, regio calida, & sicca, præteritum ragimen. Quòd si prædicta omnia signa reperiantur in corpore iuuenis: in tempore æstatis, in regione calida, & sicca, cum præterito regimine calido,

calido, & ſicco, iudicium tuum efficietur certius; quòd illa febris erit continua acuta. Et hæc de ſignis.

DE CVRA FEBRIS PVTRIDAE continuæ acutæ in generali, per uictus rationem. CAP. V.

FEBRIS, ueluti re magis alterante corpora, indiget aëre declinantes ad frigidum, & humidum, quia contrariatur cauſæ facienti febrem acutam; & febri ipſi, quæ eſt caliditas, & ſiccitas. Et ideo exponatur æger febriens ad aërem naturalem frigidum, & humidum: ſi naturaliter talis non eſt, arteficialiter talis fiat: & diſponatur cum fölijs ſalicis, nenufaris, uitis, cannarum, & ſimilium irrorata camera cum aqua roſata; & hæc omnia per totum cubiculum ſpargantur, & manibus æger ea tractet, & odorans, ex his remittetur caliditas febris acutæ, & humectabũtur ſpiritus, & calor naturalis ad intra. Obſeruandi tamen ſunt duo canones in tali herbarum applicatione.

Primus, quòd hæ herbæ collectæ ſint ante ſolis ortum: ne humiditas, & frigiditas nocturna, caliditate ſolis remittantur.

Secundus canon eſt, quòd in principio paroxyſmi non applicentur herbæ ægro: neque per cubile ſpargantur. Tunc temporis enim calor naturalis retractus ad intra, extranea frigiditate magis concentraretur: & per hoc principium paroxyſmi produceretur. Similiter alteretur aër cameræ per irrorationem factam frequenter cum aqua roſata, uiolata, nenufaris: & cum cæteris aquis frigidis: in quibus plerunque apponantur ſandali, camphora. Hæc enim

ultra hoc quòd infrigidant, & humectant, etiam cor confortant. Potest quoque fieri pomum, quod patiens post paroxysmi principum odorando manibus tractet.

Recip. Florum nenufaris, florum rosarum. uiolarũ ana M.i. contundantur, & cribellentur. Demum adde sandalorum alborum & rubeorum, ana drach.ij. Camphoræ drach.s. puluerizentur, & cum modico aquæ rosatæ incorporentur, & fiat pomum.

Fructus etiam laudantur, non ut edantur, sed ut manibus tractentur. cuius generis sunt citonia, limones, & similes ad frigidum, & humidum declinantes: fugiat autem quantum potest, ne frigida manibus teneantur in principio augmenti febris: quia tunc calor naturalis incipit expandi ad exteriora, & fortè frigiditate percepta iterum concentraretur, & paroxysmus prolongaretur. Et reprehendendi sunt illi, qui nedum in principio paroxysmi ægris balnea ad pedes, & manus adhibent cum aqua frigida, sed etiã in augmento: quia in augmento dubium est de concentratione caloris naturalis, & paroxysmi prolongatione. In declinatione etiam, quum natura calorem putridum ad extrema dispensare conatur, impedietur ab eo opere cum aqua frigida. Tamen irregulariter operando suadeo, si in febricitante cauma fuerit, & dubitamus uirtutem deficere, in cura tunc non prohibemus irrorationem factam cum aqua frigidaa: ut aqua rosata, uiolata, nenufaris, & balneationem extremitatum in ijsdem. Imo & potum eiusdem aquæ concedemus: quia maius iuuamentum est: quod euenit ægro in custodia uirtutis, & securitate à morte, quàm nocumentum, quod proueniret ex aliqua morbi prolongatione.

De cibo

De cibo autem dico, quòd indicatione ſumpta à morbo cõ ſtante uirtute, in principio ex toto debemus auferre cibum. Et ideo ſi uoluerimus regulariter gubernare acutè febrientem, ſi uirtus ægri conſtet indicatione ſumpta à morbo, nihil cibi dabimus: quia morbus ſemper indicat de ſui ablatione, cùm ſit res præter naturam. Morbi uerò conſeruatio eſt ciborum exhibitio. Ideo indicatione ad morbum habita, et ad uirtutem conſtantem, nihil dabimus. Procedemus igitur à primo die inceptionis febris uſq; ad quartũ hoc modo, ſi cognoueris per accidentium ſæuitatem, quòd criſis in quarta futura ſit: ut ſit capitis dolor fortißimus, febris intenſio uehemens, ſitis, uigiliæ, inquietudo, paraphreneſis, uſq; ad quartam diem excluſiuè, & incluſiuè nihil dabimus: excluſiuè, quia diuerteretur natura conuertens ſe ad cibum à morbi pugna: incluſiuè, quia eſt dies Criſis, & ſi impropriè, in quo reſpectum habemus & ad cibum dandum, & ad medicinam. Quòd ſi times uirtutem à ſymptomatibus ſæuis debilitari, erimus contenti ſolo potu aquæ hordei, diſpenſando ſecundũ horas comeſtionis conſuetas, uthoris prandij, cœnæq; ſumat aquæ hordei unc. x. & blandiendo ſiti in medijs horis poſſumus unc. iiij. aquæ prædictæ exhibere. Si uerò in ægro cognouimns conſuetudinem fuiſſe multi cibi: & quòd tale corpus reſolutioni accommodum eſt, ut ſunt cholerica corpora, tunc poſſemus uenire ad ptiſanæ collatæ exhibitionẽ. Quòd ſi æger & aſſidentes conqueruntur de cibo pauci, & exigui nutrimenti, poterimus dare ptiſanam non collatam. Et ſic in his diebus uſq; ad quartam, ubi criſim impropriam tamen expectamus in ægritudine acuta, uel peracuta, his cibis contenti erimus. Sed uetularum iurgia, & opprobria uitantes, ægrum hac dieta regemus uſq; ad quartam. Primo

inceptionis morbi die nihil comedat. Sequenti die enemate præcedente, quod uentrem mundet, et inteſtina à fæcibus abſtergat, demus medullam panis loti decocta in aqua communi ſine ſale. Veſper, idem ferculum exhibeatur, & cum iſtis continuet uſq; ad quartam. Quòd ſi uideris uirtutem non ſuſtentari cum prædicto cibo, conſulo, ut detur panis in iure pulli decocti, & macri, & ſic procedendo uſq; ad quartam. tranſacta quarta die, in qua Criſis non apparuit, quia accidentia non fuere tantæ ſeuitatis ante quartam, ut in ea potuerit criſis apparere, uſq; ad ſeptimam æger diætandus eſt diæta groſſiori: & ſic ſuaſerim dari hordeum fractum decoctum uel in ſimplici aqua, uel in iure pulli ſine ſale, ſecundum uirtutis tollerantiam, unà cum lacte quatuor ſeminum communium frigidorum, & maiorum, uel cum lacte amygdalarum dulcium. Quòd ſi timor eſſet de repletione capitis propter amygdalas, condiantur amygdalæ ſic. primo depillentur, deinde ponantur in aqua calida per v. uel vi. horas: & in prædicto tempore quinquies aut ſexies agitentur cum baculo: ſic enim euacuabuntur à uiſcoſitate, qua febri inimicabantur, & capiti, & exhibeantur tunc, & conſulo, ut procedamus mane, & ueſperi, ſic cibando uſq; ad ſeptimum.

In ſeptimo cùm ſit dies criſis, à cibo abſtineto, & à medicina. Poſt ſeptimam, ſi criſis ad undecimam, uel quartamdecimam prolongatur, cibandus eſt æger groſſiori diæta.

Et ſic conueniens eius diæta erit aſſumere ſecundum horas conſuetas cibandi; ferculum ex pane loto decocto in iure pulli: concedes quoq; lactucam, endiuiam, decoctas in eodem iure, uel in aqua ſimplici, cum modico aceti, uel cum uino granatorum, niſi pectoris mala diſpoſitio uetet. Quare ſi æger tollerare poteſt uſq; ad undecimam binã cibationem mane, &

ne, & uesperi, ex ferculo hoc facto, uel ex pane decocto in iure pulli cum oleribus dictis, sic procedes. Si uerò ægri uires hanc diætam sufferre nequeant, exhibe pulli carnium contusarum liquorem ad pondus unc. v. semel tantùm in die in iure dissolutarum, unà cum ferculo facto ex lactucis, & endiuia. uesperi autem contentetur solo hordeato cum lacte seminum communiũ frigidorum, uel lacte amygdalino. Quòd si expediens sit, & urgeat necessitas maioris cibationis, detur mane, & uesperi, contusum pulli, uesperi tamen in minori quantitate quàm mane, ne uirtus noctu à materia morbi in concoctione facienda, ad cibi concoctionem reuocetur. Vnum tamen nota, quòd carnes semper alterentur ad frigidum, & humidum, cum lactucis, & similibus. ut endiuia, acetosa, plantagine, spinachijs, uel cum seminibus communibus frigidis maioribus. uel cum buglossa. Quòd si uirtus ab undecima usq; ad quartamdecimam bene constabit, tunc diætam subtiliorem præcedentem eliges, ratione status, in quo silentium habere oportet. Quare constante uirtute laudarem, ut æger solo hordeato semel in die, aut pluries uescatur, secundum uirtutis tenorem, uel cum lacte seminum communium frigidorum, uel lacte amygdalarum, secundum quod expedit uirtuti. Aduentãte uerò quartadecima, quæ dies est crisis radicalis, si uirtus non reclamat, nihil cibi dandum est. Acutæ enim ægritudines in quatuordecim diebus iudicantur. Quod si in quartadecima uirtus fuerit alleuiata à materia morbi, iudicabimus terminum illius febris saluum esse. Sin accidentia aucta fuerint, iudicatis timorem ægri.

Deinde in offerendis ægro cibis, considerandum est, quòd cibaria, quæ in talibus febribus concedantur, non sint summæ frigiditatis: quia cum digestio calido celebretur, à summè frigidis

gidis impedietur, & humor incrudabitur, & digestioni minus obediens reddetur. & ideo non conuenit in digerenda materia febris aqua cucurbitæ, citruli, cucumeris. Plerunq; enim contingit cum febre ipsa uirtutem debilitari, & tunc si darentur summè frigida, calor naturalis debilis ab intensa frigiditate obtunderetur. Itaq; cùm solis frigidis febres non curantur, consulo, ut remissè frigida permisceantur frigidis, ut causæ febrem facienti repugnemus: remissè uerò frigidis uirtutem digerẽtem iuuemus. Si igitur endiuiam, uel lactucam febrienti concesseris, non inconueniens erit aliquid buglossæ permiscere, uel borraginis, intentione habita ad solam herbarum alterationem, ubi uerò indigeremus maiori apertione aliter fiet, ut postea dicemus.

Secundo considerabis, ne cibaria febrienti dulcia exhibeantur, indicatione sumpta à causa febris acutæ continuæ.

Quum enim ipsa sit cholera, uel humor alius calidus: dulcia uerò in choleram, uel humorem calidum facilè conuertantur, ideo prohibebis dulcia. Et per hoc reprehendo eos, qui saccharum exhibent febrientibus acutè, quum saccharum ipsum declinet ad choleræ conuersionem. Mel quoque indicatione sumpta à febre, & eius causa, febrientibus non est concedendum, tum quia calidum, tum quia dulce, nec in cibis solum à melle, sed etiam syrupis digestiuis abstinere debemus. Vnde stante caliditate in ætate, complexione, regione, & tempore, ægritudine, & causa eius, non dabis mel rosatum collatum.

Tertio considera, quòd cibaria putredini parata acutè, et continuè febrientibus dari minimè debent, ut sunt fructus, poma, pira, melones, citruli, etiam olera, quæ facilè putrefiunt, quia sua humiditate putrescibili febris causam augerẽt.

Ideo

Ideo recordare, si aliquãdo concedere uelis poma, pira, & similes fructus coctos, non facias hoc cibi gratia, sed appetitus excitandi causa: olera autem à nobis concessa in febribus non expectant in stomacho putrefactionem.

Quarto considerabis, ne cibaria stiptica febrienti acutè exhibeantur, ut sunt fructus stiptici, citonia, carnes tostæ: quia omnis febris materialis cùm ab opilatione pendeat, stiptica magis opilant, & cùm in omni febre, curæ nobis sit, uiarum apertio, stiptica uerò uias obstruunt, & per hoc opilant. Exhis omnibus concludo, quòd cibus in acutis continuis febribus conuenientissimus est ptisana colata; uel non colata. has itaq; primo exhibeatis ægro.

De potu in febre cõtinua acuta laquor. Vinũ porrò auferri uolo, quia calidũ: febris autem calida est, & omnis cõplexio distemperata suo simili augetur. Secundo quia uinũ ad caput euaporat. In acuta autẽ febre continua, uapores ad caput eleuantur, propter quod augerentur simul à duobus uaporibus accidentia, quæ capiti accidunt ex febre, ut capitis dolor, paraphrenesis, uigiliarum instantia, quia à uaporibus calidis quandoque humiditates resoluuntur resolutione ad uigilias præparante. Quod si id corpus uino assuefactum est, detur uinum aquosum, & imbecille, multa aqua dilutum, & albũ. Si uerò febri coniungeretur uirtutis debilitas, cùm propter simboleitatem, quam habet uinum cum spiritu, & sanguine humano, est de bonis, & citissimè restaurantibns uirtutem. Quare tunc admittas uinum album, odoriferum, aromaticũ quia maius iuuamentum est, quod euenit ægris in restauratione uirtutis prostratæ, quàm est nocumentum, quod ex aliquali augmento febris accidit, ut Galenus docet primo ad Glauconem, in cura febris Sincopalis, cap. 13. & 12. metho

di cap.

di cap. 5. & 6. Si enim duo contraria accidentia consequentur, inspicere oportet, quod eorum sit fortius. Si enim syncopis fortior esset febre, uinum concedemus. Sin febris fortior syncopi, à uino abstinendum est, quia febrem augeret, quæ mortis occasio esse posset. Summatim autem dico, quòd ubi in aliquo tempore febrium putridarum uirtus esset admodum resoluta & accidentia febris essent quieta, ita ut non timeremus de maiori resolutione uirtutis propter accidentia ipsa, tunc expertum est, uinum dare in omni tempore febris esse satis conueniens, quoniam semper Medicus debet esse sollicitus de eo, quod magis suspectum est. & est resolutio uirtutis, & tunc confortabimus uirtutem, non adaugendo accidentia, quæ quietant: quòd si ex uini potu tunc etiam accidẽtia adaugerentur, maius erit iuuamentum, quod euenit in restauratione uirtutis, quàm sit nocumentum eueniens ex aliqualiter auctis symptomatibus. ubi uerò in febribus putridis accidentia ægrum inquietarẽt, adhuc stante debilitate uirtutis uinum non dabo: ab eo etenim in tantum possent accidentia concrescere, ut æger necaretur. Quòd si illi debilitati uirtutis cum sæuitate accidentium uolueris succurrere, alia inueniemus ingenia paulò infrà dicenda. Potus igitur febricitãtium febre putrida conueniens sit aqua hordei non multæ decoctionis, uel aqua decoctionis seminum endiuiæ, seminum lactucæ cum uino granatorũ, uel iulep uiolato. Quod si in huiuscemodi febribus adhuc uirtus sit resoluta cum sæuitate accidentium, laudo potum iuris pullæ macræ, cuius decoctio non dicatur esse multum longa: eo enim iusculo alterabitur mala complexio calida, & uirtus confortabitur nutrimento æquali.

Potus autem febrientis, ubi febris fortior est syncopi, quod ex pulsu

ex pulsu uehementi discernes, est uinum granatorum cum aqua buglossæ, succus de ribes, succus acetositatis citri, quæ & caliditatem remittunt, & cordialia sunt. Potus uerò cõuenientissimus in febre acuta continua, est aqua hordei: & ideo laudo, quòd iste potus non permutetur. Aqua uerò hordei est multiplex decoctionis, ideo non approbo, ut febrienti cum cibo detur aqua hordei multæ decoctionis, quia hæc cibũ corrumpit multa hordei uirtute. Aqua uerò hordei, quæ cum cibo, & extra cibum conceditur continuè febrienti, sit paucæ, uel mediocris decoctionis, quia tunc & sitim sedat, et totum corpus refrigerat atq; humectat. Potus etiam febrientis conueniens est uinum granatorum medij saporis, nisi obstante pectoris ægritudine, aut stomachi debilitate: quia tũc possumus dare aquam endiuiæ cum iulep uiolato, aut alio potu conuenienti uti possumus, ut est sequens.

Recip. Seminum endiuiæ, plantaginis, acetosæ, lactucæ ana drach.iij. bulliant in quatuor lib. aquæ limpidæ usq; ad cõsumptionẽ medietatis, deinde coletur, & colaturæ adde uini granatorum unc.iij. iulep uiolati unc.ij. iterum lento igne bulliant quousq; elongetur iulep.

Neq; turberis, si quipiam concedant in febre quotidiana, uel quartana uinum esse idoneum, quoniam hoc est abusiuum: cùm & ipse febres sint, & putredinem habeant. Ideo in eis uino etiam neglecto, poterimus talem potum exhibere.

Recip. Radicum fœniculi, petroselini, buglossæ, endiuiæ ana unc.i. bulliant in lib.v. aquæ currentis claræ usque ad consumptionem medietatis. Deinde coletur, & colaturæ adde succi pomorum dulcium, uini granatorum dulcium ana unc.ij. cinnamomi electi drach. s. & iterum lento igne bulliant cum saccharo usque quo fiat iulep longum maximè conueniens

ueniens in febribus, cuius causa est materia frigida, ut pituitosa, uel melancholica. & hæc de potu febricitantium in generali dicta sint.

De somno.

In hora paroxysmi principij particularis expertum est, somnum febrienti admodum nocuum esse. Et ideo ab eo tunc cauendum est. Ratio est, quoniam in principio paroxysmi, retrahitur calor ad interiora, & materia submergitur: in somno uerò idem calor retrahitur, & ad interiora uertitur. Quo fit, ut duæ sint causæ submersionis caloris naturalis. Vna somnus. Altera principiũ paroxysmi, ex quo facile principium paroxysmi prolongaretur: & timor esset, ne calor naturalis propter multos modos submersionis eius in principio paroxysmi suffocaretur. Ideo tunc omnino cauendus est somnus. In augumento uerò particulari paroxysmi febris, simpliciter prohibendus est somnus. Ratio est, quoniam in hora augumenti fit expãsio caloris ad exteriora: in somno uerò fit retractio caloris ad interiora, & sic ex somno, in augumẽto posset reddi principium paroxysmi. Dico hoc uerum fore, quando uirtus in febre fuerit obtenta à prauis humoribus. Vbi uerò natura prauos humores in febre uicerit, tunc in augmento, & maximè in ultima parte augmenti, poteris somnum concedere febrienti, & in statu similiter. Et hoc dixit princeps in prima quarti, & in quarta primi, cum dixerit, & fortè apud statum non nocet. Et hanc sententiam uoluit Galenus in secundo aphorismorum, commento primo illius aphorismi, in quo morbo somnus laborem præstat. &c. Vbi ait: quòd si fuerit uirtus uicta à prauis humoribus in augmento, & statu paroxysmi, nõ concedes

concedes somnum, cùm ex eo mala sequantur symptomata, ut erunt, dolor capitis, inquietudo, uertigo, & mentis alienatio. Vbi uerò dixit Galenus, in eisdem temporibus uirtus prauos uicerit humores concedatur, somnus: quoniam tunc uirtus fortis benè concoquet prauos humores, in declinatione uerò somnus conuenit, iuxta illud principis: & in declinatione somnus plurimum iuuatiuus est. hortor igitur uos, quòd in febribus, in quibus praui humores uirtutem obtinebunt in temporibus particularibus febrium principij, augmẽti, & status, non concedatis somnum: in declinatione uerò non inconueniet somnus.

DE VIGILIA MAXIMÈ ATTENDERE DEBETIS.

DICIMVS quòd in temporibus uniuersalibus febris, non sinatis uigilias ipsas adaugeri: quoniam propter uigiliã superfluam admodum debilitantur spiritus animales: quo fit, ut illi non rectè deseruiant uirtuti animali: & sic in febribus ex superflua uigilia plerunq; contingunt deliria, & paraphreneses, tum etiam quoniam in uigilia spiritus sunt in cõtinuo motu ex motu, uerò calefient, & inflammabuntur: quo fit, ut humores eadem inflammatione inflammentur, & incendium addetur augmento febris.

DE EXERCITIO.

DICIMVS quòd cùm corpus febriens localiter moueri non possit, loco exercitij ordinentur ei frictiones totius corporis: non fiat autem hoc, nisi corpore præeuacuato: quoniam non euacuato corpore, facilè ex frictioni-

bus agitabuntur humores, & materia febris, & febris, & ſymptomata augmentabuntur.

DE INANITIONE, ET REPLETIONE.

CERTVM eſt, cùm febris putrida ſit ægritudo de repletione, quòd inanitio ipſam curabit, ex Hippocrate ſecundo aphoriſmorum aphoriſmo xxij. Hortor igitur uos, quòd in omni tempore febris, corpus teneatur euacuatum, ſeu inanitum: quia omnis tunc eius repletio eſt mala, cùm ægritudo de repletione adaugeatur repletione.

DE ACCIDENTIBVS ANIMAE.

GAVDEAT æger, & non triſtetur, gaudeat cũ gaudentibus, præcipuè cum medico, offerendo ſibi crebrò pecunias, citius quoniam ſanabitur.

DE CVRA FEBRIS PVTRIDAE CONtinuæ acutæ per materiæ concoctionem. CAP. VI.

VNVM obſeruabis in hac cura, quòd ſi morbus fuerit continuus, acutus, & furioſus: quod ex accidentium ſæuitate, & uehementia, dignoſces, ut ex capitis dolore, ſiti intolerabili, inquietudine, & totius corporis faſtidio, & illis multum auctis irregulari curatione materiæ digeſtionem non expectamus immo morbi, uelocitate materiam euacuabimus. Secundo conſiderabis, dato quòd materia non eſſet furioſa, ſed ex modo ſuæ ſubſtantiæ cum facilitate educi poſſet, tunc ante digeſtionem euacuare licebit, ut contingit in materia ſubtili ad motum apta. Quam ſententiam, & Auicenna,

Auicenna, & Galenus secuti sunt in libro Quando, & qualiter euacuare oportet. In materia igitur furiosa non præcedente digestione sequenti pharmaco utere.

Recip. Mannæ granatæ electæ unc.ij. uel floris cassiæ nouiter tractæ drach.vij. reubarbari optimi, & electi drac. ij. spicæ gran.x. diaprunis solutiui scrup.iiij. Infundatur reubarbarum cum spica in aqua endiuiæ cum modico uini albi odoriferi ad x. horas. Deinde fiat fortis expressio, & omnia simul dissoluantur cum decoctione communi florum, & fructuum quantum sufficit, cum qua bulliant Tamarindorum unc.s. & fiat potus.

Quòd si ægritudo non fuerit furiosa, & materia ex modo substantiæ suæ obediens erit euacuationi, & non rebellis, non expectata digestione euacuabimus eam sequenti pharmaco.

Recip. Mannæ granatæ electæ unc.ij. uel cassiæ nouiter tractæ unc.i. electuarij ros. Mesuæ drach.ij. misce, & fiat bolus cum saccharo, uel dissoluantur cum aqua decoctionis Tamarindorum, ac florum, & fructuum quantum sufficit.

Quòd si materia non fuerit furiosa, & non obediat, et ex modo suæ substantiæ det nobis inducias ad digerendum, cõsulo, ut præcedente enemate lenitiuo, incipias materiam ipsam digerere. Enema lenitiuum tale est.

Recip. hordei non excorticati, ut melius abstergat: foliorum maluæ, uiolariæ ana M.ij. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usque ad consumptionem medietatis. Deinde de colatura

Recip. Lib.i. sacchari rubei unc.ij. olei uiolati unc.iij. uitelli oui numero i. salis communis drach.ij. misce, & fiat clysstere. Postea uerò digeratur materia: & moneo, ut in di-

gerendo materiam consideres substantiam materiæ peccantis, & qualitatem eiusdem. Si enim substantia materiæ fuerit subtilis: quod ex urinis ad citrinitatis, & subtilitatis gradum tendentibus cognosces, per uisus penetrationem per omnes partes urinæ. Tunc procedemus cum syrupis ingrossantibus, ut syrupo uiolato, iuiubino, de endiuia gentilis. i. syrupo composito, syrupo de succo endiuiæ, cum aquis appropriatis, ut plantaginis, endiuiæ, acetosæ. Si autem materia fuerit substantiæ grossæ, cum syrupis materiam subtilientibus, ut oxyzaccara, syrupo acetosi simplici, syrupo de endiuia, qui ualet in utraq; materia. Secundo considera qualitatem materiæ peccantis. Et quia materia peccans est calida, immo semper syrupi sint infrigidatiui, non ultima infrigidatione, quia prohiberetur resolutio, & digestio per incrudationem humorum, sint ergo frigidi, non tamen ultimo frigidi. Tertio considera, quòd in digerenda materia in febribus istis, attendere debes ad confortationem principalium membrorum, hepatis maximè, quod est minera generationis humorum, & cordis, quod fundamentum, & radix est uitæ. Vbi igitur materia subtilis esset, & calida, ualet syrupus sequens.

Recip. Syrupi uiolati, syrupi de endiuia, de succo acetosæ ana unc. s. aquarum buglossæ, cicorea, acetosæ, ana unc. i. misce. Syrupus uiolatus remittit acuitatem caloris præternaturalis, & est cordialis. Syrupus de endiuia remittit caliditatem præter naturalem, & hepar confortat. Syrupus de succo acetosæ ualet pro corde, & mirè prodest in febribus incensiuis. Syrupus in materia febrili ad grossum declinante is est.

Recip. Acetosi simplicis, syrupi de endiuia ana drach. vi.

aquarum

aquarum buglossæ, cicoreæ, endiuiæ ana unc.i.misce. Tempore uerò eo, quo fit digestio in materia, consulo, ne uenter ægri stipticus seruetur: sed quotidie si natura non est mollis alui, tamen arte lenitio custodiatur. Clysteria autem sint lenitiua solùm, & præparantia ad euacuationem materierum existentium in uijs latis: non autem attractiua sint à longinquis. Quia cùm materia existens in uenis sua subtilitate sit ad motum parata, ex hisce acutis clysteribus agitata materia ad periodum moueri posset. In clysteribus itaq; non ponatur hiera nec simplex, nec composita, nec electuarium aliquod solutiuum, nec olea multum attractiua, & calida, nam ultra hoc, quod attrahendo, materiam agitant, totius etiam corporis calorem augent. Sint uerò enemata ex decoctione rerum lenientium tantùm, ut de herbis, malua, bismalua, uiolaria, blitis, spinachia, caulis, & similia ad frigidum, & humidum declinantia. Non negabimus cassiam, si fortis fuerit stipticatio, neq; mel uiolatum, neq; rosatum. Sed si uenter obediet lenitionibus, contentus ero cum decoctionibus apponere saccharum duarum coctarum, oleum uiolatum, mel uiolatum, cum uitello oui, & sale, secundum modum prius dictum. Hoc autem enema quotidie fiat, nisi aliunde uentris lenitio fiat, quia scimus quod superfluitates primæ digestionis fouent causas febris, & coniunctas, & antecedentes.

Quòd si patiens enemata abhorret, alio ingenio conducamus uentris lenitionem. Et sic consulo, ut omni mane ante cibum capiat infrascriptam decoctionem, ad quantitatem unc. iij. quolibet mane.

Recip. Iuris pulli sine sale, & sine aliqua pinguedine un. vi. carnium prunorum damascenorum numero v. passularũ enucleatarum unc.s. bulliant simul usq; ad medietatem iuris

deinde colctur ſine expreßione, exhibeatur ante cibum per unam horam. uel fiat etiam hoc.

Recip. Aquæ claræ unc.vi. caßiæ fiſtulæ cum toto corti ce,& medulla unc.s.frangatur caßia per portiones. bulliant in prædicta aqua ad tertiam partem: coletur, et colatura te pida exhibeatur modo prædicto.

CONSIDERANDVM, quòd præſens digeſtio in hac fe= bre continua acuta debet fieri à primo die inceptionis febris, uel à die ſecunda poſt euacuationem minoratiuam uſque ad ſeptimam diem. Quòd ſi urgeat neceßitas euacuationis, non habebis excuſationem in ſexta die ad exhibendam medicinam eradicatiuam. Quòd ſi neceßitas non urget, caue ab exhibi= tione pharmaci in ſexta. Quia poſſet materia moueri ad criſim in ſexta, & tunc fortè impediretur motus criſis, quẽ natura intendit in ſeptima, & tunc ab exhibito pharmaco tantum natura debilitari poſſet, quòd aduentante criſi in ſe= ptima, uirtus non ſuſtineret pugnam morbi. Neq; in ſeptima euacuare debes: quia eſt dies criſis. in qua nihil agendum. In octaua uerò præparabis te ad euacuationem materiæ, appa= rentibus ſignis digeſtionis, cum quibus & qualibus, dicã po= ſtea. Euacuatione facta, ſi uideris multum materia indigeſtæ relictum fuiſſe: propter quod febris ſuum acumen continua= ret: iterum præparabis te ad digeſtionem iteratam. Sy= rupi ſecundæ digeſtionis ſint non ſolùm alteratiui comple= xionis calidæ, & ſiccæ, ſed & aperitiui uiarum, & oppila= tionum remotiui, à quibus febris ipſa fouebatur per fomen= tum putridum.

Syrupus conueniens in digeſtione eſt talis.

Recip. Syrupi dinarij ſcilicet biſantini, ſyrupi de endiuia ana drach.vi. aquarum abſinthij, in quacunq; febre cronica, & acuta,

& acuta, post septimam appone absinthium, quia stomachũ confortat, & hepar, et cholerę acuitatem remittit, buglossę, cicoreæ ana unc.i. misce. Et sic continuabis hãc secundam digestionem in materia faciente febrem acutam, obseruatis his, quæ prius dixi, scilicet quòd uenter quotidie leniatur. Neq; patiens in digerendo materiam sit solicitus, ac cupidus in comestione alicuius rei uel in potu impediente digestionem, ut succi fructuum scilicet cucumeris, melonum, citrulorum, cucurbitarum, quia prohibent resolutionem, & materiæ digestionem impediunt. Apparentibus autem signis digestionis facta euacuatione in octaua, consulo, nisi urgentissima fuerit necessitas euacuationis eradicatiuæ, quòd ipsa non fiat nisi post decimam quartam: urgente necessitate euacuationis fiat in duodecima, quia non est dies periculosa. Quòd si dies duodecima maioris inquietudinis esset, & coactus esset eradicatiuè euacuare, nolo desistas, sed consideres horam aduentus acerbationis per septem horas ante, eodem die euacuare poteris, uel in fine duodecimi diei. hæc sunt pro intentione digestionis. Quòd si coactus esses ultra prolongare digestionem secundum ordinem prolongationis febris, intentio magis sit ad aperiendum, quàm alterandum, quia longa actione caloris putredinalis materia illa erit incinerata, & facta melancholica: quare indiges maiori apertione, quàm infrigidatione. Et sic syrupi tui erunt, syrupus de duabus radicibus, syrupus de quinq; radicibus, syrupus de lupulis, syrupus de pomis compositis, et similes aperitiui syrupi, cũ aquis appropriatis, aqua fœniculi, apij, lupulorum, semper addendo aqua buglossæ, rationem cordis.

DE CVRA FEBRIS PVTRIDAE CONtinuæ acutæ per euacuationem materiæ.

CAP. VII.

ET NON *te lateat, quòd euacuatio in huiuſcemodi febribus fieri poteſt duplici ingenio, aut phlebotomia, aut pharmacia. Bene igitur conſidera, ſi in huiuſmodi febre continua acuta conueniat phlebotomia. & quia in pluribus in principio ægritudinis fieri debet, quia euacuatio eſt uniuerſalis, moneo ubi uocatus es, ut ſigna phlebotomiæ conſideres, & eſt ætas iuuentutis, complexio ſanguinea, tumor faciei, ac oculorum inflatio cum rubedine, uenæq; in oculis tumentes, & apparentes, caliditas in toto corpore, conſuetudo ad phlebotomiam: ſi horum plura ſigna adſint cum urina rubea groſſa, febrientem phlebotoma ex baſilica lateris dextri cum extractione ſanguinis tenore uirtutis obſeruato. Dato quòd urina non eſſet groſſa, rubea, uel citrina atteſtãs dominio choleræ, conſidera ſi corpus ſit iuuenile, muſculoſum, ſanguineum: tunc non obſtante dominio choleræ, phlebotomare poteris, non tamẽ copioſè, ac ſi ſolus peccaret ſanguis, uel cholera ſanguini permixta. Vnum tamen dico, ſi febriens continua acuta tibi occurrit, ætate, & uirtute conſentiente, à principio ipſum phlebotomando non peccabis, quia minera intra uenas eſt, & uenæ ſectio à uenis non ſanguinem ſolùm, ſed etiam alios humores putrefieri aptos, peccantes educet. Hoc igitur generale ſit præceptum, quòd in febre acuta continua, à principio, & maximè in tertia die phlebotomabis ægrum, quia tunc materia peccans bene permixta eſt ſanguini. Quòd ſi ſanguis peccaret uel per ſe, uel cum alio humore, copioſè phlebotomare audacter potes: facta*

cta phlebotomia digestionem incipies secũdum modum dictũ, aduentante die euacuationis primæ iam dictæ, dabis febrienti medicinam sequentem, præcedente lenitiuo enemate, uel uentris lenitione, uel alio ingenio celebrata. Quia corpora quæ euacuare uelis, oportet fluxa facere.

Recip. Carnium prunorum damascenorum numero. x. tamarindorum unc.s. iuiubarum, sebesten ana numero xv. passularum enucleatarum unc.s. quatuor florũ cordialium, buglossæ, borraginis, rosarum, uiolarum ana drach.ij. liquiritiæ mundæ drach. iij. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usque ad consumptionem medietatis. Deinde colentur, cum colatura dissolue Mannæ electæ unc.ij. uel florum cassiæ nouiter tractæ drach.vi. reubarbari electi drach.i.s. spicæ gran.vij. infundatur reubarbarum cum spica secundum artem per nouem horas: diaprunis solutiui, electuarij de dactylis ana drach.i. dissoluantur omnia & fiat potus, qui exhibeatur duabus horis ante lucẽ, dormiat super ipsum per duas horas, uel unam cum dimidia. Deinde usque per totum tempus vi. uel vij. horarum maneat uel in lecto, uel in camera deambulando, si potest clausis fenestris. finita ac completa actione medicinæ, quòd ex siti, & somni aduentu dignosces, dabis ei lotiuum aquæ hordei unc. v. uel iuris pulli sine sale cum modico sacchari absterſiui.i. sacchari duarum coctarũ, lotiuo sumpto per horam dormiat, quia somno corroborantur uires corporis euacuatione debilitatæ, postea sumat prãdium secundum modum superius dietæ ordinatæ. Sequenti die per tres horas ante cibum fiat sequens enema lotiuũ tale.

Recip. Aquæ hordei unc. xv. sacchari duarum coctarũ unc.ij. uitelli oui numero.i. misce, & fiat clystere. Quòd si medicina exhibita, non absoluatur patiens à febre, accedes ad

secun-

ſecundam digeſtionem reſidui materiæ peccantis, ut diximus, dando ſyrupo appropriatos. Apparentibus uerò ſignis digeſtionis in materia, conſulo, ut iterum purgetur materia ſequenti medicina.

Recip. Diacatholiconis drach. vi. electuarij roſati Meſuæ drach.ij. agarici electi ſcrup.iiij. zingiberis, ſalis gemmæ, ſi non affuerit impedimentum ex parte pectoris ana gran.iij. reubarbari electi drach.i.s. ſpicæ gran. v. infundatur agaricus cum ſuis correctiuis in oxymelle ſimplici per nouem horas. Similiter reubarbarum infundatur in aqua endiuiæ, & modico uini albi odoriferi quantum ſufficit per totidem horas. Deinde fiat fortis expreſſio, & cum decoctione communi florum, & fructuum quantum ſufficit, diſſoluantur, & fiat potus, qui exhibeatur duabus horis ante lucem, modo aſſumptionis medicinarum ante, & poſt ſupradicto.

Si uerò ab hac ſecunda digeſtione, & euacuatione materiæ, patiens à febre non abſoluatur, conſulo, ut tertia uice digeratur materia ſuis ſyrupis prædictis. Deinde purgetur materia ſequentibus pillulis, ut.

Recip. pilularum aggregatiuarum ſcrup.ij. Agarici trociſcati ſcrup.i. reubarbari electi ſcrup.s. diagridij grana.i. miſce cum ſyrupo uiolato. fiant pillæ numero v. Exhibeantur mane per duas horas ante lucem. Et ſcias quòd hæ pilulæ conferũt in febrium declinatione uniuerſali. quia ſunt magis euacuatiuæ humorum groſſorum, qui per incinerationem facti ſunt. Quòd ſi his pilulis adhuc non liberatur æger à febre, credatis mihi, quòd materia non ſolùm peccat qualitate, ſed etiam modo ſubſtantiæ ſcilicet quia materia ex proceſſu febris erit incinerata. & ingroſſatum eſt, & ueluti in cinerem redactum, quoddam caloris putredinalis fomentum. Et

ideo

ideo consulo, ut in processu utamur aperitiuis fortibus, non negligentibus tamen extinctionẽ putredinalis caloris. Præterea cùm longo, diuturnoq; tempore febris præterito, æger uchementer debilitatus est, rectò procedemus digerendo & aperiendo, potius quàm euacuando. Idq; cum cibis medicinalibus, quibus notabilis uiarũ apertio fit: & conducetur materia ad uias urinæ, uel sudoris, uel alterius cuiusdam euacuationis insensibilis. Quòd si illis præparetur materia ad uiam secessus leui quadam medicina: si non semel, pluribus tamen uicibus facilem uiam habebit ad euacuãdum. Consulo igitur, quolibet mane æger ante diluculum capiat sequentem potionem, per septem, uel nouem dies continuos.

Recip. Radicum fœniculi, radicum petroselini, radicum apij, radicum buglossæ, radicum endiuiæ ana unc.s. Cicerum rubeorum unc.i. bulliant omnia in sufficienti quantitate iuris pulli ad medietatis consumptionem. Deinde colentur, & colaturæ adde de syrupo cicoreæ cum reubarbaro unc.i. si reubarbarum abhorret, loco eius exhibe syrupum bisantinum, uel syrupum de duabus radicibus. Quo iure hausto, statim pannis se cooperiat, ut dormiendo, si poßibile est, sudor prouocetur. si sudor nõ prouocetur, notabilem operationem per uias urinæ uidebis. Assumpto hoc iure, si ad secessum materiæ declinent, exhibeto pilulas sequentes.

Recip. pilularum aggregatiuarum, agarici trociscati ana scrup.i. diagridij grana i.s. misce, cum syrupo uiolato fiant pilulæ numero iij. Nota agaricus tarde operationis est, & aliarum medicinarum, quibus admiscetur, operationem tardat. Ideo addidi diagridium, quod tarditatem operationis remouet. Hæc pro secunda intentione euacuationis dicta sint.

DE HIS QVAE CONFORTANT MEMbra principalia, & his seruientia.

CAP. VIII.

PRO HEPATE *confortando consulo, post euacuationem materiæ à tot, ac tantis euacuationibus: cùm in eo relicta sit mala complexio calida, quòd hæc auferatur ex epithemate extrinsecus applicato, et per unctiones. Pro quo diligentissimè obserua, quòd à principio earum febrium pendentium à materia, ipsa materia nondum euacuata, epithemata hepati nullo modo applicanda sunt. Errant igitur, qui hũc modum sequuntur, quia materia intus frigiditate compingitur, quod facit ad maiorem præparationem indigestionis, & maiorem oppilationem. Interdum uerò, si à principio istius febris fuerit cauma humorum, ut ab intensissimo calore uirtutem deficere timeas, excusaberis, si à principio epithemata frigida applicabis, maius enim febrienti iuuamentum eueniet in conseruanda uita, quàm nocumentum ex prolongatione febris.*

Epithema hepatis tale est.

Recip. *Aquarum rosatæ, hepaticæ, solatri, endiuiæ, acetosæ, ana unc. v. aquæ absinthij unc. iij. specierum cæroti triasandalini unc. i. spicæ gran. x. spodij drach. i. s. aceti optimi unc. iiij. puluerizentur puluerizanda, misce pro epithemate hepatis. quod epithema sic conficiatur, primo unica fòrti ebullitione bulliant, ut medicinarum uirtutes ingrediantur aquas. Deinde infrigidatis omnibus madefiat petia linea in isto liquore, & manu compressa teneatur fortiter donec calliditatem manus accipiat, & hepati applicetur. Et tandiu stet, nec diutius, donec calefieri cœperit, & iterum remoueatur,*

tur, & sic mane, & uesperi ante cibum hoc epithema applicetur. Vnguentum quo epithematis loco inunges hepar ad confortandum.

Recip. Vnguenti sandalini, infrigidantis Galeni, olei spicæ ana unc.s. misce. Et nota quòd renes, quum comitentur hepar per uenas magnas ab hepate uenientes, eadem caliditate etiam renes epithimentur, magis tamen consuetum est, & obseruandum, ut solo dicto unguento renes inungantur. Porrò cùm hepar non modo per exterius applicata confortetur, sed etiam per ea, quæ interius sumuntur, ob eam rem laudo, quòd patiens in declinatione febris infrascripta utatur mixtura.

Recip. Diarhodonis abbatis, uel descriptione communi triasandalorum ana unc.i. diabuglossati unc.s. misce cum syrupo bisantino fiat electuarium, de quo duabus horis ante cibum, grossæ castaneæ quantitatem sumito.

Cordi uerò succurremus confortantes per ea, quæ per extra applicantur, & intra sumuntur. Nec te fugiat in praxi in principio febris acutæ, epithemata cordi applicare non esse peccatum. Quia cor est uitæ fons, & origo tum quòd in corde non est materia humoralis faciens febrem, quæ ratione frigiditatis epithematis possit compingi intus, ut erat in hepate. Nota etiam quod cordis epithemata non debent esse multum eleuata in frigido: quia membrum natura calidum: quantumuis calida ægritudine laborans intensa frigida non patitur. quia ultra hoc, quòd malam complexionem calidam corrumpit, periculum esset de naturalis cordis caliditatis extinctione. Ideo frigidiora epithemata hepati per calidum lapso magis conueniunt, quàm cordi cæteris paribus. Neque hepati sola intensa frigida applicare conducet.

Ideo

Ideo in epithemate hepatis posui aquam absinthij, & spicam, ut aliorum frigiditatem frangerent, hepatisq; substantia magis confortaretur.

Epithema cordis tale est.

Recip. Aquæ rosatæ, aquæ borraginis, aquæ buglossæ, aquæ acetosæ, melissæ, endiuiæ, ana unc. v. florum buglossæ, florum borraginis, rosarum rubearum ana drach. i. s. sandalorum albo. & rubeorum ana drach. i. Been albi, ossis de corde cerui ana scrup. ij. Camphoræ, si fortis est inflammatio, gra. vi. Croci scrup. i. uini maluatici, aceti optimi ana unc. iiij. puluerizentur puluerizanda, misce pro epithemate cordis.

Pro pauperibus hoc sequens unguentum erit conueniens.

Recip. Olei nenufaris citrinæ unc. iij. pulueris florum nenufaris citrinæ drach. ij. sandalorum rubeorum, coraliorum rubeorum, seminum acetosæ ana scrup. i. Margaritarum, ligni aloës, ossis de corde cerui ana scrup. s. camphoræ gran. iij. cæræ albæ lotæ cum aqua nenufaris citrinæ quãtum sufficit. puluerizatis puluerizandis, & cum modico cæræ albæ fiat unguentum pro corde ante cibum. Valet in omni anxietate cordis. fit quoq; cordis confortatio cum his, quæ intra sumuntur. Conueniunt autem conditum acetositatis citri, syrupi de ribes, sacchari rosati, sacchari uiolati, diabuglossati, diaborraginati, conficiendo electuarium tale.

Recip. Diaborraginati, diabuglossati, sacchari rosati ana unc. s. conseruæ acetositatis citri unc. i. specierum aromatici rosati drach. i. s. misce, cum syrupo de ribes fiat electuarium, cui adde foliorum auri numero s.

Confor-

Confortamus similiter hepar, & cor cum infrascripto electuario.

Recip. Diabuglossati, sacchari rosati ana drach.i.s. specierum diarhodon abbatis, specierum triasandalorum ana drach.i.s. misce, cum syrupo acetositatis citri fiat electuarium. Cui adde folicrum auri numero v. poterimus loco electuarij, exhibere confectionem in rotulis.

Recip. Specierum aromatici rosati, specierum triasandalorum, diarhodonis abbatis, ana drah.i.s. sacchari optimi dissoluti in aqua rosata, & buglossæ quantum sufficit, fiat confectio in rotulis. Confortantia stomachum. & intestina sunt, quæ interius sumuntur, & extra applicantur.

Quæ intra sumuntur in causa frigida confortantia stomachum, non declinent ad intensiorem gradum caloris propter febrem, ut diacitonitem cum saccharo & speciebus. Mellis rosati colati, syrupus de menta in quo non est multus gradus caliditatis. Quòd si timemus caliditatem rei exhibitæ, temperabis cum aliquo syrupo frigido, ut syrupus de citonijs.

Confortatio in causa calida stomachi non debet esse cũ summè frigidis, te impediatur concoctio, ut

Recip. Diacitonitem sine speciebus cum saccharo, sacchari rosati ana unc.i. misce, cũ syrupo de mẽta fiat electuariũ.

Si cognoueris febrilem calorem remissum: quia sumus in declinatione febris manifesta, non malum est prædicto electuario miscere drach.i. specierum aromatici rosati. De quo electuario assumat quotidie per duas horas ante cibum quantitatem magnæ castaneæ. Quòd si ob caliditatem stomachi à calore febrili corruptam, stomachus multiplicat superfluitates multas; & in intestinis, quo fit, ut continuò in flatum conuertantur, bonum erit, relicto priori electuario uti

rio uti infrascripto.

Recip. Specierum diagalangæ, specierum aromatici rosati, puluerum diadraganti frigidi ana drach. i. sacchari quantum sufficit, dissoluti in aqua menthæ, fiat confectio in rotulis drach. ij. pro qualibet. Eadem confectio prodest doloribus stomachi, & intestinorum, qui plerunque contingunt in febrium declinatione, & immediatè post eius assumptionem, bibatur aliquantulum de iure pulli decoctionis anisorum. Quòd si dolores stomachi et intestinorum superuenerint non stãte febre, post ipsam confectionem, modicum uini maluatici bibere prodest.

Per exterius confortant stomachum, uel inunctiones, uel fomẽtationes. Fomentatio stomacho debilitato conferẽs, & uentoso in febrium declinatione, & stante adhuc febre si urgeret necessitas talis est.

Recip. Florum camomillæ, rosarum rubearum, menthæ siccæ, absinthij ana M.i. super calefiat tegula, & irroretur cum optimo uino albo, & odorifero: deinde madefiant herbæ super ipsam, & sic stomacho applicentur mane, & uesperi remouendo ante cibum.

Vnguentum confortatiuum stomachi stante febre, & pòst, tale est.

Recip. Olei spicæ, olei masticis, olei citoniorum, olei absinthij, ana unc.i. nucis muscatæ, ligni aloës, garyophyllorum, macis ana drach.s. coraliorum rubeorum, rosarum rubearũ ana drac.i. cinnamomi electi scrup.ij. musci fini, gran. iij. puluerizentur puluerizanda cum modico cæræ fiat unguentum molle: quo calido inungatur stomachus mane, & uesperi ante cibum.

Et hæc de curatione febrium continuarum acutarum.

AD

AD SVCCVRRENDVM ACCIDENTIbus febris continuæ acutæ. CAP. IX.

QVONIAM *secundum plurimum in omni febre putrida acuta, contingunt accidentia sæua, plerunque trahentia ad se curam. Ideo est utile plurimum & ægrotanti, & medico, illis accidentibus succurrere.*

Primo quippe febriens quandoq; siti clamosa infestatur, ideo expertum est, si febriens crebrò bibat duos, uel tres haustus sequentis iulep, sitis ipsa sedabitur, cum hoc etiam ipsi febri iuuamentum præstabit.

Recip. Seminum endiuiæ, acetosæ, plantaginis ana drac. ij. seminum citoniorum drach. iij. quatuor seminum communium frigidorum ana drach. i. Bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ fontis claræ, usq; ad consumptionem medietatis. Deinde coletur sine expressione, & colaturæ adde uini granatorum acetosorum unc. i. s. succi acetositatis citri, sacchari candidi, ana unc. i. s. Iterum lento igne bulliant & fiat iulep longum.

Ad idem, multum expertum est conferre, si febriens in ore teneat lambendo frequenter de sequenti mixtura.

Recip. Mucillaginis seminum citoniorum unc. ij. mucillaginis seminum maluæ unc. i. puluerum diadraganti frigidi, sacchari candi ana drach. ij. sacchari albissimi quantum sufficit, & fiat loch molle.

Ad idem, expertum est, & optimè valens in tussi, & difficultate anhelitus, si febriens ferè continuò teneat in ore frustum sequentis liquiritię sensim masticando ipsum.

Recip. Liquiritiæ mundæ, & bene raſæ, & per fruſta diuiſæ unc.ij. paſſularum enucleatarum unc.i. ſeminum citoniorum mundatorum unc.s. ſacchari candi unc.i. miſce, & bulliant in ſufficienti quantitate aquæ, usque ad conſumptionem medietatis. demum uſui reſeruetur modo dicto. Ex ijsdem quoq; rebus potes cõficere cum ſaccharo albiſſimo loch molle, de quo patiens portiunculas teneat in ore lambendo

Ad idem, expertum eſt dare patiẽti de infraſcripta mixtura.

Recip. ſucci coſtarum lactucæ, ſucci ſemperuiuæ, ſucci limonis ana unc.ij. mucillaginis ſeminum citoniorum, ſacchari candi ana unc.i. & cum ſaccharo albiſſimo fiat loch molle.

Ad idem expertum eſt.

Si fuerit ſitis ualde clamoſa ſicut in cauſone inflammatiuo contingit, quòd patienti febrem cum ſiti illa clamoſa condonetur potus multæ aquæ frigidæ, obſeruatis conditionibus recitatis à Galeno in primo artis curatiuæ ad Glauconem, & ab Auicenna primo quarti, inter quas debetis obſeruare, ut dixit Princeps, quòd febricitantis uentriculus in uirtute concoctiua non ſit imbecillis admodum.

Ad idem expertum eſt.

Si totum guttur extrinſecus inungatur cum ſequẽti oleo.

Recip. Olei de floribus ſalicum, de floribus cucurbitæ, uiolati ana unc.ij. diluantur hæc olea cum aqua fontis claræ frigida, & ſæpius in die eodem inungatur guttur, ut dixi.

Attende, quòd cum omnibus his dictis ſemper potus ægrotantis ſit, uel aqua hordei non multæ decoctionis, uel aqua cocta cum ſucco granatorum, & omnino parcat uino.

Item

Item ad idem, & est expertum.

Si patienti mane & uesperi ante cibum diluantur extrema à genu infra, & à cubito infra, cum aqua dulci simplici & calida: fiet enim nedum euaporatio humidi uaporis ad superiora, uerùm & tractus uaporum calidorum à superioribus ad inferiora. Attende iterum, quòd de maximè sedantibus sitim in febribus est, euacuare causam sitis, quæ secũdum plurimum est in stomacho, defluxa tamen ab hepate. Et ideo hortor uos, quòd aliquando adhuc non concocta materia cõdonetis ægrotãti modicum floris cassiæ, uel tamarindorum, uel mannæ. quorum uirtus est euacuatiua tantùm materiæ existentis in uentriculo. Attende iterum, quòd ad sedandam sitim in febribus utile remedium est, si frigida continuò coquantur cum suis cibarijs, ut est lactuca, plantago, portulaca, semina mellonum, & alia semina communia frigida: condianturq; secundum plurimum cibaria cum succo granatorum, uel agrestæ, uel limonum: dum tamen inter omnia delectabilius extinctiuũ sitis, est succus acetositatis citri. Quãdoque ipsi febri iungitur aliud accidens satis horrẽdum, quod est instantia uigiliarum, propter quam spiritus resoluuntur, & uirtus debilitatur: ex qua instantia uigiliarum plerunq; febriens deducitur ad deliria, ad inquietudinem, & ad mortem. Ideo hortor uos, ut procuretis abolitionem omnino instantiæ uigiliarum, primò quippè incipiendo à debilioribus prouocantibus somnum, ut uirtus melius assuescat ad fortiora, & sic non terrebitur. Ideo in primis, & ante euacuationem, & post, expertum est, lotiones extremitatibus admodum ualere, maximè factas uesperi post cibum: his enim lotionibus uapores frigidi, & humidi cum uaporibus cibi deferuntur ad cerebrum, eisdem quoque sua caliditate actuali di-

uertuntur uapores calidi, & ſicci, qui à minera putredinis aſcendebant ad cerebrum, & ſomnum prohibebãt, eius cauſam auferentes.

Lotio igitur erit ſequens.

Recip. *Florum camomillæ, anethi, nenufaris, uiolarum ana M.ij. capitum papaueris albi numero decem, fõliorum lactucæ, uitis, cannarum, ſalicum ana M.i. & hoc ſi fõlia iſta inueniri poterint, ſi non, ſis contentus prædictis. bulliant omnia in ſufficienti quantitate aquæ currentis usq; ad conſumptionem medietatis, deinde colentur, & colatura uſui ſeruetur.* Vbi uolueris decoctionem iſtam fortificare. Adde *ſeminum Iuſquiami albi unc.s. corticum radicum mandragoræ unc.i.s. hortor ſemper uos, ut in prouocatione ſomni primitus tentetis ea, quæ per exterius applicantur, quoniã prouocatiua ſomni per interius non ſunt ſine timore.*

Ad idem expertum eſt, quòd quacunque hora non poterit aliquis dormire, cũ ſequenti unguento inungantur tempora, & ſub naribus, & pulſus manuum, & pedum cum plantis eorum.

Recip. *Vnguenti populeonis, olei nenufaris ana unc.s. croci, opij, ana gran.iij. miſce, & fiat linimentum.*

Ad idem, expertum eſt, & mirabile in prouocatione ſomni, ſi patienti inſtantiam uigiliarum, diluantur aures, & maximè pulpæ earum, & nares cum ſequenti uino.

Recip. *Vini albi dulcis unc. vi. ſeminum Iuſquiami albi drach.ij. Bulliant uſq; ad conſumptionem medietatis uini, cũ quo inungantur aures, & nares, & æger omnino dormiet.*

Ad idem, expertum eſt non potenti dormire, ſacculus iſte ſequens, ſi naribus applicetur.

Recip.

Recip. *Seminum lactucæ, seminũ nenufaris, seminum papaueriis albi, seminum Iusquiami albi ana drach.ij. corticum radicum mandragoræ drach.i. contundantur, & ponantur in sacculo. & bulliant in aquæ lactucæ, aquæ nenufaris, uini albi odoriferi ana unc.iiij. certè si patiens huius sacculi odorem continuabit, omnino dormiet.*

Adidem.

Recip. *Florum nenufaris quantum expedit ad conficiendum plumaceolum, seminum iusquiami albi unc.ij. misce, & conficias plumaceolum, super quod æger capite cubet.*

Item ad idem, expertum est, quod post cœnam, cùm patiens cubare voluerit, imponantur per nares quatuor guttæ sequentis olei, & dormiet.

Recip. *Olei de seminibus papaueris albi, olei uiolati ana unc.iij. opij gran.i.s. Bulliant instimul usque ad consumptionem medietatis olei, imponatur oleum (ut diximus) & certè dormiet. Vbi autem hæc, quæ per exterius applicantur non contulerint in prouocatione somni, hortor, ut per interius applicentur ea, quæ somnum habent prouocare: dum tamen obseruetur generalis regula: quòd à somniferis non inducentibus stuporem, incipiamus. Et ideo compertum est, sequens remedium utile esse, & expertum.*

Recip. *Medullæ panis unc.s. Infundatur in uino cocto, seu sapa, & sic madefacta post cibum, cum æger dormire uoluerit, exhibeatur.*

Ad idem & est expertum, & familiare, si post cibum febricitanti patienti instantiam uigiliarũ exhibeatur sequens potus.

Recip. *Succi lactucæ, succi nenufaris, succi uiolarum, ana drach.ij. misce, & cum modico uini albi odoriferi exhi-*

beatur ut dictum est. Si uerò per hæc febricitans non dormierit, laudo, quòd secundum maiorem uel minorem necessitatem stupefacientia ægrotanti exhibeantur. obseruabis primo præceptum principis in quarta primi dicentis, & si necesse fuerit stuporem inducere, non transcendas tale, quale est papauer album, quoniam cum suo stupore est domesticum.

Ideo expertum est, si patienti instantiam uigiliarum exhibeatur per horam post cœnam, sequẽs potus, omnino dormiet.

Recip. Syrupi de papauere, de nenufare, aquæ lactucæ ana unc.ij.misce & patienti exhibeatur. Et scias quòd hic potus cum hoc, quòd inducit somnum, maximè confert febri.

Ad idem, si hic potus non contulerit, consulo, ut deueniamus ad opiata incipiendo semper à debilioribus, primò dabimus sequentem bolum post cibum in uesperi patienti instantiam uigiliarum.

Recip. De requie opiata scrup.ij. sacchari uiolati drac. ij.misce pro una uice.quòd si istud non suffecerit, cum eodem saccharo uiolato, uel nenufarino adde scrup. ij. athanasiæ. Quòd si fuerit opportunum ascendere, adde saccharo nenufarino scrup. ij. philonij romani, & adhuc si fuerit tui intentio magis somnum prouocare, cum eodem saccharo adde trifcræ magnæ drach. s. Quòd si cum prædictis æger non dormiat, pronuntiabis periculum de morte suis astantibus. Et hæc de instantia uigiliarum. Quandoque uerò ipsi febricitanti iungitur dolor capitis satis intensus, quoniam huiusmodi dolor prouenit à uaporibus eleuatis à materia faciente febrem, qui attingẽtes pelliculas cerebri, ultra hoc, quòd causant malam complexionem, extendendo causant malã compositionem

positionem in cerebro, & inde dolorem inferunt, & plerunque easdem pelliculas pungendo, dolorem pungitiuum capitis conducunt. Ideo succurrendum est illi dolori.

Primò cum omni genere diuersionis à capite. Laudo igitur, ut fiant primò lotiones, quibus uapores illi ascendentes, ad inferiora trahentur, quæ lotiones fieri debent ante cibum mane, & uesperi, quia tunc non permiscebuntur illi uapores fumis cibi, ut reddantur ad diuertendum difficiliores.

Lotio talis est sequens.

Recip. Florum camomillæ, rosarum rubearum, florum sticados arabici, betonicæ, calamenti ana M.i. bulliãt in sufficienti quantitate aquæ currentis usque ad consumptione medietatis, cum qua fiat lotio cruribus, à genu infra, & à cubito infra. Et attende, quòd in tali lotione apponuntur calida, & si ægritudo fuerit calida: quoniam ipsius calidi proprium est attrahere. Secundò cùm aqua illa, qua diluuntur pedes & manus, sit caliditatis alicuius pungentis, et mordicantis, à duplici caliditate fiet maior attractio, uidelicet caliditate actuali aquæ, & potestatiua.

Secundum remedium est, mane & uesperi frictiones fieri à superioribus spatulis incipiendo usque ad pedes.

Tertium remedium est, appositio cucurbitularum sine scarificatione, incipiendo à spatulis ad nates, ad coxas, & ad pulpas crurium. Quòd si expediret scarificatio, tunc incipe ab inferioribus, & procede ad superiora: neque turberis si Galenus dicat in libro de cucurbitula, quòd cucurbitulæ non debent apponi nisi in corpore prius mundato: hoc intelligitur, si tui intentio fuerit euacuare tantùm per cucurbitulas. Si uerò fuerit tui intentio, trahere de membro ad membrum, cucurbitulæ apponi possunt sine ulla euacuatione præ-

ne præcedente. Laudo quoq; quòd ubi prædicta nõ contulerint, quòd temporibus applicetur oxyrhodinum confectum ex oleo rosato, aqua rosata, & aceto, quoniam intentio tui est repercutere fluentes humores ad caput. Ideo maiorem aceti quantitatem addere debes. Scias tamen quòd elegãs remedium in dolore capitis per communitatem à materia febris est tale, uidelicet clysterium factum ex rebus diuertentibus à capite, ut

Recip. Foliorum maluæ, uiolarum, florum sticados arabici, betonicæ, furfuris grossi ligati in petia ana M.i. bulliãt in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & de colatura

Recip. unc.x. olei uiolati unc.iij. hieræ simplicis drach. vi. mellis rosati unc.ij. salis communis drach.ij. uitelli oui numero i. misce, & fiat clysterium, consulo quoque tanquàm expertum, & probatum in dolore capitis, prout est accidẽs febris, quòd bis in die, mane & uesperi, inungantur tempora, & frons tota cũ unguento alabastrino. Cuius descriptionem habetis in Empirica nostra de curatione morborum à capite usque ad pedes, in capite de dolore capitis. Vbi uerò hæc dicta non contulerint, consulo tanquàm remedium expertum, quòd aperiantur uenæ hæmorrhordales cum phlebotomo, uel hirudinibus: per eas enim uenas hæmorrhoidales apertas nedum euacuatur materia febris, uerùm & uapores una simul euacuabuntur, ualentes attingere caput, & istud remedium in febribus quantumcunq; intensiuis prohibet futuram phrenitidem, quæ præ dolore capitis, & intensione febris frequenter solet contingere. Et ideo cum his, et cum dicendis succurremus alteri accidenti in febribus, maximè acutis, quod est delirium, uel paraphrenitis, cuius medica-

tio

tio uel prohibitio futuræ phrenitidis, consistit in omnibus auxilijs conuenientibus dolori capitis, & cum dicendis infra.

Et ideo attende quòd curatio paraphrenitidis, quæ est à solis uaporibus mineræ febris lædentibus cerebrum, debet esse solicitare, ne uapores in materiam uertantur, & fiat uera phrenitis, quoniam tunc eius curatio apud medicum erit uana. Solicitet igitur medicus in delirio, et phrenitide, diuersiones, quas numerauimus ad succurrendum dolori capitis cum lotionibus, cum ligaturis, cum appositione uentosarum, cum scarificatione, & sine, cum missione sanguinis diuertendo à capite. Quòd si prædicta non conferant in paraphrenitide ex febre, remediũ est, apponere sanguisugas post aures, quoniam est diuersio, & euacuatio paratæ materiæ conducere ex paraphrenitide phrenitidem ipsam. Postea uerò præsentaneum remedium est, ad prohibendam futuram phrenitidem, aperire uenas narium, uel cum phlebotomo, uel setis porcinis benè pungentibus. Caue tamen ab hirudinibus uenis nariũ applicitis. Hortor quippe quòd ubi in febre timor fuerit de futura phrenitide, medicus solicitet diuersiones cũ clysterijs, quoniam ultra hoc, quòd clysteria diuertant materiã à capite, euacuant materias communes existentes in uijs latis, quibus fouetur minera putredinis febrilis, inter quæ clysterium sequens est maximi iuuamenti.

Recip. Mercurialis, florum camomillæ, betoniæ, sticados arabici, maluæ, uiolariæ, furfuris grossi ligati in petia ana M.i. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usque ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & de colatura

Recip. unc. x. olei rutæ unc. iij. hieræ simplicis. Et si uolueris fortificare magis clysterium, hieræ logodionis. Et si adhuc magis fortificare uolueris, hieræ Ruffini drachm. vi.

mellis

mellis rosati unc.ij. salis communis drach.ij.uitelli oui numero.i.misce,& fiat clystere ieiuno stomacho. Et hæc de phrenitide, & de paraphrenitide ex febre dicta sint, cùm de his latius diximus in de medicatione Empirica.

Vbi uerò cum febre iungeretur somnus profundus,qui secundum plurimum causatur in febribus à uaporibus materiæ febris eleuatis ad cerebrum,qui sui caliditate cerebri humiditates pituitosas eliquant,quæ eliquatæ confluunt ad uentriculos cerebri,& eos oppilant,& somnum inducunt, ideo ad prohibendum huiusmodi accidens, ne in subethicam transeat dispositionem, hortor, ut primò fiat sequens clysterium.

Recip.Agarici optimi drach.ij. pulpæ coloquintidæ dra. i.s.betonicæ, florum sticados arabici, camomillæ, calamenti, mercurialis, ana M.i.Agaricus, & coloquintida ligentur in petia, ne eorum substãtia hæreat inteſtinis: propter quod timendũ esset de diarea, uel dysenteria. Et omnia simul bulliant in sufficienti quantitate aquæ usque ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & de colatura

Recip. unc.x. olei rutæ unc. iij. hieræ logodionis drach. vi. sacchari rubei unc.i.s. mellis rosati unc. ij. uitelli oui numero.i. salis communis drach.ij.misce, & fiat clysteriũ.post clysterium non negligat patiens omnia genera diuersionum cum lotionibus uidelicet suprà dictis, cum ligaturis fortibus, cum appositione cucurbitularum, & cum appositione hirudinum hæmorrhoidibus, & non negligat etiam appositionẽ oxyrhodini fronti,& temporibus appositi, nõ negligat quoque medicus remedium à me expertum,& probatum in profunditate somni, & subethica dispositione, & est assumere drach.ij.capillorum patientis, & ipsos uri, urentesq; ipsos extinguere cum aceto fortißimo, & abrasa commissura coronali,

ronali, prædicti capilli calidi applicentur, & sic permutentur de tribus horis in tribus horis, & apparebit remedium præstans, & subitum in abolitione somni. Non etiam medicus negligat continuam appositionem fortißimi aceti in naribus, & oculis, & temporum, & cum eodem aceto madefactionem, his enim fit repercußio uaporum eleuatorum à minera febris, quibus materia eliquabatur, & somnus conducebatur. Vbi uerò in febribus ariditas, & nigredo in lingua apparuerint admodum febrientem molestantes, remedia sunt hæc sequentia.

Expertum est, quòd si lingua aspergatur, & bene fricetur cum saluia, uel maiorana infusa in oxymelle simplici, uel in melle rosato, uel in aqua hordei, & aceto, postmodum ipsi linguæ imponatur sequens mixtura, sublime remedium est, si post lambendo supra linguam ipsa teneatur.

Recip. Aquæ hordei multæ decoctionis, ut melius sit absterßiua unc. ij. mellis despumati drach. ij. sacchari candi unc. i. s. misce, & unica forti ebullitione insimul bulliant, & usui seruetur. Item.

Ad idem, expertum est, si frequenter supra linguam patiens teneat de sequenti mixtura.

Recip. mucillaginis semi. citoniorum, mucillaginis semi. psyllij, seminum maluæ ana unc. s. sacchari candi unc. i. mellis rosati unc. s. sacchari albißimi quantum sufficit, & fiat loch molle. Vbi uerò cum febre iungeretur inquietudo die noctuq;, hortor, quòd cùm talis inquietudo proueniat à materia hinc inde currente per totum corpus, & non relinquẽte ægrum, neq; membra sui in eodem loco, & situ quiescere, quòd omnino materia febris euacuetur, euacuatione quippe minorante materiam, ut natura reddatur potẽtior supra residuum

siduum materiæ cum medicinis securis, & sine molestia euacuantibus, derelinquentibusq; uestigium digestionis in residuo materiæ remanentis: cuiusmodi est electuarium rosarum Mesuæ, electuarium de succo rosarum Nicolai, electuarium de dactilis. Hæc enim electuaria cum hoc, quòd euacuãt minorando materiam facientem febrem, sunt secura sine nocumento. Et ideo dato quòd essemus in primis diebus, ubi iungeretur hæc inquietudo die noctuq;, consulo, ut sine timore minoretur materia sequenti pharmaco.

Recip. Floris cassiæ nouiter tractæ drac. vi. electuarij de dactilis, uel electuarij de succo rosarum Mesuæ drach. ij. s. Quòd si cum his adderetur aliquid reubarbari in utraq; materia, calida scilicet & frigida, non damnarem istum modum euacuandi cum reubarbaro: euacuando enim corpus, confortat membrum à quo euacuat. Facta ista euacuatione quoniã admodum attendendum est huic inquietudini, hortor, ut uesperi antequàm cibum inglutiat, cũ manu madefacta in aqua dulci tepida fricetur leui quadam frictione totũ corpus à spatulis usq; ad plantam pedum, his frictionibus propter aquæ caliditatem actualem, & motum factum aperiuntur porositates corporis, & materia præparatur ad perspirationem, & inquietudo tolletur. Item ad idem expertũ est, & uos maximè obseruabitis remedium sequẽs in inquietudine totius corporis propter febrem. Quòd primitus fiant frictiones cũ panno calido per totum corpus. Deinde leui quadam unctione frigida idem corpus totum ungatur sic.

Recip. Olei de seminibus cucurbitæ, olei de floribus salicis, olei uiolati quantum sufficit. ubi uerò facta euacuatione, & his omnibus, inquietudo non quiesceret, hortor uos, ut fiant frictiones totius corporis cum appositione cucurbitularum,

larum, incipiendo à pulpis coxarum eas scarificando. Deinde ad coxas procedendo, super ascendendo ad spatulas, fiet enim his euacuatio materiæ per cutim & tractus ab intimis eiusdem materiæ ad exteriora. Et hæc de accidentibus contingentibus febribus putridis dicta sint.

DE FEBRE CHOLERICA PVRA à puritate choleræ. CAP. X.

DEVS AVERTAT quòd quis febriens febriciter à cholera pura, non permixta alicui alteri humori, quoniam cum cholera pura uehementis caliditatis, & siccitatis existat, cuius caliditas alienare non refrangitur, accidentia ita sæua ab ipsa procedunt, ut æger sæuitate accidentium, & magnitudine morbi illico deficiat. nihilominus possibili posito in esse quòd aliqua febris sit à puritate cholere. Remedium generale est, citissimè & uehementer infrigidare, iuxta illud principis in quarta primi, & est dictum Galeni in primo artis curatiuæ ad Glauconem dicentis: ad febrem uehementis caumatis uehementer debemus infrigidare. & quoniam quælibet euacuatio, quia cum nocitiuo euacuat aliquid iuuatiui & simul spiritus ipsos. Ideo ex parte sui corpus ipsum infrigidat, ideo hortor uos. In principio huius febris quòd euacuetis, & non phlebotomia, quoniam cum in ea febre peccet pura cholera, & phlebotomia non euacuet puram choleram. Ideo phlebotomia in tali febre non conueniet, & hoc est quod dixit princeps in doctrina de phlebotomia, quòd tunc phlebotomia rapiet bonum, & derelinquet malum, quo fit ut ex phlebotomia in tali casu citius æger moriatur. Expertum igitur est, quòd si à principio euacuetur cholera pura cũ sequenti medicina, est ergo maximè utile, ut

Recip.

Recip. Diaprunis non ſolutiui unc.i. electuarij ſucci roſarum drach.ij.s. miſce, & cum ſaccharo fiat bolus, poſt cuius boli acceptionem in aurora in potu ægrotanti dabis unc. iij.uel iiij.aquæ cucurbitæ, uel citruli, uel cucumeris. nõ mireris ſi hæc medicina ſit eradicatiua, quoniam ægritudo pendet à materia turgente. Cognoſces autem febrem eſſe à puritate choleræ, primo ab habitudine corporis, quoniam ad tactum totum corpus apparet calidum caliditate mordente & acuta, ſitis eſt clamoſa, dolor capitis intenſus, inquietudo, inſtantia uigiliarum, & citrinitas apparens maximè in oculis. Quòd ſi egeſtiones citrinæ igneæ fuerint, & urinæ ſimiliter cum abundante ſubtilitate in modo ſubſtantiæ, iudicium tuum efficietur certius, quòd ſit febris à puritate choleræ, in qua febre cum intenſiuis debes infrigidare corpus: facta præ dicta euacuatione digerere debes materiam cum ſequenti ſyrupo. Cuius uirtus eſt ingroſſare choleram puram, quæ ſubtilis eſt, & eam infrigidare.

Recip. ſyrupi de ſucco limonum, de ſucco granatorum ana drach.vi. aquarum ſeminum communium frigidorum, ſolatri ana unc.i.s. Continuabis ſyrupum febrienti bis in die, in aurora ſcilicet & in meridie. & attende quòd in tempore, quo materiam iſtam concoques, cibabis ægrum lactucis, plãtagine, ſpinachijs, cucurbita, citrulo, & cucumere; quoniã & ſi ſui frigiditate intenſa inimicentur calori, & ſpiritibus humanis, ingroſſant tamen materiam illam turgentem, & furioſam, quo fit, ut febris, & accidentia remittantur. Et attende quòd cùm hæc materia ſit uehementis acuminis, & ſecundum plurimum exiſtat in locis propinquis cordi, uel citiſſimè, id eſt ante ſeptimam, ægrum interficiet, uel beneficio primæ euacuationis, & alterationis factæ, æger liberabitur,

& ideo

& ideo in his non expectabis signa concoctionis. Cùm non det ægritudo inducias ad concoquendum, sed solum ad alterandum. Ideo non eris solicitus ad secundum euacuationem fiendam expectatis signis digestionis præcedentibus. Et hæc est febris illa, quam causonem incensiuum, & mortiferũ medici appellant. Ideo in ea sermonem non prolongabimus, cũ uel nunquam, uel rarissimè huius febris curam attingemus. & ideo de his febribus, quæ secundum plurimum in humanis corporibus sunt uagantes, dicemus in sequentibus.

DE FEBRE CHOLERICA INTERpollata CAP. XI.

ATTENDENDVM est, quod febris cholerica, ut ex primo artis curatiuæ ad Glauconem habetur, duplex est, una continua, de qua iam meminimus. Altera uerò interpollata: quæ & si ab eadem materia ortum trahant: una tamen à cholera putrida facta ad intra uasa dependet. quam continuam proportionalem de cholera nominamus: cuius curationem supra posuimus, & ponemus, cùm loquemur de cura Causonidis. Altera uerò à materia putrefacta ad extra uenas, originem trahit. Et hanc interpollatam, seu intercidentem uocamus. Cuius duo sunt modi. Vnus interpollatæ febris cholericæ puræ, cuius sermonem iam habuimus. Alius uerò est interpollatæ febris cholericæ nothæ, id est spuriæ, quoniam non pendet à puritate choleræ, sed à uitio alterius humoris cum cholera permixti, ueluti phlegmatis, aut melãcholiæ. Et huius duo sunt modi. Vnus qui fit ex mixtione phlegmatis crassi, uel tenuis, & aquosi, & hic est modus febris cholericæ interpollatæ nothæ maioris famæ, quoniam ut in pluribus sic accidit, ut choleræ permisceatur

pituita

pituita. Alter uerò modus est, cùm choleræ admiscetur melancholia. Et dicitur febris cholerica interpollata notha minoris famæ, quoniam ut in paucioribus euenit, quòd febris sit de cholera admixtione melancholiæ, & hæc diuisio etiam locum habet in continuis de cholera. Et nota quòd propter uariam admixtionem aliorum humorum cum cholera, hæ febres à medico exquisitè in malitia, & duratione paroxysmorum non cognoscuntur. Est enim pituita, uel melãcholia humor ineptus concoctioni. Curationem igitur tertianæ interpollatæ nothæ maioris famæ aggrediemur. Cùm igitur febris huiusmodi conditionis erit. Cùm fueris primo accersitus ad ægrum, cognito quippe morbo annotabis primo, si adsit uentris lenitio. quòd si non, sis contentus altero duorum, uel exhibitionis floris cassiæ recenter tractæ. ut

Recip. Floris cassiæ nouiter tractæ drach.x. cum puluere liquiritiæ fiat bolus, & patiẽti exhibeatur per horam ante cœnam uel prandium. quòd si patiens cassiæ assumptionem abhorreat, fiat ei sequens clysterium, ut

Recip. Aquæ hordei, uel aquæ decoctionis maluæ, uiolariæ, uel blitis unc. x. olei uiolati unc.iij. cassiæ tractæ unc.i. sacchari rubei unc.i.s. uitelli oui numero.i. salis communis drach.ij. misce, & fiat clysterium. Deinde considera urinã, & corporis habitudinem in ægrotis, ubi æger fuerit carnosus, & facies plena, cum rubedine, & urina rubea, illico ægrum phlebotomabis, ex basilica lateris dextri tãtus sanguis extrahatur, quantum tolleret robur uirtutis, & ætas. His uerò non apparẽtibus ex parte habitudinis totius, & ex urina, non facies phlebotomiam, quoniã est timorosa, nisi ægro tanti iungeretur fortis dolor, & in forti dolore alijs non apparentibus signis phlebotomiæ, conuenit phlebotomia. ut in

prima

prima particula aphorismorum tetigit Galenus dicens, nullam medicinam esse meliorem in fortissimo dolore ipsa phlebotomia. Facta phlebotomia si expediet, uel non facta, si non apparebunt signa phlebotomiæ, cùm ægritudo det nobis inducias propter humorem pituitosum permixtum choleræ hebetantem actiuitatem choleræ, laudo, ut medicus digerat materiam hanc febrem facientem. Consideret autem in hac digestione fienda medicus qualitatem materiæ peccantis, & modum substantiæ eius, & digerat per applicationem contrariorum: quia etenim materia hæc est calida propter dominãtem choleram, ideo indiget frigido digerente. Et quoniã materia peccans est cum admixtione phlegmatis uiscidi, & hærentis, ideo indiget abstersione. Et quoniam omnis febris materialis pendet ab oppilatione, ideo & digerentia sint oppilationum aperientia, magis tamen sint à principio alterãtia, quàm aperientia. Et ideo expertum est, in digestione materiæ sequentem potionem multum ualere.

Recip. hordei mundi, & non excorticati. p. i. scariolæ, borraginis ana M.s. aceti drach. ij. bulliant omnia in sufficiẽti quantitate aquæ usque ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & de colatura quolibet mane exhibeãtur unc. vi. ipsi patienti cum modico sacchari, & sic eam continuet in aurora, quousq; appareant signa concoctionis materiæ. Vbi uerò patiens decoctiones abhorreret, detur ei ad digerẽdum causam facientem hãc febrem iuxta Auicennã in prima quarti, sequens syrupus.

Recip. Syrupi acetosi simplicis, endiuiæ, mellis rosati colati ana unc. s. aquæ sacchari unc. iij. misce pro una uice. In syrupo acetoso simplici inuenitur uirtus infrigidatiua ratione aceti, & sacchari, & uirtus incisiua, meritò aceti, etiã uir-

u tus

tus hepatis confortatiua, & alteratiua propter syrupum de endiuia, & uirtus absterſiua merito mellis roſati. Continuet ſyrupum iſtum tot uicibus in aurora, quotiens ſigna concoctionis apparuerint, deinde purgetur materia peccans in hac febre, habendo reſpectus hos.

PRIMVS eſt ad materiam peccantem, ſi fuerit cholerica, uel pituitoſa, uel ex his permixta, quoniã tunc debemus euacuare cum medicina reſpiciente humores peccantes.

SECVNDVS eſt ad mineram generationis humorum, quæ eſt hepar, quoniam in euacuando generaliter debemus cuſtodire naturalem uirtutem hepatis, dando medicinam hepatis confortatiuam.

TERTIVS eſt ad uirtutem cordis, ne exhibeamus, ſi poſsibile eſt, in euacuando medicinam irritantem, & perturbantem uirtutem uitalem, ſicut eſt ſcammonea.

QVARTVS eſt, reſpicere conſuetudinem ægrotantis in euacuando. Vbi enim æger non aſſuetus fuerit euacuationi, benigniorem medicinam, & tenuiorem ei cõferre debemus. Si uerò aſſuetus fuerit euacuationibus, magis erimus audentes ad fortiorem dandum medicinam, quantam aſſueti aſſuetos ferunt labores.

QVINTVS reſpectus eſt, ubi materia eſt euacuanda per ſeceſſum, exhibeatur medicina ſeceſsiua. Si uerò per uomitum, uomitiua.

SEXTVS reſpectus eſt, ut in euacuando nunquàm cõtribuamus medicinam uiolentantem uirtutem ſtomachi, ſicut erunt elaterium, ſcammonea ſimplex, coloquintida, & huiuſmodi. His igitur omnibus obſeruatis reſpectibus in præſenti febre eo, quod peccat materia mixta ex cholera et phlegmate, ideo in ea medicinam euacuatiuam phlegmatis, et cholerę

leræ condonabimus, ut reubarbarum quod euacuat cholerã, deinde phlegma, ut dicit Meſue, uel electuarium de ſuccoroſarum, uel electuarium roſatũ Meſuæ cum permixtione certæ quantitatis electuarij de dactilis, uel electuarij indij, ſi materia eſſet putrefacta in locis longinquis à corde, uel electuarium de pſyllio, cuius uirtus eſt euacuatiua choleræ, et phlegmatis, quæ omnes medicinæ cum hoc, quòd euacuant materiam propriam febris, confortant hepar, & quia ſunt medicinæ ſecuræ, in quibus confortatur ſcammonea, uirtus cordis confortatur etiam & roboratur. & quia in ipſis medicinis dictis quædam mitis caliditas inuenitur; ideo erunt & ipſius uentriculi confortatiuæ, ipſumq; roborantes. Poſt igitur primam materiæ digeſtionem in hac febre tertiana notha maioris famæ conueniet ſequens medicina apparentibus ſignis concoctionis.

Recip. Mannæ electæ unc.ij. pro diuitibus, pro pauperibus, floris caſſiæ nouiter tractæ drach. vi. reubarbari electi pro diuitibus drachm. i.s. pro pauperibus uerò, reuponticidrach.ij. infundantur in aqua endiuiæ, & modico uini albi odoriferi, reubarbarum uel reuponticum cum.x. granis ſpicæ, demum fiat fortis expreſſio, & omnia ſimul cũ decoctione communi florum & fructuum, quantum ſufficit, diſſoluãtur, & fiat potus, qui exhibeatur patienti more exhibitionis medicinarum per duas horas ante lucem. Vbi uerò ægrotans prædicta facta concoctione, & euacuatione non præualuerit, more principis in quarta primi, iteratò debes materiam concoquere, & eandem euacuare. hortor igitur, ut ſecunda digeſtione digeratur materia cum ſequenti ſyrupo.

Recip. Syrupi acetoſi de radicibus unc.i. de endiuia, mellis roſati colati ana unc.s. aquarum abſinthij, multum uale

absinthij decoctio in his febribus post septimam, ut princeps in prima quarti, & eam laudat Galenus, tanquam stomachi confortatiuam, & oppilationum aperitiuam: cicoreæ, buglossæ ana unc. i. misce pro una uice. & recordari debes in omni tua administratione de bugloſſa propter cor, quòd in omnibus febribus admodum quæritur: quoniã febris est passio cordis. Sequatur autem patiens prædictum syrupum quousque fiat digestio in materia, quæ remansit post primam euacuationem. Deinde euacuetur hac medicina multum experta.

Recip. Diacatholiconis, est enim electuarium benedictũ, & lenitiuum, quod est conueniens basis omnium medicinarũ solutiuarum unc. s. Mannæ electæ unc. i. reubarbari electi scrup. iiij. spicæ gra. vij. electuarij de dactilis drach. ij. electuarij succi rosarum drac. s. Infundatur reubarbarum eo modo, quo diximus. & omnia cum decoctione communi florum & fructuum dissoluantur, & fiat potus. Sed attende quòd ubi cum febre iungeretur aliqua ipsius thoracis mala dispositio, tunc dissolue medicinam cum decoctione cõmuni pectorali, & exhibeatur patienti modo dicto. ubi uero sub iudiceadhuc lis esset, scilicet quòd febris continuaret, tunc iterato materiam concoque, & cum syrupo magis aperitiuo, & si minus alteratiuo, quia in statu uniuersali febris maiori indigemus apertione & minori alteratione. Detur igitur infrascriptus syrupus.

Recip. Syrupi bisantini cum aceto, nisi fuerit mala pectoris dispositio, tunc enim sine aceto exhibeatur, syrupi de endiuia compositi, mellis rosati colati ana unc. s. aquarum capillorum ueneris, cicoreæ buglossæ ana unc. i. misce pro una uice. Continuet autem patiens syrupum, usque quo apparuerint

ruerint signa concoctionis, deinde purgetur cum sequenti medicina.

Recip. Diacatholiconis unc. i. reubarbari electi drach. i. s. spicæ gran. vii. agarici optimi & electi, scrup. iiij. zinziberis, salis gemmæ, si non affuerit mala pectoris dispositio, ana gran. iii. electuarij de dactilis drach. i. s. infundatur reubarbarum ut dictum est, infundatur quoq; agaricus cum suis correctiuis in oxymelle simplici quantum sufficit per decem horas. Deinde fiat fortis expressio omnium, & cum decoctione communi florum & fructuum quãtum sufficit, fiat potus, & patienti exhibeatur modo dicto. Vbi uerò patiens fuerit à medicinis fastiditus, cõsulo, ut loco medicinæ ei exhibeantur sequentes pilulæ multum ualentes in declinatione febrium uniuersali. ut

Recip. Pilularum aggregatiuarum scrup. iiij. fiant pilulæ cum syrupo uiolato numero vii. & patienti exhibeantur apud diluculum, quibus pilulis, si expediet, in minori dosi acceptis, poteris addere uel reubarbarum, uel agaricum, uel pilulas aureas, uel pilulas de hiera Nicolai, & eas patienti exhibere. Vbi uerò ex præhabitis æger non præualuerit, signum est, corpus febriens indigere maiori apertione, simul cum paulatina euacuatione. Ideo uersus declinationem uniuersalem febris consulo, ut quolibet mane in diluculo patiẽs capiat unam de infrascriptis pilulis immediatè potando sequens Apozima.

Pilulæ sunt.

Recip. Agarici electi, aloës loti, reubarbari electi ana drach. i. masticis, zinziberis, salis gemmæ ana grana v. spicæ grana vii. puluerizentur puluerizanda subtiliter, & cum succo absinthij fiat pasta pilularum. dosis est, numero i.

ro i. ſcrup. unius.

Apozima uerò poſt ipſam pilulam bibendũ eſt.

Recip. Radicum ſœniculi, petroſelini ana drach. ij. cicerum rubeorum unc. i. capillorum ueneris drach. i. s. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ usq; ad conſumptionem medietatis. Deinde colentur, & de colatura.

Recip. unc. v. Syrupi acetoſi diarhodon unc. i. miſce, & detur modo dicto. Vbi uerò ſtante tanta morbi diuturnitate æger non relcuaretur à febre hac tertiana notha, conſulo, quòd duobus diebus continuis prouocetur ſibi uomitus: per hoc enim ſignificatur, quòd cùm tot fuerint factæ euacuationes per ſeceſſum, remanſit materia in ſtomacho euacuanda per uomitum. primo igitur die à debiliori uomitiuo incipiendo per v. uel iiij. horas ad minus ante cibum celebretur uomitus ſequens.

Recip. Aquæ hordei calidæ unc. v iij. ſyrupi acetoſi ſimplicis, uel oxymellis ſimplicis unc. iij. miſce, & detur patienti, retineat uomitiuum in ſtomacho patiens per quartam partem unius horæ. Deinde cum penna intincta oleo prouocet uomitum: ſequenti uerò die eleuet uirtutem uomitiui ſic.

Recip. Aſſaræ baccharæ cum radicibus unc. s. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſq; ad conſumptionem medietatis: deinde coletur facta fòrti expreßione, & de colatura

Recip. unc. vi. oxymellis ſimplicis unc. ij. miſce & detur patienti: ſtet autem patiens cum prædicto uomitiuo in ſtomacho per duas tertias horæ: deinde potet iuſculum pullæ tepidum ad quantitatem unius ſcutellæ, & cum penna oleo intincta prouocet uomitum. Quòd ſi non euomat, aliam iuſculi ſcutellam usque ad quartam ſuperbibat. Si enim materia illa uomitu

la uomitu non eijceretur, certè excerneretur per ſeceſſum.

Et attendite. *Quòd in his febribus non laudo fortiora uomitiua, & excellentiora, quoniam multam ad uentriculum attraherent materiam, & fortè materia febris moueretur ad iteratam indigeſtionem. Et tunc in declinatione febris uniuerſali, morbus reuocaretur ad principium. Vbi uerò cum prædictis æger non ſanaretur,* Laudo tanquam expertum, & bene probatum, *quòd quolibet mane apud diluculum inungatur ei tota ſpina dorſi uſque ad caudam cum ſequenti unguento: & immediatè poſt unctionem bibat ſequẽs Apozima.*

Vnguentum tale eſt.

Recip. *mucillaginis ſeminis citoniorum, mucillaginis ſeminis pſyllij, olei uiolati loti, butyri recentis loti ana unc.i. ceræ albæ quantum ſufficit, & fiat unguentum molle pro ſpina dorſi.* Et attendite. *Quòd iſtud unguentum mirabiliter ualet in febribus eorum, qui non poſſunt, uel non ualent medicinas aſſumere, ut euenit in pueris, & in ſenibus, & ferè ſemper bene me reperi.*

Apozima tale eſt.

Recip. *Summitatum abſinthij benè recentium drach.ij. ciceruum rubeorum unc.s. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ usque ad conſumptionem medietatis. Deinde colentur, & de colatura dentur patienti unc. iiij. immediatè poſt unctionem, & uidebitis mirabile iuuamentum. Vbi uerò cum prædictis non ſanaretur æger. Remedium expertum apud me eſt ſequens, ante aduentum paroxyſmi per v. horas nullo cibo præcedente. detur patienti infraſcriptus potus, quo aſſumpto immediatè ligetur ſequens mixtura pulſibus manuum, & temporum, & pedum.*

Potus erit talis.

Recip. Vini granatorum, uel succi eorum unc. ij.

Mixtura hæc est.

Recip. Vnguenti populeonis unc. i. telæ aranearũ drac. ij. misce, & fiant pilulæ ad quantitatem unius scrup. Et una cuilibet pulsui superligetur, easq; patiens detineat, usque ad tempus, quo timor paroxysmi iam præterierit, & certè sanabitur, & si non sanetur, mutetur patiens de terra in terram, & de aëre in aërem, & prævalebit, si Deo placuerit.

De cavsonide cap. xii.

Dicitvr Causon à caumate seu incendio. Quare dicitur febris Causon, febris incensiua, hanc sententiam habemus ab Hippocrate, & Galeno in quarta particula aphorismorum, cuius febris Causonidis curationem, etsi ex suprà habitis facilè haberi possit, nil minus pro eius curæ complemento præsentem sermonem faciemus. Debes igitur recordari de eo, quòd diximus. Quòd ubi ægritudo secundum acumẽ extremos habuerit labores, tenuissima oportet uti diæta: quod in Causonide usq; ad quartam, confidendo quòd uirtus possit perdurare usque ad statum, æger permaneat sine cibo, uel quod æger sola aqua hordei utatur.

Quòd si cognoueris tu in tempore illo uirtutem ægri indigere cibo, dabis ptisanam hordei colatam. Quòd si hæc non suffecerit ad manutenendum uirtuti, dabis ptisanam non colatam. Quòd si hæc adhuc non suffecerit, eris excusatus eleuare cibum, non tamen extra latitudinem diætæ tenuis, quoniam laudabile est, medicum aliquãdo aliquantisper uirtutem debilitare, & cum hoc ægritudinem propellere. Obseruata igitur hac tenui diæta, medicus applicet se curationi Causonidis,

nidis, ſuppoſita uirtute forti, & diſtinguendo tempora. Si enim fuerimus in principio, penſitet medicus ſupra uehementiam febris, & ſupra corporis habitudinem, & ſupra urinam. Quòd ſi fuerit febris uehementiſſimi incendij cum habitudine corporis ſanguinea, & urinæ rubor cum craſſitie appareat, illico æger eſt phlebotomandus conſentiente ætate et robore. Et incidatur media uena. i. communis, uel baſilica, & non propter hoc debes terreri de dicto principis dicētis: Et caue ne deducas ægrum ad calidorum humorum ebulitionem, quoniam ſigna extant miſſionis ſanguinis. Vbi uerò hæc ſanguinis ſigna non apparuerint, illico à principio æger euacuandus eſt, medicina hac ſoluente humores acutos, & calidos, irruentes ſua turgentia de membro ad membrum.

Medicina hæc eſt.

Recip. Carnium prunorum damaſcenorum numero decem, florum borraginis, bugloſſæ, uiolarum ana M.s. tamarindorum unc.s. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſque ad conſumptionem medietatis, deinde cum colatura diſſolue Caſſiæ fiſtulæ nouiter tractæ unc. s. reubarbari electi ſecundum artem infuſi, additis gran.x. ſpicæ, drach.i. s. diaprunis ſolutiui, uel electuarij ſucci roſarum drach. ij. miſce, cum decoctione communi florum et fructuum quantum ſufficit, fiat potus, & exhibeatur patienti apud diluculum. Facta hac euacuatione præparetur reſiduum materiæ remanentis ad concoctionem, quia materia eſt multi incendij. Ideo indiget multa infrigidatione. Detur igitur patienti ſyrupus ſequens bis in die, & maior, & citior fiet infrigidatio.

Recip. Syrupi de ſucco endiuiæ, de ſucco plantaginis, de ſucco portulacæ ana unc. s. aquarum endiuiæ, plantaginis, portulacæ ana unc.i. miſce. Apparentibus ſignis concoctionis

nis post assumptionem syruporum hortor, ut propter febris uehementiam, & incendium magnum, liberè ægrotanti concedatis potum multæ aquæ frigidæ, iuxta dictum principis prima quarti, & Galeni in xij. methodi curatiuæ, obseruatis conditionibus sequentibus, ne error in medicando contingat.

Prima est, quòd æger non sit decrepitus, quoniam à multa frigiditate aquæ paucitas natiui caloris ipsius decrepiti necabitur.

Secundæ, ut in membris corporis non sit apostema, quoniam præ frigiditate aquæ, materia apostematis magis compingeretur, & inde in apostemate augmentum fieret.

Tertia, ne uirtus totius corporis dicatur esse debilis, quia à frigiditate aquæ, facilè posset debilis calor necari.

Quarta, ut dixit Galenus xij. methodi, quòd materia sit digesta, & nõ cruda, à frigiditate etenim aquæ humores crudi ad maiorem mouerentur indigestionem.

Quinta, quòd febris non sit de causa frigida, quia à frigiditate aquæ adaugeretur causa faciens febrem.

Sexta, ut non sit appilatio manifesta in toto, à frigiditate enim compinguntur, & ingrossantur materiæ facientes augmentum oppilationum.

Septima, ut sit sitis uehementia, quoniam non complebitur actus, nisi stante uehemẽtia appetitus aquæ frigidæ. Modus dandi aquam talis sit, aqua actu ualde frigida offeratur, ut incendium facilè extingui possit. demum ut crescat appetitus ægrotantis ad ipsam, sit hæc medici cautella, aliquando promittere sibi potum aquæ frigidæ, aliquando denegare, inquirendo ab ægrotante, biberes ne aquam frigidam si tibi concederem? quòd si patiens affirmet quòd sic, deneget ipsam

sam medicus, & inde ad modicum dicat, pur si concederem tibi aquam, sicut esset mei intentio, biberes ne? Quòd si æger promiserit bibere aquam, detur multa aqua ex frigidissimo puteo extracta, & tantum de aqua patienti tribuatur, quantum uno haustu solo bibere poterit. hinc uerò ad quartam unius horæ partem, siti reuertente, iterum & secundum haustum aquæ medicus febrienti concedat: demum tertiũ haustum, & sic procedendo quousq; patiens aqua frigida saturatus fuerit: post quod sequetur alterum duorum, aut quòd æger incipiet sudare, & tunc benè cooperiatur pannis, & sudet, & liberabitur: uel mouebitur uehementi motu stomachus per uomitum, iuuetur patiens cum remedijs supra dictis, & liberabitur: uel fluxus uentris excitabitur, & cum clysteribus patiens iuuetur, & sanabitur. & hæc sunt experta in curatione causonidis, cum his quæ in prædictis capitibus dicta sunt.

DE SINOCHA ET SINOCHO.

CAPVT XIII.

SCRIBITVR à Galeno in primo artis curatiuæ ad Glauconem, & in 9. methodi, & in secundo de differentijs febrium. Quòd sanguis in corpore nostro potest abundare sui multitudine, & quantitate, absq; quòd putrefiat, & ex sola sui quantitate, & multitudine prohiberet sui ipsius expirationem. Quo fit ut prohibita euentatione ab eo, ad ipsum cor ascendant uapores mali calidi, & caliditatem præter naturalem accendant in corde, & ab eo ad alia membra corporis permeent & febrem procurent, quam febrem authores Sinocham appellant, quæ est de sanguine non putrefacto: sed sola sui quantitate peccante: & hanc febrem solam

putauit

putauit Galenus esse de sanguine. Vbi uerò sanguis in nostro corpore putrefieret, adhuc seruata sanguinis natura, ex illius putredine fit febris, quam Sinochum appellant. scias tamen horum nominum, scilicet sinocha & sinochus discrimen uti à posteris, à Galeno tamen non curatur, & uno pro alio utitur, asserens, sinocham uel sinochum utrunque cùm febris sit continua, dici dupliciter, scilicet cum putredine et sine putredine, ut uidere poteris secundo de differẽtijs febrium cap. secundo, ubi eas, nomine sinochæ febris, appellat, in nono uerò methodi cap. secundo, tertio, & quarto, nomine sinochi. Est igitur sinochus febris de sanguine putrefacto seruata sanguinis natura, licet ad Galeni scopum in secundo de crisibus capite XII: & XIIII. hoc assentire non debemus, quoniam ut ipse fatetur, & in nono methodi curatiuæ, cum sanguis incipit putrefieri, non est amplius sanguis, sed in naturã choleræ uertitur, propter quod secundum Galenum, non datur febris de putredine sanguinis, quoniam cum sanguis incipit putrefieri, & febrem facit, eam quippè facit de genere choleræ uel atræ bilis. & sic curatio febris sinochi si est cum putredine, ad Galeni mentem explebitur per curationem febris cholericæ, de qua suprà diximus, secundum autem Auicennam prima quarti, & ferè omnes alios authores, febris de putredine sanguinis datur, ad mentem Galeni uerò utrum detur, uel non detur, non est præsentis negotij. Primo igitur curabimus nos sinocham febrem, & dicemus, quòd cùm sanguis sua multitudine peccet, æger à nobis primo regi debet diæta attenuante. ratio est, quoniam cùm talis febris pẽdeat à multitudine nutrimenti, non à qualitate uitiati, sed solã quãtitate. Ideo tale nutrimentum tolli, & attenuari debet, & istud fit diæta tenuissima. Igitur caueat patiens à cibis multiplican-

plicantibus sanguinem. Non dabitis carnes, non oua, parcat patiens totaliter uino, quoniam hæc sunt, à quibus sanguineũ procreatur nutrimentum. Contentetur igitur patiens tribus diebus ab initio morbi sola aqua hordei, uel ptisana. Quòd si fuerit opportunum coactè dare plus de cibo, eĩ detur panatella decoctionis herbæ semperuiuæ, uel plãtaginis, uel portionum cucurbitæ, uel seminũ eius. hoc ideo non quia sanguis sit mala qualitate affectus, sed quoniam sui prohibita traspiratione calefit, & hæc sua frigiditate remittunt illam caliditatem, quam acquisiuit sanguis ex prohibita euentatione. & non sit audax medicus quispiam istis febribus uinum admittere, quoniam sui familiaritate & occulta conuenientia, quam habet cum spiritu & sanguine, plurimum sanguinis generatiuum est. Obseruato igitur debito regimine in tenui diæta, consulo quòd in his febribus stante uentris stipticitate, uel alui strictura cum sequenti clysterio leniatur uenter.

Recip. Pullæ paruæ numero i. foliorum maluæ, uiolarũ, semperuiuæ, uirgæ pastoris, solatri ana M.i. bulliant hæc in sufficienti quantitate aquæ usque ad consumptionem tertiæ partis. Et attende, quòd hæc debent esse eleuata in gradu frigiditatis, quoniam uapores, qui eleuantur à prohibita euentatione sanguinis, sunt admodum calidi, ideo indigent maiori infrigidatione, & de dicta colatura.

Recip. unc. x. cui adde cassiæ tractæ unc. i. olei uiolati, uel de floribus cucurbitæ, si potes ipsum habere, unc. iij. sacchari rubei unc. i. s. salis communis drach. ij. uitelli oui numero i. misce, & fiat clystere, facto clysterio lenitiuo, consulo, ut indubitato fiat phlebotomia ex uena media, seu communi, cùm ipsa euacuet à superioribus, & inferioribus corporis,

& sanguis

& ſanguis ſua quantitate peccat in toto corpore,& non de relinquas hanc phlebotomiam conſentiente ætate, & robore, quoniam cum ſui multitudine ſanguis peccet,phlebotomia eſt multitudinis euacuatiua. Ideo phlebotomia omnino eſt neceſſaria.Sit autem huiuſmodi ferè uſq; ad ſincopem deductiua, quoniam multus ſanguis peccans ſola quantitate, alia non indiget euacuatione, quàm ipſa phlebotomia, quæ phlebotomia cùm ſit huius febris potiſsima curatio, ſit ferè uſq; ad ſincopem ſtante robore, & ætate. Et ideo dicit Galenus: quòd curatio huius febris non eſt apud negligentem medicum, quoniam propter ſanguinis multitudinem, & prohibitam euentationem facilè poſſet uerti in putredinem in effectu, & ſic alius fieret morbus deterior, qui eſſet iuxta Galenum febris continua de cholera, ubi cholera eſſet genita ex putredine ſanguinis. Facta phlebotomia, ſtatuat medicus pro certo, quòd materia peccãs non eſt pharmacia educenda, quoniam ſanguis non educitur pharmacia. ſtatuat quoq; medicus pro certo, quòd in hac febre non indiget digeſtione materiæ, quoniam ſanguis non expectat digeſtionem. Ideo ſi in hac febre medicina exhibeatur, ſit medicina euacuans à uijs latis tãtum ut à ſtomacho, & ab inteſtinis, quoniam etſi non euacuatur materia peccans ſua quantitate ad intra uenas, quæ eſt ſanguis,euacuantur tamen materiæ illæ, quæ fouebant uapores eleuatos propter prohibitam expirationem, & euentationem ipſius ſanguinis oppilantis ſui multitudine. Et ideo medicus non tranſcendat caſsiam, mannam, tamarindos,uiolas, & huiuſmodi, quoniam ipſis propter euacuationem materierum communium minuetur prohibita euentatio ipſius ſanguinis,& ipſe refrigerabitur facta phlebotomia. Demum in hac febre concedamus alterantia caliditatem febrilem, caliditatem

liditatem quoque sanguinis ipsi sanguini acquisitam, propter prohibitam transpirationem. quòd si solam ipsam alterationem, digestionem appellare uoluerimus, in hac febre conueniunt digestiua.

Syrupus conueniens erit hic.

Recip. Syrupi de succo limonum, de succo granatorum ana drach. vi. aquarum acetosæ, rosatæ, plantaginis ana unc. i. Et attende. Quòd in his alterantibus, nedum debet esse uirtus infrigidatiua, sed etiam stiptica, quæ reuellant, uel prohibeant uapores, ne ad cor ascendant. Et expertum est, quòd alteratio per syrupos nedum iuuat in hac febre, uerum & alteratio quæ fit in cibarijs in communi esu, ipsis iuuat ægrotis. Et ideo cum plantagine, cum sumach, cum acetosa, iusculua ægrotantium sunt paranda. Quòd si his æger non curabitur, certè uertetur materia sanguinea peccãs sola multitudine in putrefactionem. Et quia dixit Galenus in secundo de crisibus. Quòd cùm sanguis putrefit, statim in choleram uertitur, ideo fiet febris tertiana continua à cholera ex putrefactione sanguinis, cuius curam habuistis suprà, cùm loquuti fuimus de cura febriũ cholericarum. Secundum tamen sententiam principis, uertetur febris hæc in febrem pendentem à sanguine putrefacto, adhuc stante in forma sanguinis, qui sanguis sic putrefactus, secundum sententiam Galeni in secundo de crisibus, potest aliquando putrefieri putredine irrecuperabili, aliquando recuperabili. Quòd si fuerit multa putredo, secundum Auicennam, quæ reduci non possit, proculdubio æger morietur hac febre sanguinis.

Si uerò putredo sanguinis non fuerit tanta, ut medicus possit eam reducere, tunc febris erit curabilis. Curetur primo per phlebotomiam, ut diximus, secundo per digestionem

in

in materia, non per digestionem sanguinis, sed per digestionem illius humoris fouentis sanguinis putredinem, qui humor maximè cholericus est, & idem euacuetur, quoniam his digestiuis, & euacuatiuis choleræ, relinquetur sanguis suæ naturæ, per quam non impediente altero, reuertetur ad sui naturam putrido abolito, ob quam rem cum digestiuis choleræ, & euacuatiuis in hac febre procedes eo modo, quo diximus in cura febrium cholericarum.

DE FEBRE QVOTIDIANA.

CAP. XIIII.

SCRIBITVR à Galeno primo artis curatiuæ ad Glauconem de febre quotidiana, quam ipse amphimerinam nuncupauit, quòd febris quotidiana omni die corpus affligit, pendẽs à materia pituitosa putrefacta ad extra uenas. Quòd si talis materia putrescens fuerit in locis longinquis cordi, tepidior erit febris illa, & manifestam quietem ostendet. Si uerò fuerit putrescẽs hæc materia pituitosa in locis ualde propinquis cordi, febris ualidior erit sine quiete media, cũ unus paroxysmus intret alium, quo fit, ut potius dicamus quotidianam continuam, quia continuè affligit corpus, quanquam non sit à materia putrefacta ad intra uenas. Et ideo fuerunt aliqui credentes, continuitatem febris quotidianæ esse propter ingressum paroxysmorum ex loco putredinis ualde propinquo cordi, & non tantùm ex materia putrefacta ad intra uenas, licet uerius sit, quotidianam continuam fore tantùm à materia intra uenas putrefacta. Quam febrem interpollatam quotidianam cognoscemus primo ex pulsu, propter enim dominantem materiam frigidam hebetantem motum proueniẽtem à uirtute pulsatili, pulsus à principio tardior,

dior, & rarior erit, quàm in febre cholerica, & dixi in principio, quoniam in augmento, & ſtatu, propter adauctã putredinem acquiritur materiæ maior caliditas, ubi augetur neceſsitas euentationis, & pulſus inſpiſſatur, & uelocitatur. Ideo ſi febrientis ſic pulſus erit talis à principio, in augmento uerò, & ſtatu, in illis diſpoſitionibus adauctus, ſpiſsior, & uelocior erit.

Ab urina ſignificatur febris quotidiana, quoniam ipſa eſt alba in principio, in ea nullum ſignum concoctionis apparẽs. quia enim materia eſt frigida, & frigiditas eſt cauſa albedinis, ideo eſt, quòd in principio urina alba, uel ſubalba exiſtit, in augmento uerò uerſus ſtatum propter adauctam caliditatem ex putredine urina fit rufa, uel ſubrufa, ob quam rem ſi ex parte urinæ apparuerit in febre à principio alba, demum uerò ſubrufa, quotidianam febrẽ iudicabimus: ex parte quoque horæ euentus paroxyſmorum iudicabimus febrem quotidianam, cùm poſt meridiem paroxyſmus ægrum inuaſerit, quoniam incipit motus humorum frigidorum in ueſperi. Cùm igitur prouentus paroxyſmorum in febre hunc ordinem tenuerit, ſcilicet quòd ægrum paroxyſmi inuaſerint poſt meridiem, iudicabis febrem ipſam quotidianam fore: ex parte quoque accidentium eãdem febrem dignoſcere poteris, quoniam non adeſt ſitis ualida, non inquietudo multa, non dolor capitis intenſus, non paraphrenitis, hæc enim ſequuntur caliditatis potius incendium, quod in hac febre non inuenitur, propter frigidam eſſe materiam. & huius febris quotidianæ, cùm cauſa dicatur eſſe pituita ipſa, & pituita generetur, ut dixit princeps in prima primi in de generatione humorum, aliquãdo propter diminutam concoctionem factam in ſanguine, cũ flegma ſit ſanguis diminutè concoctus, ideo attendendum eſt,

quòd si febris fuerit à phlegmate dulci, quod est sanguis diminutè concoctus, putrefacto tamen, aderunt non nulla signa attestantia naturam sanguinis. Si uerò fuerit quotidiana à flegmate uitreo, uel acetoso, quæ supremum gradum in latitudine phlegmatum obtinent, ut frigus, & rigor, & alia accidentia frigidum humorẽ attestantia, erunt intensiora. Quòd si à phlegmate salso hæc ægritudo prouenerit, certè sapit naturam febris tertianæ. Et eius curatio à cura febris tertianæ non multum elongabitur. Vbi scire debes, quòd plerunq; in febre quotidiana accidit, ut unà pars phlegmatis remaneat in intimis corporis, altera uerò in exterioribus corporis existens, cum nondum putrefacta sit, detinet in se frigiditatem illam, quæ phlegmati conuenit, propter quod exteriora corporis admodum frigent. Quæ autem pars in intimis corporis permansit, cùm ipsa facilè putrefiat, in interioribus corporis nimia apparebit caliditas. Quo fit, ut si febris quædam phlegmatica tibi occurrat, qua corporis exteriora frigeant, interiora uerò caleant, hanc febrem epialam nuncupabis, ab epi quod est supra, & algor frigus, quasi frigus supra sit in exterioribus partibus corporis. Si uerò contrà acciderit, scilicet quòd in febre phlegmatica, interius membra frigeant, exterius uerò caleant, significabitur quòd peccat phlegma crassum, & uitreum in partibus interioribus corporis, in exterioribus uerò peccat phlegma salsum, de facili calefaciens exteriora corporis membra. Et hanc febrem ubi interiora frigent, & exteriora calent, lipiriam appellamus. Harum igitur febrium pendentium à phlegmate putrefacto, curam sic habeto.

Cùm curatio uniuersalis ex canonibus medicinæ, quia euacuat multitudinem humorum, præcedere debeat particula-

rem

rem euacuationem eligentem humorem proprium, & determinatum. ideo hortor medicum bene perpendere si in febre quotidiana, si etiam continua fòret, sanguinis missio expediat. Consideret igitur si pituitosa materia peccet sine sanguinis permixtione. quod cognoscimus ex urina alba, cui nihil rubedinis permixtum fuerit, & ex remissione incendij, & aliorum accidentium febris, & sic missio sanguinis omnino prohibenda est, quoniam ex tali sanguinis missione humores frigidi magis incrudabuntur, & ægritudo prolongabitur. Item quoniam sanguinis missio bonum rapiet, & malum derelinquet, rapiet enim sanguinem thesaurum uitæ, & derelinquet pituitam, quæ ex maiori sui copia & abundantia natiuam infrigidabit caliditatem. Neq; turberis de dicto Galeni in undecimo methodi cap. quartodecimo. Quòd in omni febre putrida continua conueniat phlebotomia, quoniam istud uerum habet, cùm materia fuerit sanguini permixta. uel aliter dicere possumus, quòd Galenus in loco dicto solam indicationem assumpsit à putredine, quæ cùm semper addat caliditatem materiæ propter prohibitam euentationem, meritò eius phlebotomia conueniet, cùm sit infrigidatiua. quia tamen indicatio assumpta à materia plerunque maior est indicatione assumpta à putredine; ideo tunc missio sanguinis non est adhibenda. Si igitur non erunt indicia indicantia de mixtione sanguinis cùm pituita, non eris audax supra phlebotomiam fiendam, propter dictum principis in doctrina de phlebotomia: caue ne ægrum ad alterum duorum perducas, aut calidorum ebullitionem, uel ad frigidorum incrudationem. Quòd si apparuerint indicia permixtionis sanguinis cum pituita, tunc ægrum phlebotomabis, sit autem parca, & non copiosa phlebotomia illa, secundum quòd humores frigidi permi-

scentur sanguini, qui non egent euacuatione per sanguinis missionem.

Facta igitur, uel nõ facta sanguinis missione in quotidiana febre, debes præparari ad materiam peccantem corrigendã. Vbi enim materia pituitosa adhuc in principio febris existẽs, esset crassa, & multa, propter cuius crassitudinem timeremus, ne uirtus posset perdurare usque ad tempus completæ maturationis dictæ materiæ crassæ, & multæ, tunc non expectata maturatione, materiam pituitosam euacuabimus euacuatione minorante eius quantitatem, & uirtus tunc redderetur potentior supra residuum materiæ remanentis ad concoquendum, uel ad facilitandum eius expulsionem, ut docuit Galenus in commento illius aphorismi. Cùm morbi inchoãt etc. & hanc sententiam uoluit princeps in quarta primi, capite tertio, cùm dixit. Et ubi non fuerimus securi, quòd uirtus posit durare usque ad tempus completæ maturationis. & per hæc uerba innuit princeps. Quòd si materia in febre quotidiana fuerit crassa, & multa, non erimus excusati ab euacuatione fienda in principio minorante partem materiæ, & ideo oportet medicum scire crassitiem, & subtilitatem materiæ. Quòd si materia crassa fuerit, eam debes subtiliare antequàm euacues. Si uerò crassa fuerit, & multa, ut innuit in principio textus, tunc ante maturationem debes euacuare, si non, contrà, & per hoc habemus mentem principis fuisse, quòd in alio casu, quàm in furiosa materia, ante maturationem debemus euacuare. Quòd si materia ipsa fuerit furiosa, eius euacuatio à principio sit electiua uel eradicatiua. Vbi uerò materia non fuerit furiosa, & à principio indigeat euacuatione, sit eius euacuatio minoratiua. Et attende quòd euacuatio dicitur eradicatiua, uel medicina, nõ quia

quia una uice habet totam materiam eradicare, & à membro euellere, sed quoniam est eius natura totam illam materiam à membro euellere. & in hoc uerificamus sententiã illius aphorismi Hippocratis primæ particulæ, cùm dixit: cõcocta medicari, & non mouere cruda. &c. Quoniam cùm materia fuerit turgens, eam cum medicamento purgante, soluenteq; eradicatiuè euacuare debemus. Et ideo dixit Hippocrates, medicari oportere digesta, & non mouere cruda: neque his duabus partibus scilicet concocta medicari, & non mouere cruda, idem intellexit Hippocrates, neque idem replicat, sed censuit, secundam fere rationem uerificantem primam, ut dicere uelit, oportet medicari concocta, quia non oportet mouere cruda, nisi materia fuerit turgens. Quòd si fuerit turgens, eam eradicatiuè euacuare cõuenit, & à principio morbi. Et adde tu. Et ubi materia non turgeat, & egeat euacuatione, cùm sit plerunque ad intra uenas, à quibus non euacuant clysteria, minorabis materiam, euacuando partem illius, iuxta præceptum Galeni in commento illius aphorismi. Quum morbi inchoant. Et hæc est uera Hippocratis mens, etsi ornatè loquentes aliter dicant à ueritate cadentes.

Vbi uerò in febre quotidiana à principio apparuerint indicia multæ, & crassæ materiæ, consulo, quòd statim non expectata maturatione cũ sequẽti bolo fiat materiæ minoratio.

Recip. Floris cassiæ nouiter tractæ unc.i. spécierum hieræ simplicis Galeni drach.ij. misce, & fiat bolus. neque reputarem ego inconueniens, si loco hieræ, in minoratione materiæ pituitosæ adderẽtur drac.ij. electuarij de dactylis: quoniam etsi in eo ingrediatur scammonea, ipsa tamen est ita consolata, ut eius uirtus non transcendat hepar. quare partem materiæ peccantis, solum euacuabit. uel in forma pilula-

ri, eandem materiam poteris minorare, ut cum ſcrup.iiij.pilularum elefanginarum, uel cum pilulis, quæ etſi ſint eductiuæ, merito naturæ ſui ipſius phlegmatis minorando doſim pilularum tranſibunt in materiam medicinæ minoratiuæ, uerbi gratia, ſi pilulæ cochiæ in doſi quatuor ſcrupulorum erũt euacuatiuæ materiæ pituitoſæ eam eradicando, earum tamen ſi dentur ſcrup.ij. tranſibunt in naturam medicinæ minoratiuæ, quia partem materiæ peccantis euacuabunt. Et ideo non damnabitur medicus ille, qui in quotidiana febre minorabit ipſum phlegma cum duobus ſcrup. pilularum cochiarum, & ſimilium. demum conſiderato dicto Galeni in commento illius aphoriſmi: inchoantibus morbis &c.

Cùm facta minoratione in materia uirtus reddita ſit potentior ſupra reſiduum materiæ remanentis ad euacuandum, uel concoquendum, & materia reddatur habilior ad concoquendum,

Laudo, ut præparet ſe medicus in febre quotidiana ad digeſtionem materiæ pituitoſæ, obſeruato præcepto ſupra dicto. quia enim materia pituitoſa craſſa eſt: ideo indiget ſubtiliatione, quia uiſcida, & hærens indiget inciſione, & abſterſione. Et quia hepar febre uitiatum eſt, propter ipſum eſſe mineram generationis humorum, ideo indiget confortatione, & remiſſione caloris febrilis cum his, quæ ultra hoc, quòd confortent hepar, tollant etiam oppilationẽ ipſius, quæ propriè eſt mater febris quotidianæ. Conſulo igitur, ut à principio detur ſequens ſyrupus.

Recip. Syrupi acetoſi ſimplicis, conuenit enim in utraque materia calida, & frigida, & eſt inciſiuus, ſyrupi de endiuia compoſiti, confortat enim hepar, & tollit eius oppilationem: mellis roſati colati, benè abſtergit pituitoſam materiam hærentem,

rentem, & confortat uentriculum, qui est lacuna phlegmatum, ana unc.s. aquarum betonicæ, ultra enim hoc, quòd confortat caput, obstat materiæ pituitosæ, fœniculi, buglossæ ana unc.i. misce pro una uice. Continuatis syrupis istis quousque signa concoctæ pituitæ apparebunt, detur infrascripta medicina.

Recip. Quatuor florum cordialium ana drach.ij. polipodij quercini, seminum cartami, ana drach.ij. seminum fœniculi, seminum dauci ana drach.i.s. iuiubarum, sebesten, ana numero decem, passularum enucleatarum, liquiritæ mundæ ana unc.s. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ usque ad consumptionem medietatis, deinde coletur, & cum colatura dissolue cassiæ nouiter tractæ unc.i. uel diacatholiconis drach.vi. reubarbari optimi, & electi, quoniam etiam euacuat phlegma, præsertim cùm exhibetur in substantia patienti drach.i.s. spicæ gra.vij. electuarij indij drach.ij.s. & fiat potus, qui patienti exhibeatur per duas horas ante lucẽ, more exhibitionis medicinarum.

Vbi uerò in diebus, quibus concoctio celebratur, patiens haberet aluum strictam, consulo, ut quotidie, uel ad minus alternis diebus fiat ei clysteriũ, in quo sit uirtus incisiua phlegmatis, & eductiua materiæ pituitosæ existentis in intestinis, à qua in uenis fouetur materia faciens febrem.

Clysterium erit sequens.

Recip. Violariæ, foliorum maluæ ana M.s. mercurialis, betonicæ, anisorum ana M.i. furfuris crassi ligati in petia M.ij. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis, & de colatura.

Recip. unc.x. benedictæ drach.vi. hieræ simplicis Galeni unc.s. mellis rosati unc.i.s. olei communis unc.iij. salis cõ-

munis drach.ij. ſacchari rubei unc.i.s. uitelli oui numero i. miſce, & fiat clyſterium. Quoniam autem in ægritudinibus pendentibus à materia pituitoſa, quæ ſecundum plurimum diuturnam cauſat ægritudinem; Ideo conſulo, ut ex præcepto principis in prima quarti, quòd medicus paulatinè concoquat, & paulatinè euacuet. Ideo poſt primã in febre quotidiana digeſtionem,

Laudo, medicum aggredi ſecundam concoctionem cum ſyrupis magis reſpicientibus materiam pituitoſam fortius incidentibus, & abſtergentibus, & oppilationẽ remouẽtibus.

Detur igitur pro ſecunda digeſtione ſequens ſyrupus.

Recip. Syrupi acetoſi de radicibus unc.i. de endiuia compoſiti, mellis roſati colati ana unc.s. aquarum abſinthij, fœniculi, apij, uel hyſſopi ana unc.i. apparentibus ſignis digeſtionis in proceſſu, purgetur materia ſequenti purgatorio, cum prædicta decoctione diſſolue turbith boni, & gummoſi ſubtiliter puluerizati drach.ij. agarici electi infuſi ſecundum artem drach.i.s. reubarbari electi ſcrup.ij. zingiberis, ſalis gemmæ, ſpicæ ana gran.iij. & fiat potus puluerizatis puluerizandis, qui patienti exhibeatur hora dicta.

Vbi uerò paroxyſmi continuarent motum & ordinem ſuum, tunc cognoſcemus reſiduum materiæ remanſiſſe, quod euacuatione indiget, & digeſtione.

Digeratur igitur materia cum ſequenti ſyrupo.

Recip. Oxymellis diuretici, ſyrupi de quinque radicibus, ſyrupi de endiuia compoſiti ana unc.s. aquarum abſinthij, fœniculi, betonicæ, ana unc.i. miſce, deinde apparentibus ſignis concoctionis, purgetur materia cum ſequentibus pilulis.

Recip.

Recip. pilularum de hiera Nicolai, pilularum indarum, p. aggregatiuarum ana scrup. i. turbith subtiliter pulueri-zati scrup. s. misce, & cum syrupo uiolato fiant pilulæ numero v.

Vbi uerò adhuc paroxysmi prosequerentur, significatur mihi, quòd oppilatio est uehemens, & membrorum facultates satis imbecilles. ideo laudatum & expertum est in aperiendo oppilationes, & in confortando uirtutes membrorum, maxime naturalium, quòd exhibitio quotidiana sequentium trochiscorum est admodum utilis, ut

Recip. trochiscorum de absinthio, trochiscorum de eupatorio ana drach. ij. trochiscorum de reubarbaro drach. i. puluerizentur subtilissimè, & cum syrupo bisantino fiant pilulæ numero xxx. Dosis est numero iij. apud diluculum, supra quas immediatè patiens bibat apozimæ sequens.

Recip. iusculi cicerum rubeorum unc. vi. radicum fœniculi, petroselini, asparagi ana drach. ij. bulliant insimul usq; ad consumptionem tertiæ partis iuris. Deinde coletur et modo dicto exhibeatur. Ex his enim pilulis cum suo apozimate, sensibilis fiet apertio, & insensibilis euacuatio. Et sic continuet patiens per decem dies continuos huiusmodi dictos trochiscos. Quòd si adhuc uestigia febris remanserint in ægrotante, sicut huius febris consuetudo est, laudo, ægrum post complemẽtum dictarum euacuationum manè in diluculo ingredi balneum aquæ dulcis calidæ. Præparabitur enim materia ad perspirationem per poros cutis, in quo balneo moram trahat per tempus medietatis horæ.

Demum exeat balneum, & eius corpus pannis calidis optimè abstergatur, deinde immediatè capiat infrascriptum bolum.

Recip.

Recip. theriacæ antiquæ, uel mithridati optimi drach.i. ſacchari roſati drach.i.s.miſce, poſt quem bolum bibat hauſtum iuris cicerum rubeorum, & ingrediatur lectum benè pannis coopertus, dormiat, & ſudabit. Et febris in ſpatio trium dierum euaneſcet.

De febre epiala. cap. xv.

Attendendvm eſt, quòd cùm pendeat hæc febris maximè à phlegmate uitreo, quod phlegma frigidius eſt cæteris,

Ideo in eius cura debemus uti magis caleſacientibus. Verum eſt, quòd oportet obſeruare communem canonem medicinæ. Quòd à debilioribus ſemper inchoandum ſit, ut uirtus aſſueſcat.

Ideo facta una trium digeſtionum ex præcedentibus dictis in hoc capitulo, cum ſua purgatione, conſulo, ut in digerendo phlegma uitreum iterato perueniamus ad ſyrupum de calamento.

Recip. ſyrupi de calamento unc.ij. Aquæ decoctionis cicerum rubeorum unc.iiij.miſce, & patienti dato in aurora.

Continuet autem patiens prædictam potionem per decem dies, quoniam phlegma uitreum indiget lõgiori tempore ſuæ concoctionis: & ideo pòſt euacuetur tale phlegma cum hieris magnis, ut cum hiera Ruffini, & hiera logodionis, & hiera compoſita Nicolai ſic.

Recip. diacatholiconis unc.s. hieræ logodionis, uel Ruffini, uel Nicolai drach.ij. ad conſolandum uerò hieras adde reubarbari electi ſubtiliter puluerizati drach. i. ſpicæ gran. vij. & fiat potus cum aqua decoctionis cicerum rubeorum.

& quo-

et quoniam in hac febre ſtomachus eſt maximè faſtiditus propter phlegma uitreum in eo maximè collectum,

Ideo conſulo, quòd poſt cibationem ægrotantis ei donentur drach.ij. Diacalamenti, uel diatrion pipereon. Sunt enim medicinæ nedum confortantes uentriculum, uerùm & æquantes materiam peccantem. Et quoniam quæcunque conferunt in febre quotidiana in proceſſu uniuerſali, ut diximus, ea conferunt in hac febre Epiala.

Ideo ſi expediet ad illam decurres curationem.

De febre lipiria. cap. XVI.

Cvm pendeat ipſa febris à phlegmate permixto choleræ, iunge intentiones curatiuas quotidianæ intentionibus curatiuis tertianæ, ut ſuprà diximus. Et curabis lipiriam. Quare. &c.

De febre qvartana. cap. XVII.

Qvemadmodvm colligitur ex Galeno in ſecundo de differentijs febrium,

Febris quartana eſt febris procedens à melancholia extra uenas putrefacta, affligens ægrum de quarto in quartũ. Pro quo attende, quòd melancholia ipſa aliquando poteſt putrefieri ad intra uenas, & tunc faciet cõtinuam quartanam, & quia hoc rariſſimè contingit, ut dixit Auicenna in prima quarti, capite de quartana;

Ideo diximus quartanam eſſe interpollatam febrem.

Item attende, quòd febris quartana, quæ pendet à melancholia putrefacta ad extra uenas, habet motum ſui periodi de quarto in quartum, non niſi ex natura & forma ſpecifica humoris melancholici. Et dicant quid uolunt alij, & maximè

ximè Galenus in secundo de differentijs febrium. Et hæc melancholia inuenitur duplex. Quædam naturalis, quæ uerè fæx sanguinis est, quæ cùm exijt naturam sui, & putrefit, generat quartanam de melancholia ab aduſtione ſanguinis. Altera uerò melancholia eſt non naturalis, genita ex aduſtione aliorum humorũ, ut dixit Auicenna in prima quarti, in doctrina de generatione humorum. Quòd ſi naturam traxerit melancholicam ex aduſtione choleræ, dicetur quartana cholerica. Si uerò phlegmatis, quartana phlegmatica. Si melancholiæ, quartana melancholica. Et ideo attende. Quòd ſi cum quartanario periodo apparuerint ſigna ſanguinis, & rubedo, & craſſities urinæ, habitudo corporis ſanguinea, regimen præcedens ſanguinis multiplicatiuum, iudicabis febrem quartanam eſſe pendentem à melancholia genita per aduſtionem ſanguinis, ut dixit Galenus in ſecundo de differentijs febrium, & in undecimo methodi.

Quòd cùm ſanguis exit naturam ſuam, eius ſubtile uertitur in choleram, & ſpiſſum in melancholiam. Si uerò cum eodem periodo quartanario apparuerint ſigna choleræ, phlegmatis, uel melancholiæ, certè iudicabis hanc febrem quartanam ſapere, quid choleræ, uel phlegmatis, uel melancholiæ. Et ſecundum hoc uiam habebis ad curationem omnis ſpeciei quartanæ.

Et attende, quòd etſi quartana febris ſapiat naturam ſanguinis, uel choleræ, tamen ægritudo frigida eſt, quoniam aduſtio ducit humorem ad incinerationem, & inde infrigidationem. Cuius febris quartanæ curatio in duobus ſtat ingenijs: in diæta uidelicet, et in adminiſtratione medicinarum. In diæta quippe obſeruabis diætam febris quartanæ ſemper uergi ad calidum, & ad humidũ, quæ diæta ſit lata ſatis, & abundans,

dans, ſtrictior tamen, quàm conueniat corpori tempore ſuæ ſanitatis. comparatione igitur ad diætam acutorum, minus ſubtiliamus diætam in quartana. comparatione uerò ad obſeruantiam corporis ſibi ipſi ſani, diætam magis ſubtiliamus, ut ex prima particula aphoriſmorum habemus à Galeno, et ab Auicẽna in quarta primi, ubi dicit, quòd in chronicis morbis ſubtiliamus comparatione ad ſanum corpus, minus tamẽ quàm in acutis ſubtiliamus. Conueniunt igitur in quartana, etſi à principio fuerimus, carnes laudabiles, & boni nutrimenti, & facilis concoctionis, ut eſt caro gallinarũ, pullorum gallinarum, caponum, perdicum, faſianorum, hædi, uituli lactantis, & ouium, auium in arboribus degentium. ptiſana conuenit, oua ſorbilia, & bibere uinum odoriferum. Cùm enim ægritudo diuturna ſit, & medicus debet ægrum cibare in ordine ad ſtatum, qui ſtatus cum ualde longinquus ſit, ut poßit uirtus perdurare usque ad ipſum, lautius ægrum cibare debemus. Lactuca, borrago, bugloſſa, fœniculum, petroſelinum. omnia hæc bene conueniunt in febre quartana, quoniam cùm humor terreſtris ſit uias admodum obſtruens, ideo ei conueniunt, quæ humectant, & uias aperiunt. Quantum uerò ad adminiſtrationẽ medicinarum ſcire debes, quòd ſi apparuerint ſigna permixtionis ſanguinis cum melancholia, non denegabimus ſanguinis miſſionem, primo ex baſilica ſiniſtra, ſecundo uerò poſt tres dies ſaluatella ſiniſtra phlebotomatur, hæ enim ſanguinis miſſiones humores aduſtos euacuant, præſertim cùm multi fuerint in corpore, euacuantq; principaliter à receptaculo humoris melancholici, uidelicet à ſplene. Et attende quòd his peractis phlebotomijs uidi ex experientia, quòd ſi poſt ſex dies apponantur hirudines hæmorrhoidibus, ægrum liberari à quartana. Quòd ſi ſigna ſanguinis

guinis non apparuerint, neque permixtionis sanguinis cum melancholia, blasphemanda est sanguinis missio: quoniã peccantem humorem magis infrigidabit, & ægritudinem prolongabit. Ideo ad medicinarum exhibitionem tunc tẽporis transire oportet. & quoniam hæc ægritudo sui diuturnitate dat inducias, ideo consulo, ut prius materia digeratur, nisi timueris tu, quòd a principio materia peccans adeò multa sit, ut propter sui multitudinem in tantum aggrauetur natura, ut digerentia ad actum reduci non possint: quo fit, ut perdatur facultas digerentis, & morbus prolongetur. Quapropter tunc temporis conuenit medicum rectè operando minorare materiam peccantem. dabit igitur à principio medicus in febre quartana minoratiuum sequens.

Recip. diasene lenitiui unc.i. epithymi subtiliter pluerizati drach.i. s. Vnde attende quòd hæc medicina euacuando partem materiæ peccantis, in residuo eius relinquit uestigiũ concoctionis, & ideo puto medicos illos male sensisse, qui in multitudine materiæ à principio negant medicinam minoratiuam, quoniam nõ cognoscunt medicinam minoratiuam adeò consolatam fore, ut post euacuationem partis materiæ residuum eius ualeat concoquere, post uerò ipsius materiæ minorationem, uel ipsa minoratione non præcedente, digeratur à principio materia sequenti syrupo.

Recip. Syrupi acetosi de radicibus unc.i. oxymellis simplicis unc.s. aquarum melissæ, cicoreæ, buglossæ ana unc.i. misce pro una uice. Eo uerò interim, quo materia hæc digeritur, iuuetur natura ad euacuationem materierum communium fouentium materias proprias, sicut cum clysterio alternis diebus facto, ut

Recip. follicul. orum sen æ, polypodij quercini ana p.s. bor

raginis,

raginis, lupulorum, foliorum maluæ, mercurialis ana M.i. bulliant in sufficienti quantitate aquæ usque ad consumptionem tertiæ partis, deinde coletur, & de colatura

Recip. unc.x.confectionis amech non solutiuæ unc.i.hieræ simplicis Galeni unc.s. olei communis unc. iij. salis drac. ij. uitelli oui numero i. sacchari rubei unc.i.s. misce & fiat clysterium.

Vbi uerò patiens non obediret clysterijs, consulo, ut ante prandium per horam detur patienti alternis diebus sequẽs potus.

Recip. iuris decoctionis passularum unc.vi.diasenæ lenitiui, uel Amech non solutiui unc.s.misce, & patienti exhibeatur. Apparẽtibus signis concoctionis, materiæ dico diminutæ concoctionis, cùm in quartana non ita citò appareant signa concoctionis, euacuetur materia sequẽti pharmaco, ut

Recip. florum quatuor cordialium ana M.s. corticũ mirobalanorum indorum unc.s. foliculorum senæ, polypodij quercini ana drach.i.s. bulliant in sufficienti quãtitate aquæ usq; ad consumptionẽ medietatis, Deinde facta fõrti expressione coletur, & cum colatura dissolue diasenæ lenitiui, diacatholiconis ana drach. ij. amech solutiui drach.ij. reubarbari electi drach.i.s. spicæ gran. vij. reubarbarum cum spica subtiliter puluerizetur, & cũ modico uini albi odoriferi irroretur, & sic omnia dissolue, & fiat potus. Facta hac prima corporis mundificatione, quia morbus diuturnus est, ideo consulo per quinque dies continuos, ut patiens per duas horas ante cibum mane capiat sequentem potum.

Recip. Succi borraginis depurati unc.iij. sacchari albissimi drach.ij. misce, et patienti detur tepidus. Deinde itẽrato medicus sequatur ulteriorẽ materiæ cõcoctionem cum sequenti

quenti syrupo in uirtute magis eleuato ad concoquẽdum materiam melancholicam.

Recip. Syrupi de epithymo, syrupi de thymo, de lupulis, de endiuia ana unc.s. Aquarum lupulorum, borraginis, cicoreæ ana unc.i. misce pro una uice. Continuet autem patiens syrupum istum, usque quo appareant signa alicuius digestionis, deinde purgetur cum sequentibus pilulis.

Recip. Pilularum indarum, de lapide lazuli ana scrup. i. pilularum aggregatiuarum drach.s. misce, & cum syrupo uiolato fiant pilulæ numero v. & per duas horas ante lucẽ patienti exhibeantur. facta hac secunda materiæ euacuatione, consulo, ut procedamus ad huius febris quartanæ abolitionem cum his, quæ per me sunt experta, & tolletur febris Deo fauente. Hæc autem sunt.

Primum experimentum est, quod omnibus his peractis si apud lunæ coniunctionem, idest in coniunctione secetur saluatella manus sinistræ, curabitur æger à quartana.

Secundum experimentum est, quòd omnibus præcedentibus actis, si uenæ hæmorrhoidales secẽtur sublimè remediũ est in tollendo quartanam.

Tertium experimentum est obseruandum in die paroxysmi, quòd per v. horas ante aduentum paroxysmi, patiens ponatur in balneo aquæ dulcis calidæ, in quo per horam trahat, & in exitu balnei corpore eius bene abstersо immediatè capiat sequentem bolum.

Recip. Mithridati optimi drach.i. diaborraginati drach. i.s. misce, post cuius assumptionem æger dormiat in lecto per horam. Quòd si sudor in eo promoueatur, bonum est, & sanabitur æger, & sic continuet per vij. dies ante aduentum paroxysmi, ut dixi.

Quartum

Quartum experimentum est, & certè inuentum utile, & expertum, quoniam febris quartana cum eo non transibit decem paroxysmos.

Recip. aquæ uitæ optimæ ex optimo uino distillatæ quater uel quinquies unc.v. pulueris garyophyllorum electorũ drach.i.misce, & in uase bene obturato ponatur, et stet infusio ista per xxiiij. horas, quousque fiat residentia grossi, & fæculenti ab aqua clara, & limpida, quæ colorem uini acquiret, deinde coletur subtile, & limpidum à crasso, & sic utere in die paroxysmi per v. horas ante eius aduentum nullo cibo præcedente ante paroxysmum.

Recip. aquæ uitæ prædictæ unc.s. uini albi dulcis unc.i. misce, & patienti exhibeatur, de parte uerò crassa, & fæculenta mixta cum oleo anethino calido eadem hora inungatur tota spina dorsi, & sic continuando uidebis certè febrem quartanam non transire decimum paroxysmum. Quintum experimentum est.

Recip. Succi borraginis depurati unc.iiij.polypodij quercini, epithymi ana drach.i. bulliant hæc omnia insimul unica fortì ebullitione, deinde facta fortì expressione coletur, & de colatura

Recip. drach.ij. uini albi odoriferi unc.s.misce, & exhibeatur patienti per horam ante aduentum paroxysmi, & est expertum. Sextum experimentum est.

Recip.Succi summitatum absinthij drach.ij. theriacæ magnæ drach.i.uini albi potentis unc.s. misce, & patienti exhibeantur per tres horas ante futurum paroxysmum. Septimum experimentum est.

Recip.epithymi,thymi, polypodij quercini, folliculorum senæ ana drach. i.s. puluerizentur omnia subtilissimè, &

cum ſucco borraginis reformetur paſta pilularum, & ante aduentum paroxyſmi per horam patiens deglutiat tres pilulas illius paſtæ in doſi unius drachmæ. Octauum experimentum eſt, & eſt per me expertum. Quòd ante aduentum paroxyſmi per duas horas patiens capiat drach.i. trochiſcorum ad quartanam deſcriptorum ab Auicenna in quinto canone in antidotario ſuo. Nonum experimentum eſt, cum ſequenti unguento ante aduentum paroxyſmi per duas horas ungatur tota ſpina dorſi ex oppoſito ignis: deinde immediatè ingrediatur lectum.

Recip. olei coſti, olei laurini ana unc.ij. olei caſtorei unc.i. aquæ uitæ optimæ unc.ij. miſce, & bulliant omnia usque ad conſumptionem aquæ, & ipſum uſui reſerua. Et hæc de quartana dicta ſint.

DE FEBRIBVS COMPOSITIS, QVAE emitritei dicuntur. CAP. XVIII.

SCRIBITVR ab Auicenna in prima quarti, quòd febres diuerſificantur ex modo ſuæ conſiſtentiæ. Quædam enim ſimplices ſunt, quæ ex dominio unius humoris putridi tantum procedunt. Et ob hoc Galenus in ſecundo de criſibus, in capite X.XI.XII. non niſi tres ſingulares, & ſimplices febres cõſtituit: uidelicet ex putredine choleræ, uel phlegmatis, uel melancholiæ, quoniam cùm ſanguis putrefit, perdit formam ſanguinis, & eius ſubtile conuertitur in choleram, & craſſum in melancholiam. Quare iuxta ſententiam Galeni, febres putridæ ex modo ſuæ conſiſtentiæ ſingulares non erunt, niſi tres, uidelicet tertiana, quotidiana, & quartana. Et attende quòd humores prædicti uel putrefiunt ad intra

intra uenas,& causant continuam febrem, uel putrefiunt ad extra uenas,et causant interpollatam. Erit igitur singularis febris uel continua à putredine ad intra uasa existente, uel interpollata à putredine existente ad extra uasa. Cùm autem simplicia coniuncta causant compositionem, non erit difficilè inuenire omnes species febris compositæ ex cognitione febrium simplicium in unum coëuntium. Erit igitur febris cõtinua alteri continuæ febri iuncta aliquando, ut febris tertiana continua cum quotidiana continua, uel cum quartana cõtinua. Et quia hoc rarissimè contingit, & si contigerit, ferè semper est mortalis febris. Ideo de tali febre composita sermonem non faciemus, quoniam deplorati solis pronosticis sunt relinquendi. Aliquando uerò iungitur tertiana interpollata cum quotidiana continua. Et hæc est prima species febris compositæ,quam nos appellamus paruum emitriteum, quoniam propter materiam cholericam putrefactam ad extra uenas, & materiam pituitosam putrefactam ad intra uenas, in hac febre non possunt esse sæua accidentia, propter quod dicitur paruus emitriteus, quia paruæ malitiei est. Aliquando uerò iungitur febris quotidiana interpollata cum tertiana continua, & appellatur medius emitriteus. Cùm enim in ea materia cholerica sit putrefacta ad intra uenas, & pituitosa ad extra uenas, sæuiora contingunt accidentia, propter quod in malitia hæc febris composita erit uigentior prima. Et ideo dicitur medius emitriteus. Aliquando uerò tertiana interpollata iungitur quartanæ continuæ, uel econtrà, & hæc febris est tertia species compositarum febrium, quæ maior emitriteus appellatur à sæuitate accidentium prouenientium. uel ex melancholia putrefacta ad intra uenas, uel ex cholera ad intra uenas putrefacta. Quarta uerò species

febrium compositarum, quæ non uerus emitriteus appellatur, est cùm tertiana interpollata iungitur quotidianæ interpollatæ, quarum omnium curam habebis in præsenti capite. Attende tamen quòd signa ducentia te in cognitionem earum febrium compositarum sunt sequentia. Si enim fuerit paruus emitriteus propter materiam cholericam putrefactam ad extra uenas, & pituitosam putrefactam ad intra uenas refrangentem acuitatem choleræ, accidentia febris erunt remissiora, ut sitis, inquietudo, acuitas caloris, paruus rigor, & terminus ipsius febris excedet terminum durationis febris tertianæ singularis, & minuetur à termino febris quotidianæ singularis.

Secundum signum est, quoniam propter pituitam putrefactam ad intra uenas, omni hora percipietur febris in ægrotante. Quòd si de tertio in tertium rigor apparuerit, et si tepidus, certè iudicabis febrem tertianam interpollatam iunctã esse continuæ quotidianæ.

Tertium signum est, quod assumitur ex pulsu, quoniam ex pituita peccante ad intra uenas minuitur acuitas choleræ, ideo pulsus erit minus celer, & minus frequens, cùm pituita merito suæ frigiditatis tardet pulsum, cholera uerò celerem pulsum conducat.

Quartum signum, est caliditas percepta in toto, quoniam minus intensa inuenitur, quàm in tertiana singulari, & magis intensa, quàm in quotidiana singulari. Quòd si bene hæc omnia signa perpendes, cognosces primam speciem febris compositæ, quam emitritcum paruum nuncupamus, eadem quoque uia, & medium emitriteum, & maiorem emitriteum cognosces.

Secundum quod indicia apparebunt humoris magis dominantis

minantis in emitritea febre.

Quòd si signa choleræ magis uigentia erunt, remissiora uerò signa pituitæ, medium iudicabis emitriteum. Vbi uerò ipsius melancholiæ indicia magis uigebunt, maiorem melancholiæ quantitatem indicabunt, & sic maiorem emitriteum dijudicabis: sequuntur enim indicia maiorem quantitatem humoris peccantis, non nego tamen quin aliquãdo æqualia possent esse indicia apparentia, & pituitæ, & choleræ, ut eam innuamus sententiam, quam quidam tenent quartam esse emitritei speciem ex humoribus æquè permixtis æqualia indicia mouentibus: & hæc de signis. Curatio uerò febrium compositarum seu febrium emitritearum per sequentia cognoscetur. Attende igitur primo, quòd febris emitritea difficilis est curationis, ut dixit Galenus primo artis curatiuæ ad Glauconem, quoniam peccans materia crassa est, & inobediens concoctioni. Et ideo dixit Auicenna in prima quarti capite proprio: febrem emitriteam aliquando prolongari usque ad vij. menses: quo fit, ut merito suæ diuturnitatis inducentis debilitatem in uirtute, dicamus emitriteam febrem periculosam esse. Iterum attende. Quòd febris emitritea est febris mali modi, & similis febri epidimiali, eò quia uirtus molestata à malitia duarum febrium admodum debilitatur. Et ideo secundum plurimum accidunt emitriteæ febres tempore pestilentiæ, ob quam rem hortor uos. Quòd in febre emitritea custodiam cordis sollicitetis. Et cum his quæ per intus assumuntur, & extra applicantur confortantibus uirtutem cordis, de quibus sermonem faciemus, cùm loquemur de febre pestilentiali. Item attẽde, quòd febris emitritea quia composita est, indiget cura composita. Hanc sententiam habes à Galeno in primo de differentijs febrium capite viij. &

in.iij. de simplici pharmaco, distinctione tertia, capite tertio. ideo sicut materia peccans in emitriteo est composita ex diuersis materijs, ita & medicinæ ei condonandæ sunt compositæ ex simplicibus diuersis, uel compositis diuersis, respicientibus diuersitatem humorum in emitritea febre peccantium. Item attende, quòd cùm materia febris emitriteæ dicatur esse merito sui modi substantiæ, uidelicet crassitudinis inobediens concoctioni, & euacuationi, hortor uos, ut non una euacuatione tantum sitis contenti totam materiam emitritei euacuare, sed paulatinè digerere oportet, atq; euacuare paulatinè. Et ideo primitus digeramus materiam, & non expectando signa completæ digestionis euacuabimus partem peccantis materiæ, sic enim faciendo securabimus ægrum à debilitate uirtutis, sine molestia materiam euacuando. Item attende. Quòd febris emitritea habet quinq; tẽpora sui paroxysmi, sicut poteritis uidere à Galeno in libro de tẽporibus particularibus paroxysmorum. taceant igitur illi, qui dicunt declinationem non esse partem paroxysmi, quia tunc nõ essent tempora particularis paroxysmi nisi tria, & dicit Galenus, ea esse aliquando quatuor, aliquando quinq;, ea autem tempora emitriteæ febris sunt iuxta Galenum principium, anomalia, augmentum, status, & declinatio. & intelligo per tẽpus anomaliæ inæqualitatem motuum materierum, qua neq; principium, neque augmentum dijudico, sed propter diuersitatem illam motuum apparentium in emitritea febre, tunc non iudicamus esse principium, neq; augmentum. Et hoc accidit ex diuersis naturis diuersorum humorũ peccãtium in emitriteo. Parui igitur emitritei cura est, ut materia primitus concoquatur, & quoniam pituita ad intra uenas est putrescens, cholera uerò ad extra, ideo peccatum in maiori quantitate

titate pituitæ inuenitur in emitriteo paruo. Quare iuxta unum documentum datum, digestiuum debet esse compositum ex digerente pituitam secundum magis, & digerente choleram secundum minus. Syrupus igitur patienti sequens exhibeatur, ut

Recip. Syrupi bisantini, uel syrupi de duabus radicibus unc.i. syrupi de endiuia pro cholera, oxymellis simpl. ad incidendum materiam crassam ana unc.s. aquarum fœniculi, buglossæ ana unc.i.s. endiuiæ unc.s. misce, pro una uice.

Continuetur autem syrupus præsens per septem dies continuos, quia materia non citò obedit concoctioni, eo tamen tẽpore quo digeritur materia, etsi simus in principio morbi, hortor uos ad cordis confortationem, cùm hæc febris sapiat naturam epidimialis febris, in qua uirtus cordis læditur à duplici febre, uidelicet à continua de phlegmate, & ab interpollata de cholera. patienti igitur quotidie applicetur epithema cordiale, & exhibeatur mixtura cordialis eo modo quo dicemus, cùm loquemur de febre pestilentiali. Apparentibus igitur signis concoctionis, etsi non completè, dico non cõpletè, quia propter materiã esse crassam concoctioni inobedientem, non debemus expectare completam digestionem, sed sæpius digerere & sæpe euacuare. dico sæpe euacuare, quoniã propter diuturnitatem temporis, in quo eleuantur multi uapores oppositi & à pituita uidelicet, & à cholera, petentes cerebrum, facilè in patiente emitriteum posset apostema cerebri gigni. Et ideo ut medicus prohibeat illius generationem, solicitet euacuationem magis quàm alterationẽ per extinctiua caloris. Et ideo apparet emitriteum sapere naturã febris pestilentialis, cùm nedum uirtus cordis debilitatur, uerùm & cerebri apostema gignitur. Sunt enim hæc sympto-

mata comitantia pestilentiam. digeramus igitur ante euacuationem, quia materia est crassa, cum syrupo dicto, euacuemus uerò non expectantes completam digestionem, ne fiat quod dictum est. Medicina igitur euacuatiua talis est in emitriteo paruo.

Recip. betonicæ pro capite, fœniculi, absinthij ana M.i. & pro phlegmate, sint in maiori quantitate: rosarum, florum uiolarum ana M.s. hæc pro cholera in minori quantitate. florum buglossæ, borraginis ana p.i. & hæc pro corde, bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem medietatis, deinde coletur, & cum colatura dissolue Cassiæ nouiter tractæ unc.s. pro lenitiuo, turbith boni, & gummosi pro phlegmate in maiori quãtitate drach.ij. zingiberis gran. v. reubarbari electi, pro cholera in minori quãtitate drach.i. spicæ gran. v. Attende tamen quòd cùm in emitriteo paruo peccet materia crassa, quia phlegmatica, pone reubarbarum in substantia, quoniam sic magis crassos euacuat humores. & aduerte, quòd loco turbith, & reubarbari simul in eadem intentione potes ponere in medicina mixturam de diaturbith cum reubarbaro, & ex his potum confícias & ægroto dabis, modo exhibitionis aliarum medicinarum. completa euacuatione per medicinam, iterato materiã concoquere debes, etsi simus in paruo emitriteo, & eleuare digestiua in eadem compositione, & in maiori uirtute ad concoquendum pituitam, deinde choleram. propinetur igitur sequens syrupus patienti.

Recip. Syrupi de quinque radicibus unc.i. oxymellis cõpositi, endiuiæ ana unc.s. aquarum absinthij, fœniculi, cicoreæ, ana unc.i. misce pro una uice. apparentibus signis concoctionis dabis medicinam iam præscriptam excepto, quòd

minoretur

minoretur tertia pars turbith, uel diaturbith, & addatur drach.i.agarici electi in oxymellite ſimplici infuſi, & uidebis uigoroſiorem medicinæ operationem in eductione pituitæ & choleræ. Medij uerò emitritei curam habebis, ſi cauſas facientes ipſius compoſitionem conſiderabis. fit enim ex cholera putrefacta ad intra uenas, & ex pituita ad extra. quare cùm maior humor ſit putreſcẽs tã ad intra, quàm ad extra uenas, à maiori quantitate choleræ pendet medius emitriteus, & à minori phlegmate quapropter & digeſtiua, & euacuatiua in eo magis atteſtabuntur choleræ, quàm pituitæ.

Attende tamen, quòd cùm in medio emitriteo maior ſit timor de generatione apoſtematis cerebri propter putreſcentem materiam cholericam ad intra uenas, medicus debet eſſe ſolicitus in euacuatione illius materiæ, non enim tantam expectat digeſtionem cholera propter ſui ſubtilitatem, quantã expectabat pituita in paruo emitriteo. primo igitur digeratur materia cum ſequenti ſyrupo, ad quem laudo præcedere uentris lenitionem uel cum manna, uel cum caſſia, & tamarindis.

Recip. Syrupi de endiuia, de ſucco acetoſæ ana drach. vi. mellis roſati colati unc.s. aquarum cicoreæ, endiuiæ, bugloſſæ, ana unc.i. miſce: in iſto enim ſyrupo magis uigent reſpicientia choleram, minus uerò pituitam, & ſic exigit medius emitriteus. quinq; aſſumptis de ijs ſyrupis, laudo, ut non expectet ulteriorem digeſtionem: ſed vi. die in diluculo ſequentem ægrotanti condonabis medicinam.

Recip. florum quatuor cordialium ana M.s. tamarindorum, cortícum myrobalanorum citrinorum ana drach.ij. agarici ligati in petia drach.i. bulliant omnia in ſufficienti quãtitate aquæ uſq; ad conſumptionem medietatis, deinde colatur,

tur, & cum colatura dissolue diacatholiconis drach.vi.reubarbari electi drach.ij. spicæ gran.x. turbith boni, & gummosi drach.i.zinziberis gran.v.infundatur reubarbarũ cum spica in aqua endiuiæ cum modico uini albi odoriferi per decem horas. Deinde fiat fortis expressio, & fiat potus, & quia etiam in medio emitriteo propter pituitam redditur materia crassa,ideo consulo, ut paulatinè digeras, & paulatinè euacues. dispone igitur ad iteratam digestionem cum syrupis eiusdem conditionis, uidelicet magis respicientibus bilem, minus uerò pituitam, & non recedas apparentibus signis concoctionis à medicina data. Vnum tamen aduerto: quòd in medio emitriteo frequententur lotiones cum aqua calida decoctionis camomillæ, betonicæ, & rosarum, manè scilicet & uesperi,ut diuertantur uapores à cerebro, quibus in medio emitriteo facilè potest cerebri apostema procreari, laudo quoque ut fiant frictiones propter eandem causam.

Quòd si in medio emitriteo iungeretur dolor capitis, uel delirium aliquod, laudo appositionem hirudinum hæmorrhoidibus: cùm ipsæ etiam diuertant, & euacuent uapores, & humores à capite. Maioris uerò emitritei cura solicitari debet. neque in ea medicus debet esse negligens,& hoc ideo, quoniã maior emitriteus periculosissimus est,ab eo pauci euadunt, & hic est, qui secundum plurimum apparet in pestilentia. quia enim maior emitriteus pendet à melancholia putrescente ad intra uenas,et à cholera ad extra uenas,in eo apparent accidentia horribilia,cùm uterque humor maximè rebellis sit omnibus uirtutibus membrorum principalium corporis nostri. Considerabis igitur in maiori emitriteo maiorẽ quantitatem materiæ melancholicæ putrescentis ad intra uenas, & minorem choleræ putrescentis ad extra. sint igitur

eius

eius digestiua, & euacuatiua magis respicientia melancholiã, minus uerò choleram. syrupus igitur conueniens præcedente uentris lenitione cum diasene lenitiuo, & cassia erit sequens.

Recip. Syrupi de epithymo unc.i. de bugloſſa, de endiuia ana unc.s. aquarum meliſſæ, borraginis, cicoreæ ana unc.i. miſce, aſſumptis tribus, uel quinq; de his ſyrupis, euacuabis cum ſequenti medicina.

Recip. Confectionis Amech non ſolutiuæ unc.i. epithymi ſubtiliter pulueriſati drach.ij. reubarbari electi drach.i. ſpicæ gran. v. reubarbarum ſubtiliter pulueriſetur, & cũ modico uini albi odoriferi irroretur, & omnia cum decoctione florum cordialium, folliculorum ſenæ, & polypodij quercini, & tamarindorum diſſoluantur, & fiat potus. Quòd ſi in maiori emitriteo adhuc malignitas uigeat, ueritatẽ aſtantibus de periculo mortis pronunciabis.

Sequere tamen tu eius curam cum his, quæ dicemus de cura febris peſtilentialis. & hæc de febribus compoſitis dicta ſint.

De febre ethica. cap. xix.

Dixit Galenus in ſecundo de criſibus, capite decimotertio, & primo de differentijs febrium capite nono. Quòd ethica dicitur ab affixione. Eſt enim ueluti qualitas affixa, & habitualis de difficili remouibilis à ſubiecto. de qua loquens Galenus ſecundo prædictionum dixit, ipſam eſſe continuam, quæ propriè in nocte augmentatur. Et in libro de inæquali diſcraſia dixit, ipſam à principio curare difficilè eſſe, in fine uerò nequaquam. Cuius ethicæ curã modo expediemus. de qua loquens princeps prima quarti dixit:

ethicam

ethicam esse febrem continuam in duris particulis corporis existentem, consumentem humiditates omnes membrorum et totius corporis. Cuius duæ sunt species. Vna quæ dicitur ethica febrilis, altera uerò maraſmus. sicut dixit Galenus in his, quæ scripsit de tabe. Nos igitur primo ethicam expediemus febrilem. secundo uerò maraſmum. Et attende, quòd cùm ethica febris sit totius corporis humiditatũ cõsumptio, imaginari debes de humani corporis humiditatibus, sicut de illis repertis in lucerna, quæ sunt tres.

Prima est, oleum circundans totum lychnium ueluti humidum nutrimentale lucentis flammæ in lychnio. secundum est humidum intrinsecatum substantiæ lychnij, quo immediatè fouetur flamma lychnij. tertium est humidum radicale lychnij, quo tenentur partes ipsius lychnij substantiales ad unum. Docet etenim experientia, oleum ex flamma continuè consumi, consumiturq; humidum oleaginum ad intra lychnium consistens. consumitur quoque & substantia ipsius lychnij, quæ incinerando deficit. Sic & in humano corpore tres inueniuntur humiditates, quas princeps in prima primi, doctrina de humoribus. Duas appellauit humiditates, una est ros. & est humiditas ex primis humiditatibus genita, circundans omnia membra corporis nostri, ueluti oleum lychnij substantiam circundabat, qua membra irrorantur, & ipsa uertitur in intrinsecum nutrimentum ipsorum membrorum.

Extat secunda humiditas intrinsecata porris, & meatibus membrorum, quæ de proximo transit in membri substantiam, ueluti nutrimentum in effectu, & dicitur cambium, quoniam immediatè cambiatur in substantia membri.

Tertia uerò humiditas, quæ est quarta de secundis apud

Auicennam

Auicennam, est, qua membrorum partes tenentur, & dicitur gluten, quia glutinat, & adunat partes membri. Ex quibus dictis attendere debes, Quòd tres sunt species ethicæ. Cùm enim ethica sit consumptio omnium humiditatum membrorum corporis nostri, si fuerit consumptio roridæ humiditatis, erit prima species ethicæ, similitudine consumpti olei in lucerna. Et hæc est difficilis cognitionis, & facilis curationis, licet dicat Galenus in de inæquali discrasia. Quòd quælibet species ethicæ à principio est difficilis curæ, quoniã in se quælibet species antequàm noscatur, magis affigitur, & habituatur. quo fit, ut à principio cuiuslibet speciei ethicæ in se propter esse principium difficilè cognoscibile, id idem erit difficile curabile. Cùm autem quælibet species ethicæ à principio nõ curetur, eadem species in processu sui ipsius nequaquam curabitur, & hoc uoluit Galenus: comparatione uerò ethicæ primæ speciei ad alias ethicæ species à principio i. ethica primæ speciei, facilioris erit curæ, & sic dixit Auicenna. Si uerò fuerit consumptio cambij, seu humiditatis imbibitæ membris ad similitudinem consumptionis olei imbibiti in substantia lychnij. Erit secunda species ethicæ, quæ est facilioris cognitionis quàm prima, & difficilioris curationis. Si uerò fuerit consumptio hnmiditatis glutinis ad similitudinem consumptionis humiditatis radicalis lychnij, dicetur tertia species ethicæ, quæ facilis est cognitionis & difficillimæ curæ.

Et attende. Quòd indicia, quibus facilè poteris cognoscere hanc ethicam febrilem sunt hæc.

Primum assumitur ex modo caliditatis præter naturalis apparentis in toto, quoniam uniformis est, & æqualis, non plus affligens uno die, quàm altero, quantum est ex parte qualitatis

qualitatis caliditatis ethicæ, & dico hoc, quoniam in aliqua horarum inuenitur corpus ægrum magis alteratum & calefactum, & hoc ex parte dispositionis membri & rei, ei extrinsecus contingentis. & propter hoc est secundum signum ethicæ, quod paulo post cibum ethicum corpus magis manifestè inflammatur: & ratio est, quoniam cùm membra ex caliditate ethica, facta sint calida & sicca, humidum nutrimentale ex cibo acquisitum superincendit talia membra, sicut cũ humidum aqueum superaspergitur calci calidæ & siccæ.

Docet enim experientia, quòd ab illo humido aqueo supra calcem proiecto eleuantur fumi circundantes aërem calefacientes. ita & humidum cibale attingens membra ipsius ethici, est hæc causa quare ab illis membris eleuantur fumi totum corpus inflammantes magis.

Et ideo tertium signum febris ethicæ, quòd post refectionem rubescunt maxillæ, quia maximè uapores illi uergunt ad faciem.

Quartum indicium ethicæ febris est, quòd caliditas ad tactum, in primo tactu apparet mitis, & non acuta, neque mordicatiua. ratio est, quia caliditas ethicæ est concentrata in membris & duris particulis.

Ideo longius distat à sensu tactus. Quòd si tactus perseueret in processu, apparebit calor magis acutus & mordicatiuus. Cuius oppositum contingit in febribus putridis, à primo enim tactu in his acutior, & mordacior percipitur caliditas, quia in humoribus inuenitur, & in partibus mollioribus.

Quintum uerò signum assumitur ex parte pulsus. est enim pulsus rarus, tardus, & paruus, & hoc propter debilitatem uirtutis pulsatilis. durus uerò inuenitur hic pulsus propter

pter duritiem arteriæ, quoniam caliditas ethicæ inuenitur in solidis particulis.

Sextum signum assumitur ab urina, oculi enim oleagini apparent in urina ipsa, quia significatur consumptio humiditatis, quæ fit in omni specie ethicæ.

Septimum signum sumitur ab habitudine corporis, quoniam tangendo cutis apparet arida, quoniam continuè corpus exiccatur propter cõsumptionem omnium humiditatum omnium membrorum.

Attende tamen, quòd ea, quæ dicta sunt indicia ethicæ sunt solius ethicæ, & non ipsius commixtæ cum putrida febre: si enim putrida iungitur ethicæ, confunduntur signa.

Quare oportet te benè perpendere cuius putridæ commixtæ ethicæ sint indicia, an tertianæ, an quotidianæ, an melancholicæ. Et secundum hoc habebis uiam ad curationẽ putridæ iunctæ ethicæ, quæ propter esse periculosiorem non dantem nobis inducias, ueluti dat ethica, curationi putridæ prius debes attendere, non neglecta tamen cura ethicæ. ex dictis quoque signis facilè poteris deuenire in cognitionem causarũ ethicæ. Cuius sunt causæ procatarticæ, seu primitiuæ. Et sunt quæcunque extrinsecus contingentia corpori humano nimium supercalefaciunt, sicut fortis calor solis, & fortis calor balnei, & comestio rerum ualde calidarum, & exiccantium, sicut sunt piperata, ab his enim in membris totius corporis figitur caliditas, & siccitas concrescit. Quo fit, ut corpus tabidum remaneat. Quapropter quæcunq; corpori humano extrinsecus adueniunt: in summa nimium calefacientia, & exiccantia illius membra, sunt ethicæ febris causæ procatarticæ. Causæ uerò ethicæ præcedentes aliæ sunt, & sunt quæcunque intrinsecus corpori contingunt

tingunt calefacientia, & exiccantia totum corpus, ſicut febris ephimera, quæ eſt caliditas, & ſiccitas maximè humidũ conſumens. Cùm enim in ea ſpiritus incenduntur, permeántque ſpiritus ad omnes corporis minimas partes, earum humidum facilè conſumere poſſunt. & hoc eſt, quod facilè ex ephimera fit ethica, febris quoque putrida poteſt eſſe cauſa ethicæ præcedens, cùm etenim diuturno tempore perſeueraverit putredinalis calor in humoribus, humidum conſumit, & ut idem calor conſeruetur, uertit eius operationem in humidum membrorum, quo diſſoluto, fit ethica. Cauſa uerò coniuncta, quam contentiuam appellat Galenus, eſt caliditas exiſtens in particulis ſolidis totius corporis, quæ continuè agens in humidum ipſorum membrorum ipſum exiccat, & totum corpus tabidum reddit. Curatio uerò ethicæ febrilis ſic habetur.

Primò attende. Quòd ſi ethicæ febrili iungatur febris putrida alicuius generis, primo debes attendere putridæ nõ derelinquendo ethicam. Ratio eſt, quoniam medicus debet attendere ei, quod magis ſuſpectum eſt. Cùm autem putrida ſit magis ſuſpecta: quoniam ethica dat moram, & inducias, quam non dat ſic putrida.

Ideo primo debes putridæ attendere, & recordari de auxilijs, quæ diximus in ſuis capitibus proprijs.

Item attende. Quòd medicus in ethica ſimpliciter non debet attendere euacuationi humorum, quoniam peccatum eſt in membris, non in humoribus.

Ideo debet ſolis alteratiuis caloris ethicæ, & humectatiuis ſiccitatis membrorum contentari. Igitur cùm cura ethicæ conſiſtat in infrigidando, & humectando. primo expedit, ut cures ethicã cum cibis infrigidatiuis, & humectatiuis.

Et

Et attende. Quod ubi esses coactus uti calidis in ethica, sicut uino uel aqua carnis, & huiusmodi, fac, ut præcedant infrigidatiua, & ideo uinum absolutè ethicis denegandũ est, nisi ei iungeretur uirtutis debilitas. Si igitur uinum dare ethicis esses coactus, recordare ipsum limphare cũ aqua seminum communium frigidorum: & sit uinum pauciserum, ferè in omnibus dispositionibus aquæ assimilatum, de quo uino loquitur Galenus tertio de ratione uictus in acutis commento primo. Quòd si sine uino ethicum ipsum poteris sustentare, eius potus sit aqua hordei non multæ decoctionis, uel sequens potus facilè ethico exhiberi poterit.

Recip. Aquæ seminum communium frigidorum, uiolatæ endiuiæ, lactucæ ana lib. i. seminum endiuiæ, scariolæ, portulacæ, ana drach. ij. iuiubarum, sebestẽ ana numero xx. bulliant omnia inuicem in sufficienti quantitate aquæ, deinde coletur, & cum saccharo quantum sufficit, fiat iuleb longum, de quo iuleb bibat sine misericordia, cibaria uerò ipsius ethici similiter sint frigida & humida, ueluti est ptisana. Est enim cibus admodum conueniens ipsi ethicæ, infrigidat enim & humectat, & licet hordeum dicatur esse siccum, ipsum tamen propter elixationem fit humidum, & maxime conuenit ipsis ethicis tempore uespertino, cùm somno calore naturali intrinsecato agente in ipsum melius disseminetur per omnia membra corporis nostri ad ea magis humectanda.

Secundus cibus sit assumere paruam pullam, & ipsam depilatam, & euisceratam: diluatur cum aqua seminum communium frigidorum, & uiolarum, in qua aquà stet per 5. horas pulla infusa, deinde ad ignem lentum ponatur, & elixetur in aqua communi, in qua ponãtur fòlia lactucæ, endiuiæ, scariolæ, seminum papaueris ana p. s. decocta uerò pulla, pa

tiens illius carnes comedat, uel denſas, uel contuſas. ferculum uerò eius ſit ex dicto brodio, in quo concoquatur farinæ amidi, farinæ hordei ana p. s. ſacchari albißimi unc. s. lactis amygdalarum dulcium unc. i. ſine ſale patienti exhibeatur.

Tertius cibus ipſius ethici eſt talis.

Recip. Succi cucurbitæ, uel cucurbitæ optime contuſæ unc. iiij. lactis amygdalarum dulcium unc. ij. farinæ amidi unc. s. ſacchari optimi unc. i. miſce, & coquantur omnia in iure paruæ pullæ, & patienti ethicam exhibeatur mane, & ueſperi.

Quartus cibus eſt, ut accipiatur medulla panis, & infundatur uaccino, uel caprino per 6. horas, deinde coquatur in lacte amygdalarum dulcium quantum ſufficit, addendo emulſiones ſeminum papaueris albi, & ſeminum communium frigidorum ana unc. s. & cum ſaccharo fiat ferculum ſine ſale.

Quintus cibus eſt, aſſumere caudas cancrorum, & eas infundere in lacte uaccino per 6. horas, deinde in lacte eodem cohcoquere huiuſmodi caudas, cui adde lac amygdalarũ dulcium, emulſiones ſeminum papaueris, & ſeminum communium frigidorum ana unc. s. & cum ſaccharo quantum ſufficit, fiat condimentum.

Sextus cibus eſt, capere teſtudinem nemoralem, & cum aqua calida eam ſeparare ab oßibus ſuis extrinſecis, deinde eam euiſcerare cum aqua uiolata & ſeminum communium calidis bene diluere. demum in lacte uaccino infundatur per noctem caro dictæ teſtudinis. poſt uerò cum portionibus cucurbitæ recentis in lacte uaccino coquatur, & cum ſaccharo quantum ſufficit, fiat condimentum, patiens uerò comedat carnem teſtudinis, & cum lacte decoctionis dictæ teſtudinis

dinis conficiat ferculum.

Septimus cibus est, capere limacias, & eas benè diluere cum prædictis aquis, deinde eas coquere in lacte uaccino, & cum lacte amygdalarum dulcium & saccharo fiat condimentum, & recordare, quòd lac in omni administratione est cõueniens ethicis, & lac præcipuè à quo extractum est butyrum, cùm butyrum facile inflammet. Laudo igitur ad modũ Galeni in quinto metbodi curatiuæ lac humanum pro cibo ipsis ethicis. Conuenit enim & præcipuè cùm sugitur ex mamilla mulieris nutritæ ex cibis infrigidantibus, & humectantibus ut ex lactucis, ex hordeo, ex lacte seminum mellonum, & ex carnibus alteratis cum his, post uerò lac asininũ multum ethicis ualet, infrigidando, humectando, & nutriendo, dum sit lac recenter mulctum & cum sua caliditate bibitum. Quòd si febris putrida ethicis iungeretur, non ita laudo lactis exhibitionem in ethicis propter putridam, cui inimicatur lac, iuxta illud Hippocratis: lac dare caput dolentibus, & febrientibus malum. contentetur igitur ethicus cũ putrida febre, ptisana, & alijs cibarijs dictis, in quibus non administratur lac.

Octauus cibus talis est.

Recip. pulparum caponis carnosi, & non pinguis numero ij. infundantur in lacte uaccino per diem, deinde optimè contundatur caro, & cum aqua seminum communium frigidorum, cui misce farinæ hordei p.s. lactis amygdalarum dulcium unc.i. emulsionis seminum papaueris drach.ij. saccbari quantum sufficit, & fiat condimentum. Laudo quoq; ratione humectationis. Quòd ethicus comedat, uel deglutiat succum fructuum frigidorum, & humidorum, sicut sunt poma, quorum pomorum succum deglutiat propter intentionem

tionem dictam, & cucurbitæ conuenit, & citruli, si stomachus tolerabit, & succus cucumeris, de mellonibus autẽ res est suspecta, quia cito acetosantur in stomacho.

Post diætam, quam magnoperè debet medicus obseruare in cura ethicæ, licet aliquando ipsi ethico condonare syrupos infrigidatiuos & humectatiuos, sicut est syrupus de papauere, uiolatus, de nenufare, de endiuia, de portulaca, & huiusmodi.

Expediet enim ethicum frequentare sequentem syrupum.

Recip. Syrupi de papauere, uiolati, de endiuia ana unc. s. aquarum seminum communium frigidorum, lactucæ, uiolarum ana unc. i. misce. & quoniam huiusmodi syrupi non contribuuntur ethico merito digestionis materiæ, sed solum merito infrigidationis, & humectationis habituatæ materiæ calidæ, & siccæ acquisitæ membris ipsius ethici, ideo post syrupos non tẽtabit medicus euacuationem per pharmacum, neque in ethico expectamus apparentiam signorum digestionis. Si tamen ex inordinato uictu ethicus pateretur uentriculi & intestinorum plenitudinem, qua & foueretur mala natura habituata ipsi ethico, tunc consulo medicum posse euacuare à uijs latis cum manna, uel cassia. Quòd si non contentetur de his dictis, procuret medicus impositionem clysteriorum, in quibus sit uirtus nutritiua, & alteratiua malæ complexionis calidæ, & siccæ. Quorum unum tale est.

Recip. iuris pullæ paruæ bene carnosæ unc. x. in quo bulliant, seminum papaueris, florum nenufaris, uiolarum lactucæ, maluæ ana M. i. deinde coletur, & colaturæ adde olei uiolati unc. iij. sacchari albissimi unc. ij. mellis uiolati unc. i. s.

unc. i. s. ſalis communis drach. i. s. uitelli oui numero i. & conficiatur clyſterium.

Item, expertum eſt, ſequentem mixturam multum conferre ethico, ſi eam pluries in die capiat.

Recip. *conſeruæ uiolarum, conſeruæ nenufaris, conſeruæ portulacæ ana unc. i. amidi, dragaganti ana drach. i. miſce, & cum modico ſacchari albiſſimi fiat mixtura.*

Item, ſequens mixtura multũ laudatur ethicis.

Recip. *emulſionis ſeminis papaueris albi, emulſionis ſeminum communium frigidorum ana unc. ij. ſucci lactucæ depurati, ſucci endiuiæ, ſcariolæ ana unc. s. ponantur ad ignem lentum, & cum ſaccharo albiſſimo quantum ſufficit fiat mixtura.*

Item ex experientia compertum eſt, ſequens unguentum ſanare ethicos febrientes, cum quo tota ſpina dorſi, & dorſum, & thorax, & utrunque latus hypochondriorum ungatur.

Recip. *mucillaginis ſeminum citoniorum, ſeminum pſyllij, ſeminum maluæ ana unc. i. lactis mulieris puellam lactantis & parturientis unc. i. s. gummi arabici, dragaganti ana drach. i. butyri recẽtis ſine ſale loti, olei uiolati loti ana unc. i. s. ceræ albæ quantum ſufficit, & fiat unguentum molle.*

Item compertum eſt, quòd in ethica multum attenuante corpus humanum, ſequens balneum ſtomacho ieiuno multum confert.

Recip. *Gallinarum pinguium depilatarum, & euiſceratarum numero iij. capitum caſtratorum pinguium numero ij. uiolariæ, lactucæ, endiuiæ ana M. i. florum nenufaris M. ij. capitum papaueris albi nu. xx. bulliant omnia in 200. lib. aquæ uſq; ad conſumptionem carnium gallinarum, & capi-*

tum castratorum. deinde coletur: & sic procede, pone aquã illam in tina non multum calidam, sed infra tepiditatẽ, ne calore balnei incendatur caliditas ethici, & siccitas concrescat. Deinde ingrediatur ethicus balneum dictum, & in eo trahat moram per horam, ante tamen ingressum immediatè leues ipsi ethico fiant frictiones, ut balnei humiditas facilius ingredi possit usque ad solida membra, post uerò exitũ à balneo immediatè inungatur totum eius corpus cum oleo uiolato, ut sui unctuositate claudat porositates exteriores corporis ethici, ne humidum intus acquisitum exire ualeat, & etiam humectabitur corpus ethici ab humiditate olei uiolati, & à detento humido intus ipsius balnei. & quoniam ultra humectationem indiget ethicus febrius restauratione totius corporis, & omnium membrorum.

Ideo expertum est, sequens electuarium multũ ethicis valere, si bis in die mane, & vesperi vnam comedat vnciam.

Recip. Carnis pulparum caponis, carnis testudinis nemoralis, ana lib.s. optimè coquantur, & contundantur, & dissoluantur cum aqua uiolata quantum sufficit, deinde adde gummi arabici, amidi, dragaganti ana drach.ij. lactis amygdalarum dulcium, lactis seminum mellonum ana unc.i.s. seminum endiuiæ, lactucæ, portulacæ, seminum citoniorum ana drach.ij. seminis cucurbitæ, cucumeris, citruli ana unc.i. succi liquiritiæ ana drach.i.s. contundantur semina contundenda, & puluerizentur puluerizanda, & cum saccharo albissimo fiat mixtura.

Item recordari oportet, quòd patiens ethicam sollicitet potum lactis, uel mulieris, uel asinini, uel caprini. ouinum quoque lac & uaccinum non sunt praua in curatione ethi-

cæ,

cæ, cùm in omnibus his lactibus sit intentio infrigidationis, & humectationis. Et hæc de ethica febre.

De marasmo. cap. xx.

Dixit Galenus in libro de marasmo. Quòd marasmus interpretatur tabefactio, uel arefactio, seu consumptio totius corporis propter malam complexionem frigidam & siccam acquisitam membris totius corporis, & ideo ad hanc similitudinem dicitur marasmus ethica senectutis, cum temperatura senis sit frigida, et sicca naturalis. Vnde sicut in sene uiget frigiditas, et ferè totus calor naturalis deficit, cuius caloris naturalis defectus est propter consumptionẽ humidi ipsius senis. ideo et humanum corpus dicetur marasmatum, quando uigebit frigiditas, ferè propter totam consumptionem caloris naturalis, et augebitur siccitas ex consumptione humidi radicalis, et propter hoc corpora patientia ethicam senectutis semper ad tactum frigida apparent, et ipsa net frigiditas in toto corpore percipitur, apparente quippe in eis arida siccitate, et ex his poteris cognoscere causam contentiuam ipsius marasmi, quoniam est mala temperatura frigida, et sicca in toto corpore percepta sine febre, assimilata temperaturæ naturali senis. habes quoque magnam difficultatem curationis marasmi, cum assimiletur complexioni senis frigidæ, et siccæ, propinquæ morti.

Ideo si marasmus curari poterit, curabitur per inductionem temperaturæ contrariæ temperaturæ ipsius marasmi. procurabis igitur in cura marasmi administrationem calidorum, et humidorum, calidorum quippe, quoniam in marasmo dominatur frigiditas: humidorum uerò, quia in marasmo

dominatur arida ſiccitas.

Summa igitur curationis rerum ipſius maraſmi eſt per nutrientia, quæ nutrientia per os exhibentur, ſicut optimæ carnes boni nutrimenti, & facilis concoctionis, ut ſunt carnes caponum, faſianorum, perdicum, francolinorum, uituli lactantis iuuenis, cuniculi, hœdorum, & his ſimiles, non negligendo potum iuris pinguis dictorum animalium pluries in die potati, nutrietur quoque patiens maraſmum, nedum per ea, quæ aſſumuntur per os, uerùm per ea, quæ imponuntur per clyſteria.

Et ideo hortor uos in curatione maraſmi. Quòd bis in die mane, & ueſperi ſtomacho ieiuno imponatur ſequens clyſterium.

Recip. Iuris caponis benè pinguis, uel cuiuſuis alterius animalis boni nutrimenti lib. i. uitelli ouorum numero ij. ſachari albiſſimi unc. i.s. ſine ſale, & ſine ſpeciebus aromatiis acutis imponatur clyſterium. ſal enim, & ſpecies irritant uirtutem inteſtinorum ad expellendum, & hoc non expelit, ubi tentamus nutritionem cum clyſterio: attrahẽt enim inteſtina ſuccũ ipſius clyſterij per meſaraicas ſuas, per quas portabitur nutrimentum illud uſque ad hepar: & nutriet in tantum, quòd uidi ex experientia maraſmatum maximè ſaluari, & reſtitui cum clyſteribus iſtis. laudo quoque ut ferè omnia condimenta maraſmato cum lacte condonentur, & præcipuè potagium ſequens, quotidie in diluculo ipſi maraſmato exhibitum.

Recip. Lactis ouini, uel caprini, uel uaccini quomodo haberi poſſit lib. i. uitelli ouorũ numero iij. Vini albi dulcis unc. iiij. miſce, & bene ad inuicem ducantur, & agitentur, & ad lentum ignem coquantur ſemper miſcendo ne oua denſentur, & ægro-

& ægrotanti maraſmato totum exhibeatur. præter hæc ex experientia compertum eſt, quod balneum calidum, & humidum, quod patiens quotidiè ingrediatur, eſt admodũ conueniens, humectando enim nutrit totum corpus per ingreſſum humiditatis nutritiuæ per poroſitates totius corporis.

Balneum eſt tale.

Recip. Capones pingues, & pingues gallinas, & capita caſtratorum pinguium numero ij. pinguedinis caſtrati propè renes exiſtentis lib. ij. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ pro balneo totius corporis uſque ad conſumptionẽ carnium dictorum animalium & capitum caſtratorum, deinde coletur, & ſtomacho ieiuno in tinam ingrediatur corpus maraſmati, immediatè uerò poſt exitum balnei, patiens comedat duas portiunculas panis infuſi in lacte ouino calido, & bibat inde lac, & ipſo exiccato leuiter non multum fricato, ne unctuoſitas auferatur à cuti his, ingrediatur lectum calidum, & dormiat, cùm ſomnus ſupra cibaria boni nutrimenti faciat ad citam impinguationem. laudo quoque, quod maraſmatus quotidie mane, & ueſperi ſugat lac à mamillis pulchræ puellæ ſanguineæ temperaturæ, iuuenis decem & octo annorum, nutritæ cibis calidis, & humidis per modum dictum. & hæc de maraſmo dicta ſint.

DE FEBRE PESTILENTIALI.

CAP. XXI.

De febre peſtilentiali ſumus dicturi in præſenti capite, quæ propter magnitudinem morbi & ſymptomatum ſæuitatem indiget magno ſtudio, & magna medici ſollicitudine, & prudentia. quæ febris à principe prima quarti appellatur febris mali modi, cùm latenter ægrum percutiat, & ipſum

& ipsum necet. Dixit enim princeps, febrem hanc exterius corpus quietare, interius uerò admodum ipsum perturbare, & in ea, corpora ægrotantia secundum plurimum perdunt.

Attende igitur primo, quòd apud authores inueniuntur hæc omnia, pestilentia, epidimia, & undemia. Est enim pestilentia corruptio aëris propter prauam et occultã qualitatem, qua accidunt diuersæ ægritudines in diuersis, & uarijs indiuiduis, etsi diuersorum generum. inuenitur igitur pestilentia, & in hominibus simul & in generibus animalium brutorum.

Epidimia uerò est corruptio aëris ob prauam & occultã qualitatem, qua plures contingunt ægritudines in indiuiduis solius unius generis, & sic epidimia uel erit in indiuiduis humanis tantùm, uel in alijs indiuiduis animalium brutorum unius generis solius. Et hic morbus apud Galenũ cum cõtingit indiuiduis humanis morbus appellatur uulgaris, quoniam ex contagio per uulgum uagatur.

Vndimia uerò est corruptio aquæ, & terræ ob prauam, & occultam qualitatem eis iunctam. & attende, quòd licet propriè ista nomina sint diuersa; à Galeno tamen, et ab Auicenna pro nominibus synonymis capiuntur. ex his etiam habere poteris differentiam inter morbum pestilentialem, & epidimialem, & undemialem. quoniam morbus pestilentialis simul in pluribus indiuiduis plurium generum inuenitur ex corruptione aëris ob prauam, & occultam qualitatem. Et attende quòd in pestilentia etsi aër corrumpitur, non corrumpitur tamen secundum sui substantiam, sed corrumpitur per qualitatem ei iunctam. Et ideo dicitur pestilentia, uel epidimia aëris corruptio qualitatiua, & non substantialis. &

per

per hoc attende, quòd pestilentia amoueri poterit, quia aëris qualitas amouebitur, & non substantia, morbus uerò epidimialis est morbus in indiuiduis unius generis tantùm inuentus ob aëris corruptionem qualitatiuam, quæ qualitas occulta & praua dicitur, quia occultè intrinsecus operatur, & occultè animal interficit. Morbus uerò undemialis animãtibus acquiritur uel simul plurium generum, uel unius generis tantùm, propter aquæ, uel terræ corruptionem ob praauam, & occultam qualitatem eis iunctam, & ex his facilè scire poteris febrem hanc, quam mali modi diximus, esse triplicem, uidelicet pestilentialem, epimidialem, & undemialem. nos autem de his febribus loquentes, sub nomine febris pestilentialis, de eis loquemur ad modum Galeni in primo de differentijs febrium capite secundo, & tertio, & quarto, & quinto.

Attende igitur, quòd febris pestilentialis est duplex, una quæ immediatè pendet à pestilentia, quoniam occulta, et praua qualitas acquiritur ex aëre ipso taliter affecto humiditatibus ipsius cordis, propter quam cor patitur febrem pestilentialem ab ipsa pestilentia immediatè quæ erat mala qualitas, malus quippe influxus aëri acquisitus, & hæc febris propriè dicitur pestilentialis, & est illa, quam nos nominamus febrem pestilentiæ, quoniam uagatur tempore, quo uiget pestilentia. Alia uerò est febris pestilentialis in nostris humanis corporibus inuenta, quæ mediatè pendet à pestilentia, ueluti si mala qualitas aëris iungeretur alicui febri, deinde illa mala qualitas communicaretur humiditatibus cordis, causaretur tunc temporis non immediatè ab affecto corde à qualitate aëris occulta sed mediatè, & dicitur febris pestilentialis mediatè pendens à pestilentia, quæ eadẽ febris progigni

gigni potest ex prima omnium humorum corporis humani affectione à qualitate occulta aëris, ipsos humores primò inficiente. humores enim sic affecti, & mala putredine corrupti, malos & prauos uapores effumant ad cor facientes febrem, quam pestilentialem appellamus. sed attende, quòd etiam unum genus febris potest hominibus contingere, quam dicimus pestilentialem per similitudinem ad ueram pestilentialem febrem. contingere enim potest aliquem humorem in nostro corpore existentem aliqua mala, & occulta qualitate in eodem corpore genita affectum esse, non pendentem ab influxu, & ab aeris corruptione, illi tamen malæ aeris qualitati similis, quæ ferè omnia symptomata conducet, quæ etiam mala, & occulta qualitas ipsius aeris producere posset. & propter hoc quidam medici imperiti uidentes hoc genus febris pronunciant eam esse ueram pestilentialẽ, credentes malam esse in aere factam qualitatem occultam. Nos autem dicemus istam febrem non debere ueram appellari pestilentialem, sed potius febrem mali modi, & sic febris mali modi erit in plus, quàm febris pestilentialis: cùm omnis febris pestilentialis sit mali modi, & non econtra. quas febres Galenus appellauit male morigeratas. Et iterum attende, quod loquendo de febre pestilentiali, quæ mediatè pendet à pestilentia, cuilibet generi febris potest contingere, ut ephimeræ, & sic dabitur ephimera pestilentialis, quoniam ipsi febri ephimeræ potest iungi illa praua, & occulta aeris qualitas, propter quã dicitur ephimera pestilentialis. simili modo dabitur tertiana pestilentialis, & interpollata, & continua, & quotidiana pestilentialis, & quartana, & sanguinea.

Expertus enim fui multas harum febrium præcessisse in tempore pestilentiæ, quæ à me pestilentes, nunquàm dijudicatæ

catæ fuerunt. & in processu praua & occulta qualitas aëris fuit eis iuncta, propter quam factæ fuerunt pestilentiales, & febrientia illa corpora interfecerunt, & ex hoc potes habere, quòd licet in corporibus nostris plerunque tempore pestilentiæ appareant apostemata non pestifera, in processu tamen illis potest iungi occulta aëris qualitas, qua pestifera effecta sunt. memoria enim teneo ego, quòd tempore pestilentiæ M. D. XXVII. fuerunt cuidam febrienti applicatæ in natibus cucurbitulæ scarificatæ, & paulò pòst illi scarificationi iuncta fuit illa praua, & occulta qualitas. & ipsa scarificatio apostemate pestifero affecta fuit, & breui æger moriebatur.

Ex his uerò quæ diximus facilè possumus uenire in cognitionem causarum pestilentiæ, & febris pestilentialis.

Attende igitur quòd pestilentia potest habere radicem à superioribus, & etiam ab inferioribus. à superioribus quidem, quoniam contingit aliquando quòd in aliqua regione, uel in aëre alicuius determinati loci, influxus quidem iungitur ex determinata quadam planetarum coniunctione, qui influxus pestilentia dicitur, est enim aëris corruptio qualitatiua naturæ humanæ inimica. & ex his habes duo, primo causam generalem pestilentiæ, & est dictus influxus. habes secundo diffinitionem pestilentiæ, & est corruptio aëris qualitatiua occulte operans, & humanæ naturæ inimica.

Ab inferioribus uerò causam pestilentiæ habemus, & est corruptio qualitatiua terræ uel aquæ occultè operans, & inimica naturæ humanæ, quæ corruptio aliquando est terræ nascentium, aliquando uerò ab intimis ipsius terræ pergignitur. illis enim omnibus quandoq; iungitur mala qualitas, ob quam mali eleuantur uapores propter putredinẽ eisdem acquisitam,

quiſitam, qui corporibus hominum contingentes, inſpiratione aëris, uapores illi attingunt cor, magnum cordi nocumẽtum procreantes, quemadmodum meo contigit tempore, quòd quidam puteum quendam cauernoſum multo tempore clauſum aperuerunt, & in apertione hinc ad modicum eorũ duo mortui fuerunt. fuit enim aquæ illius putei iuncta mala qualitas quæ occultè operans, & inimicata naturæ humanæ omnes illos necauit. & ex hoc habere potes, quòd undemia eſt cauſa peſtilentiæ, quia ex uaporibus aqueis & terrenis mala qualitate affectis afficitur etiam aër ipſe, quapropter erit in aëre corruptio ex mala & praua qualitate ueniente ab aqua, uel à terra. Et ſic habes alteram cauſam peſtilẽtiæ propriè, quæ eſt ab aqueis uel terrenis uaporibus.

Et ex his poteris habere cauſam febris peſtilentialis propriè. quoniam eſt uel mala qualitas occulta aëris communicata cordi, qua putrefiunt cordis humiditates, quibus putrefactis ſuperincenditur caliditas præternaturalis ipſi cordi, & febrem cauſat, & eodem modo contingit de mala, & praua qualitate aquea, uel terrena attingẽte cor, & eodem modo febrem progignente.

Nota tamen hoc, quod annotatione dignum eſt, quòd aliquando poteſt hominibus contingere febris ex putredine ſola, reperta in humoribus corporis eorũ, quæ febris non propriè peſtilentialis dici debet, ſed ſimilis ipſi peſtilentiali, quoniam in effectu, qui eſt mors, & in ſymptomatibus febri aſſimilatur peſtilentiali. & hoc benè docti ſumus poſt penurias: multa hominum uidelicet pauperum corpora ceciderunt in febres, quas peſtilentiales medicorum uulgus appellabat, hoc autem eueniebat ex commixtione malorum ciborum, & ciborum mali chymi; qui facillimè putredini erant parati.

Vnde

Vnde ex his generabantur in eis putredines malæ, & uenenoſæ, quæ ad intra eorum corpora operabantur occultè, & ea interficiebant, et hæ febres propriè peſtilentiales nõ ſunt, ſed ſimiles illis, & dicuntur febres mali modi, quia ex putredine, & qualitate occulta humorum tantùm interius corpora turbabant, & exterius eadem quietabant. ſigna uerò demonſtratiua ipſius febris peſtilentialis, facilè ex dicendis poteris habere.

Conſidera igitur primo ſi ſis in tẽpore, in quo uigent morbi peſtilentiales, uel febres peſtilentiales, & tunc facilè poteris iudicare hanc eſſe febrem de numero febrium peſtilentialium: ſi tibi tale corpus febriens offeretur, & iudicium tuum efficietur certius, ſi ipſi febrienti iungeretur magnum cauma, & incendium, magnaq; nocturna inquietudo. cùm enim in febre peſtilentiali humiditates cordis corruptæ ſint & putrefactæ propter earum præſentiam in corde, magnũ & in eo, & in toto corpore incendium cauſatur. nocturna uerò inquietudo erit, quia de nocte uapores recluduntur ad intra cor ipſum admodum inquietantes, omniumq; membrorum facultates. Item apparet linguæ nigredo cum aridita-te, & ſiti clamoſa. hoc ideo accidit, quoniam cùm magnum ſit incendium ex parte cordis à putredine humiditatum cordis expirando mali uapores aſcendunt ad os exiccando, & per ulteriorem eius actionem denigrando: quo fit ut ſitis uehemens ſequatur: eſt enim ſitis appetitus frigidi, & humidi propter præſentiam caliditatis, & ſiccitatis ab illis uaporibus in ore productis. Item & nauſea apparet, quoniam cor offenſum à putredine ſuarum humiditatum conatur eam expellere propter propinquitatem oris ſtomachi ad ipſum. nocumentum enim communicatur ipſi ſtomacho, & per hoc

inſurgit

insurgit nausea. Item instantia uigiliarum adest, quoniam à putredine cordis humiditatum, mali superaccenduntur uapores, qui attingentes cerebrum, eius humiditates exiccant, & per hoc deficit causa somni, quæ est abundans ipsius cerebri humiditas, & per hoc aliud indicium apparet, uidelicet dolor capitis, quoniam ab eisdem uaporibus punguntur pelliculæ cerebri, quo fit ut patiantur et solutam continuitatem, & malam temperaturam, deinde dolorem. Item pulsus frequens & uelox propter necessitatem euentationis adauctam à uehementi caumate ipsius cordis, paruus uerò, & debilis, quia uirtus cordis admodum oppressa est à putredine humiditatum eius, non potens magnificare, neque pulsum ipsum fortificare. Item urina apparet turbulenta propter magnam putredinem, & ebullitionem cordis communicatam toti massæ humorali. liuidæ quoque urinæ apparent propter debilitatem caloris non potentis regulare humiditates cordis. Item egestiones fœtidæ sunt, malum expirantes odorem propter putredinem magnam. Item apparent plerunque pustulæ, botor, & carbunculi & apostemata, quoniam cùm magna dicatur esse putredo in humiditatibus cordis, magna etiam fit putredo in uenis & in toto corpore, quo fit, ut tantum de materia putrida in pestilentia uel in febre pestilentiali abundet, quòd natura non potest eam regere, & gubernare: ob quam rem exijt symptomatice ad debiliora loca materia, progignens pustulas, & apostemata. Item apparet sudor admodum fœtidus, & in multa quantitate, & frigidus, fœtidus propter fæculentam putredinem, multus uerò propter materiæ putridæ multitudinem, quam natura nequit regulare, quo fit, ut ille sudor symptomaticus dicatur, & omnis symptomatica euacuatio mala est, frigidus uerò propter debilitatem

bilitatem caloris natiui derelinquentis humiditates cordis. Vbi igitur omnia hæc indicia in eadem febre iungentur, procul dubio iudicabis ipsam esse febrem pestilentialem, uel febrẽ mali modi. huius autem febris pestilentialis curam ex sequentibus dicendis habebis. In primis attende cùm offertur tibi corpus febriens hac febre pestilentiali, considera, quòd cùm phlebotomia sit uniuersalis euacuatio, si eam præmittere debeas. ubi enim adsunt signa sanguinis, sicut est rubedo urinæ cum crassitie, & aliquali opacitate, et habitudine corporis sanguinea, et regimen multiplicatiuum sanguinis præterierit, illico phlebotomiam facies, & per hoc damnamus illos, qui in febre pestilentiali phlebotomiam contemnunt. cõtradicunt enim Galeno uolẽti quòd in omni febre putrida fiat phlebotomia, & Auicennæ cùm inquit, cùm uides urinam rubeam & crassam, illico phlebotoma, neque locum ueritatis habet id, quod dicunt, quòd ideo in febre pestilentiali non conuenit phlebotomia etiam à principio, quia à maligna, & praua materia uirtus debilitatur, & quoniam sanguinis missio auget debilitatem in uirtute, ideo timendum est (ut dicunt) ex sanguinis missione uirtutẽ tantum debilitari ne possit illi tantæ debilitati resistere. Nos autem dicimus primo quòd non est credendum, quòd in principio morbi tam subitò uirtus debilitetur, quòd non possit phlebotomiam sufferre, ut inquit Hippocrates secundo aphorismorum: inchoantibus morbis si quid mouendum est, moue &c.

Secundo dico, quòd apparentibus indicijs sanguinis credendum est sanguinem supra alios dominari humores. quo fit ut à principio morbi uirtus potius sit debilis per aggrauationem, quàm per uiam resolutionis, & sic phlebotomia cõuenit, quia exonerabit naturam, quæ reddetur potentior

ſupra reſiduum materiæ malignantis. Quare hortor uos, ut à principio febris peſtilentialis conſentientibus robore, & ætate, & apparentibus ſignis phlebotomiæ, non prætermittatis ipſam: ſi enim omiſſa fuerit, cùm iam peccatũ ſit in ſanguine, & non in alijs humoribus, & ſanguis nõ expectet digeſtionem, certè in breui æger deficere poterit. Attende tamen, quòd cùm febris peſtilentialis pendeat à malignitate materiæ, qua uirtus facilè debilitari poſſet, ideo hortor, quòd ubi etiam ſanguinis miſſio fuerit neceſſaria, non exquiſitè ipſam facere debes, quia ex exquiſita ſanguinis miſſione per reſolutionem ſpiritus, & caloris naturalis, uirtus admodum debilitatur, & tanto magis, quantum materia peccans maligna eſt, et uenenoſa directè uirtutem opprimens. eris igitur contentus in minoratiua phlebotomia, & ſi putabis eam non ſufficere, poteris eandem eadem die reiterare, cùm propter timorem de uirtutis debilitate, melius eſt, & ſecurius partire euacuationem, quàm una uice totum ſimul euacuare, ſicut dixit Galenus primo artis curatiuæ ad Glauconem diſtinctione tertia, capite ſexto. ob quam rem iubeo, quòd etiam euacuando per ſanguinis miſſionem in febre peſtilentiali à principio utamur minoratione. cùm enim materia peccans dicatur eſſe multæ malignitatis, à principio exonerare naturam erit ualde utile. Vbi uerò indicia ſanguinis non aderunt in principio febris peſtilentialis, nequaquàm ſanguinis miſſionem committes, tunc enim peccatum eſt in alijs humoribus à ſanguine, neque ipſi ſunt permixti ſanguini, quare phlebotomia rapiet bonum, & malum derelinquet. quo fit, ut materia magis malignetur, & repentè ægrum interficiat, ſicut docuit me experientia, quòd eodem præciſè tempore, & eadem hora, qua peſtilentiatus phlebotomabatur, morie-

moriebatur. Et ideo uituperamus illos, qui imprudenter à principio in omni febre pestilentiali committunt sanguinis missionem, immo in febre pestilentiali, si non apparuerint signa sanguinis, caue à phlebotomia sicut à diabolo. Si uerò apparuerint signa sanguinis cum robore, et ætate consentientibus, si tu non phlebotomabis, sanguis iustus erit super te, & filios tuos. Vbi uerò phlebotomia à principio non fuerit necessaria, scias quòd omnino febrientem febre pestilentiali debes euacuare, quæ euacuatio non sit eradicatiua, quoniam cùm illi iungitur imbecillitas uirtutis, euacuatione eradicatiua, timendum est, ne uirtus ad maiorem ducatur debilitatem, & æger moriatur. sed dices tu, materia in febre pestilentia est turgens, seu furiosa, & turgente materia à principio debemus euacuare iuxta præceptum Hippocratis aphorismo uigesimo secũdo primæ particulæ. Hinc dico uerum esse, quòd turgente materia uti debemus illius eradicatione, nisi propter eam timeamus de augmento maximo debilitatis uirtutis. Et ideo cùm in febre pestilentiali propter radicatam naturæ debilitatem, hoc timendum est maximè. ideo generaliter in principio febris pestilentialis cum necessarium sit euacuare, si per medicinam euacuabimus, sit euacuatio illa minoratiua, & non eradicatiua. Attende tamen, quòd ubi in principio huius febris cognosceres uirtutem esse fortem, & optimè resistentem malignitati materiæ, cùm materia dicatur esse furiosa, poteris à principio uti eradicatione, usque tamen ad terminum quem natura sufferre poterit. non apparentibus igitur signis sanguinis, à principio minorabis materiam in febre pestilentiali. Attende quòd cum inhac febre iungitur malignitas, quæ directè opprimit uirtutem cordis, ideo iubeo, quòd in omni euacuatione per pharmacum

macum tam minorando quàm eradicando, ipsi medicinæ addantur, quæ cor confortant, & eius uirtutem roborant, & malam, & occultam qualitatem opprimunt, & eidem oppo nuntur, quo fit, ut in euacuando uirtutem cordis uitalem sustentemus. erit igitur minoratiuum in febre pestilentiali pendente à putredine choleræ sequens.

Recip. Margaritarum, hyacintorum, smaragdorum ana scrup.i. radicum ualerianæ, radicum buglossæ, radicum borraginis ana M. s. coraliorum rubeorum, been albi, & rubei, serici crudi ana drach. s. omnia infundantur per noctem bene trita, & in petia ligata in æquis portionibus aquarũ endiuiæ, buglossæ, tormentillæ, & dictami albi, deinde unica bulliant ebullitione, & cum dicta decoctione dissolue Mannæ electæ unc. ij. reubarbari electi drach. i.s. spice gran. vij. & fiat potus, qui exhibeatur patienti in diluculo more assumptionis aliorum pharmacorũ. uel potes minorare materiam cum sequenti pharmaco.

Recip. Mannæ electæ unc. ij. uel floris cassiæ nouiter tractæ drach. vi. reubarbari electi drach. i.s. spicæ gran. vij. triferæ persicæ, quæ admodum cordialis est, drach. ij. cum prædicta decoctione dissolue, & fiat potus. Minorata igitur materia cholerica licitum est residuum materiæ remanentis digerere cum sequenti syrupo, semper obseruando quòd ipsis digerentibus materiam cholericam permisceantur quæ habent uirtutem cordis confortare, & manu tenere.

Syrupus talis est.

Recip. Syrupi de succo acetosæ, syrupi acetositatis citri, de endiuia ana unc. s. aquarum lupulorum, acetosæ, borraginis ana unc. i misce.

Item

Item

Recip. Margaritarum, coraliorum rubeorum, boli armeni orientalis ana drach. s. puluerizentur subtiliter, & in petia rara linea ligentur, & per noctem infundantur in syrupo. facta uerò leui expressione puluerum patienti in diluculo exhibeatur syrupus, uel fiat hic syrupus magistralis sequens.

Recip. Aquæ endiuiæ, acetosæ, borraginis ana unc.iiij. Aquæ tormentillæ unc.iij. boli armeni orientalis, coralliorũ rubeorum, seminum rosarum rubearum, margaritarum, omnium fragmentorum, seminum citri ana drach.ij.misce, & omnia insimul bulliant unica forti ebullitione, colentur, deinde adde uini granatorum unc. vi. succi acetositatis citri unc. iij. succi limonum unc.ij. iterum lento igne bulliant, & cum saccharo quantum sufficit fiat syrupus, qui syrupus sic exhibeatur patienti.

Recip. Prædicti syrupi unc.iij. aquæ tormentillæ, aquæ radicũ endiuiæ syluestris ana unc.ij.misce pro una uice. Apparentibus signis digestionis ex multiplici assumptione alterius horum syruporum, eradicetur materia cholerica cum sequenti pharmaco.

Recip. Mannæ electæ unc.ij. electuarij succi rosati drac. ij. reubarbari electi drach.i. s. infundatur reubarbarum secundum artem in aqua endiuiæ, & tormentillæ cum modico spicæ per.x. horas: deinde fiat fortis expressio, cui adde triferæ persicæ drach. i.s. & cum alijs omnibus fiat potus, & patienti detur. Vbi uerò materia peccans in febre pestilentiali fuerit pituitosa à principio, non debes negligere minorationem illius materiæ cum his, quæ pituitosam habent euacuare materiam, ut

Recip. Agarici optimi, & electi scrup. iiij. turbith subtiliter pulucrizati drach.i. zinziberis, salis gemmæ ana gra. iij. floris cassiæ nouiter tractæ drach. vi. infundatur Agaricus in oxymelle simplici cum suis correctiuis per x. horas, deinde fiat fortis expressio, & cum superiori decoctione cordialium dissoluantur, & fiat potus. Minorata uerò materia pituitosa, præpara te ad residuum illius materiæ concoquẽdum. dabis igitur sequentem syrupum quo usque signa digestionis apparuerint.

Recip. oxymellis simplicis, syrupi de duabus radicibus, syrupi de corticibus citri ana unc.s. aquarum dictami albi, betonicæ, borraginis ana unc.i. misce, & hic syrupus aromatizetur cum modico croci, & cinnamomi, uel fiat sequens syrupus magistralis.

Recip. Aquæ borraginis, lupulorum, dictami albi ana unc.iiij. been albi, & rubei, ossis de corde cerui, utriusque margaritarum, boli armeni orientalis, corticum myrobalanorum indorum, corticum citri, seminum citri ana drach.ij. pulucrizentur omnia pulucrizanda subtiliter, & bulliant usque ad consumptionem tertiæ partis aquarum, & colentur, & colaturæ adde succi granatorum dulcium unc. vi. succi pomorum dulcium unc. v. iterum bulliant lento igne unica ebullitione, & cum saccharo quantum sufficit fiat syrupus, qui sic patienti exhibeatur.

Recip. prædicti syrupi unc.ij. aquæ betonicæ, lupulorum, tormentillæ ana unc.i. misce, pro una uice. Apparentibus uerò signis digestionis, consentientibus robore & ætate, sequentem medicinam eradicatiuam dabis patienti.

Recip. Diacatholiconis unc.s. electuarij indij drach.ij. agarici electi scrup.iiij. zingiberis, salis gemmæ ana gran. iij.

triferæ

triferæ perſicæ, turbith gummoſi ana drach.i. infundatur agaricus ut ſupra, & cum decoctione prædicta cordialium, fiat potus puluerizatis puluerizandis. ſi uerò in febre peſtilentiali materia melancholica maximè peccet à principio, etiam eam minorabis materiam cum ſequenti pharmaco, ut

Recip. Diaſenæ lenitiui drac.vi.confectionis amech drac. ij. floris caſſiæ nouiter tractæ drach.iij.miſce, & diſſoluantur cum aqua meliſſæ, & fiat potus, qui apud diluculum patienti exhibeatur. & quoniam derelictum eſt reſiduum materiæ melancholicæ cum praua, & occulta qualitate cor ipſum admodum infeſtantis, illud concoquatur cum ſequenti ſyrupo.

Recip. Syrupi ſabor regis, ſyrupi de fumo terræ, de endiuia ana unc.s. aquarum radicis tormentillæ, radicis ualerianæ, radicis borraginis ana unc.i.miſce, & aromatizetur cum modico cinnamomi, & corticum citri. uel ſic digeratur materia eadem.

Recip. ſyrupi de pomis compoſiti, de lupulis, de endiuia ana unc.s. aquarum tormentillæ, lupulorum, bugloſſæ ana unc.i. miſce. uel ſic digeratur materia cum ſyrupo ſequenti magiſtrali.

Recip. Epithymi, thymi, polypodij quercini, ſummitatum fumiterræ ana M.s.corticum citri, radicum ualerianæ, radicum bugloſſæ, radicum borraginis ana unc.s. been albi, & rubei, ligni aloës, oſſis de corde cerui ana drach.ij. ſerici crudi, limaturæ auri ana drach.s.hyacinthorum, granatorũ, zaffirorum, ſmaragdorum, utriuſque margaritarum, ana ſcrup.i. bulliant omnia in ſufficienti quantitate aquæ tormẽtillæ, uſque ad conſumptionem medietatis, deinde adde ellebo

ri nigri præparati drach.i. ſucci pomorum dulcium unc.iiij. ſyrupi de ſumoterræ unc.iij. iterum bulliant lento igne, et cum ſaccharo quantum ſufficit fiat ſyrupus, de quo.

Recip. unc. iij. aquæ tormentillæ unc.ij. aquæ radicum ualerianæ unc.i.s. miſce pro una uice. Et attende quòd in febre peſtilentiali præcipuè pendente ab humore melancholico non debemus expectare completam digeſtionem propter malignam materiam, quæ continuè agit in humores cordis, ideo ſumptis duobus uel tribus de prædictis ſyrupis, hortor, ut euacuetur materia faciens febrem peſtilentialem cum ſequenti medicina eradicatiua.

Recip. Thymi, epithymi, polypodij quercini, folliculorũ ſenæ ana M.i. florum borraginis, bugloſſæ ana p.i. corticum myrobalanorum Indorum unc. s. omnium fragmẽtorum ana drach.i. radicum tormentillæ, radicum dictami albi ana unc. s. bulliant omnia in ſufficienti quãtitate aquarum lupulorũ, fumiterræ, tormentillæ, ana uſque ad conſumptionem medietatis, deinde coletur, & cum colatura diſſolue diaſenæ lenitiui drach. vi. agarici electi drach.i.s. zinziberis, ſalis gemmæ ana gran.iiij. confectionis amech, triferæ perſicæ ana drach.ij. infundatur agaricus cum ſuis correctiuis in oxymel le ſimplici quantum ſufficit per nouem horas. deinde fiat potus, & patienti detur facta forti expreßione. Et attende quòd febris peſtilentialis non ſolum ex uno ſimplici humore, mala & occulta qualitate affecto contingere poteſt, uerùm & ex permixtione plurium humorum, quorum mala & occulta qualitas eis iuncta, febrem peſtilentialem progignit, & hæc eſt illa ſpecies emitritei peſtilentialis, quæ ſecundum plurimum in peſtilentia apparet. rarò enim ſolus humor unus afficitur in corpore noſtro, quo fit, ut ſecundum plurimum

plures

plures afficiantur humores in ipsa pestilentia, & procreatis febribus compositis pernicioſissimus conducitur emitriteus. Iterum attende quòd in pestilentia, & in febre pestilentiali magis uitiatur sanguis praua, & occulta qualitate, quia cùm pestilentia, & febris pestilentialis pendeant à putredine humorum cordis, & magis humor sanguineus abundat in corde quàm alius humor, quia cor est lacuna sanguinis. Ideo est, quòd & malæ, & prauæ affectiones magis cõtingunt sanguini, & propter hoc dico uobis, quòd & si non semper in principio illarum dispositionum fiat phlebotomia, secundum plurimùm tamẽ coacti sumus eam celebrare. post uerò sanguinem magis in humore cholerico aduenit illa pestilentialis affectio, cùm post sanguinem magis abundet cholera in corde quàm phlegma & melancholia: tertio uerò in phlegmate: quarto autem in melancholia, pestifera hæc affectio contingit. Ideo ex hoc patere potest febrem pestilentialem in omnibus humoribus posse incendi, magis in sanguine, secundo in cholera, tertio in phlegmate, & ultimo in melancholia, & in uno quippe simplici humore, & in pluribus mixtis, quo fit, ut detur febris pestilentialis composita eo precisè modo, quo supra narrauimus in capite de febribus compositis, cui pestilentiali febri iunguntur symptomata offendentia aliquando membra principalia et illis deseruientia, quibus prudens medicus succurrere debet, cum ea non sint aliquo pacto negligenda. Primum uerò symptoma, cui admodum medicus attendere debet, est uirtus uitalis offensa, cui in febre pestilentiali succurrendum est, sic primo per sequentem mixturam pluries die noctuq; ipsi ægrotanti exhibitam.

Recip. aquæ rosatæ lib.s. uini albi odoriferi unc.iiij. boli armeni orientalis drach.ij. misce, propinetur autem ipsi patienti,

tienti, quoniam ultra hoc, quòd uirtutem cordis habet roborare, etiam præseruat, ne quis in pestilentiã cadat: ratione enim aquæ rosatæ remittitur cauma & incendium in febre ista: ratione uini confortatur uirtus uitalis existens in corde, ut ipsa cõfortata renuat materiam malignam cor ipsum turbantem: ratione boli armeni à proprietate confortatur cor, ultra hoc quod sui stipticitate prohibet transitum uaporum uenenosorum ad ipsum cor, & ideo laudo, quòd huius potionis aliquid pluries exhibeatur patienti, licet etiam possit istud ipsis sanis condonari in præseruatione à febre pestilentiali. Secundum remedium in confortatione cordis est sequẽs.

Recip. Aquæ distillationis florum borraginis, florum bugloss æ, radicum ualerianæ, radicum endiuiæ syluestris, rosatæ muscatæ ana lib.s. hyacinthorum, smaragdorum, granatorum, margaritarum ana drach.i. ossis de corde cerui, sandalorum alborum, & rubeorum, been albi, & rubei, serici crudi ana scrup. ij. bulliant omnia insimul usque ad consumptionem tertiæ partis aquæ, deinde coletur, & colaturæ adde succi acetositatis citri, succi limonum, pomorum dulcium ana unc.ij. uini granatorum unc.iiij. iterum bulliant unica forti ebullitione usque ad consumptionem quartæ partis, deinde cum saccharo quantum sufficit fiat iuleb longum, quod aromatizetur ut infra.

Recip. Ambræ optimæ scrup.i. musci fini gran.x. cinnamomi electi, macis ana drach.s. coraliorum rubeorum, seminum citri ana scrup.i. puluerizentur omnia subtilissimè, & ligentur in petia linea subtili, & ponantur in syrupo, & sic stet per xxiiij. horas, & patienti propinabis dictum syrupũ ei exhibendo unc.i. uel ij. pro uice, debilem enim cordis uirtutem restaurat, & à febre pestilentiali, & pestilentia hominem

nem præseruat.

Tertium præsidium in cordis confortatione est sequens.

Recip. succi acetositatis citri, succi limonum, succi pomorum dulcium ana unc. iiij. florum buglossæ conditorum cum saccharo, florum borraginis, ana unc. ij. radicum ualerianæ conditarum cum saccharo, radicum buglossæ, radicum borraginis, radicum endiuiæ sylvestris ana unc. i. omnia simul contundito, quibus contusis adde ambræ optimæ, musci optimi ana drach.s. omnium fragmentorum, coraliorum rubeorum, margaritarum, been albi, & rubei, ossis de corde cerui, serici crudi ana unc.s. pulueris unicorni, boli armeni orientalis optimi ana drach.i. sacchari optimi quantum sufficit, & fiat confectio, de qua æger quotidie capiat drach.ij.mane, & uesperi, per duas horas ante cibū: roborat enim cordis uirtutem, & facit crementum operationum uitæ, & præseruat, ne corpus in pestilentiam, uel febrem pestilentialem cadat.

Quartum remedium in uirtute uitali confortanda est sequens.

Recip. Aquæ borraginis, ualerianæ, tormentillæ, rosatæ muscatæ, cicoreæ ana unc.iiij. sandalorum alborum, & rubeorum, ossis de corde cerui, been albi, & rubei, ana drac. ij. corticum citri exiccatarum, corticum limonum ana unc. s. canforæ, croci ana gran. v. uini albi optimi odoriferi, aceti optimi ana unc.iij. misce, & unica leui ebullitione bulliant unà simul, deinde quotidie epithymabis cor patienti febrem pestilentialem: sui enim uirtute benigna confortat cor, propellitq; omnem uenenositatem, quæ cordi potest accidere.

Quintum præsidium in rehabendo cordis uirtutem ualde resolutam, & in resoluendo malas putredines in corde inuē-

tas,

tas, et in repellendo uenenosos fumos ad cor ascendentes.

Recip. Theriacæ magnæ optimæ unc.i. succi acetositatis citri, succi limonis ana unc.s. coraliorum, seminum rosarũ rubearum ana drach.s. canforæ, croci ana gran.iij. misce, et omnia simul benè ducantur donec fiat linimentum, quo manè, et uesperi inungas ægri totam cordis regionem: supra quam inunctionem pone etiam petiam de serico cremisino, et certè sublime remedium est in præseruatione à pestilentia, et in cordis confortatione, & quoniam in febre pestilentiali cor malignitatem acquisitam ab hac febre consentit cerebro.

Ideo & in ea cerebrum confortandum est. confortetur autem cum aromaticis, & rebus boni odoris, sicut cum aqua rosata, cui aliquid canforæ permisceatur, cum qua balneentur tempora, nares, & aures, sed optimum cerebri confortatiuum est sequens.

Recip. Succi acetositatis citri, succi limonis ana unc.s. margaritarum, fragmentorum omnium ana drach.i. garyophyllorum, cinnamomi electi, nucis muscatæ, macis, fólij, ligni aloës, sandalorum alborum & rubeorum ana scrup.iiij. ambræ optimæ drach.i.s. musci optimi scrup.i. laudani perfecti unc.s. omnia insimul bene agitentur, & cum modico aquæ rosatæ muscatæ incorporentur, & fiat pomum, quod gestatum in manibus patientis febrem pestilentialem, & illius, qui conatur præseruari à casu in ea, sublime iuuamentum conducit. & quoniam eadem malignitas pestilentialis hepati cõmunicatur à minera læsionis, quæ est cor, ideo hortor quòd mane, & uesperi, epithemetur hepar ipsum sequenti epithemate.

Recip. Aquæ absinthij, hepaticæ, solatri, rosatæ, endiuiæ ana unc. v. specierum cæroti triasandalini unc. i. aceti optimi

optimi unc.iii.ſpodij drach.ij.camphoræ gran. x. pulueriz̃e=tur pulueriz̃anda ſubtiliter, & omnia miſceantur pro epi=themate hepatis. Confortetur quoq; hepar cum ſequenti mix tura, de qua mane, & ueſperi ante cibum per duas horas pa=tiens capiat drach. ij.

Recip. Specierum triaſandalorum, ſpecierum diarho=donis abbatis ana drach. ij. ſacchari optimi diſſoluti in aqua roſata muſcata quantum ſufficit, & fiat confectio in rotu=lis. cum autem præ cordis malignitate ſtomachus in uirtute ſui naturali patiatur.

Ideo hortor ut mane, & ueſperi ante cibum, ſequenti un=guento ſtomachus ungatur.

Recip. olei ſpicæ, maſticis, olei citoniorum ana unc. ſ. garyophyllorum, macis, cinnamomi, nucis muſcatæ, ligni aloës, coraliorum rubeorum ana ſcrup.i. pulueriz̃entur pul uerizanda ſubtiliter, & cum cera quantum ſufficit, fiat un=guentum molle pro ſtomacho. Et ſcias, quòd confectio ſu=pra dicta, & iuleb, in confortatione cordis ualent, & quoq; in corroboratione uirtutis ſtomachi. Iterum ſcias, quòd in febre peſtilentiali uel peſtilentia, accidit quandoque ſinco=pis, uel lipotomia quædam: quorum ſymptomatum curatio nem habebis, ſi cum confortãtibus cor ſupradictis procedes, cùm ſit ſincopis cordis paſsio pendẽs à debilitate uirtutis cor dis propter reſolutionem ſpirituum, & caloris naturalis, nõ potentis gubernare humiditates cordis. Vltimo attende, quòd in hac peſtilentiali febre, & in peſtilentia, plurimum accidũt apoſtemata, ut carbunculi, & anthraces. quorum apoſtema=tum curatio eſt, primo ut procuretur, quòd materia quæ ue nenoſa eſt, & maligna, attrahatur ad exteriora per locum anthracis & carbunculi. qua attracta, remoueatur per aper

tam

tam exituram in anthrace, uel carbunculo.

Primum ingenium ad attrahendum est tale.

Recip. gallum adhuc non coëuntem, uiuum, & illius anum depilabis, & immediatè appones gallum cum ano supra anthracem, & carbunculum, & tandiu teneatur quousque gallus moriatur, & uidebis apertionem apostematis, & attractionem multæ materiæ uenenosæ ab intus ad extra.

Secundum ingenium, est assumere sæpe unum scisum secundum latitudinem per duas medietates, deinde unam medietatem linies cum theriaca magna optima, & apostemati appones, & optimum uidebis experimentum in attractione materiæ pestilentis ad extra, & in remissione malignitatis eius merito theriacæ.

Tertium ingenium est sequens linimentum, cum quo sæpe apostemata linies, & est optimum & expertum in attractione materiæ pestiferæ ab intus ad extra per loca apostematum.

Recip. Succi apij, succi scabiosæ, succi consolidæ minoris, succi acetosellæ, succi uincitoxichi, succi rutæ, succi granatorum ana unc. iiij. cum uitellis ouorum quantum sufficit, fiat linimentum, cuius portio aliqua extensa supra petiam apponatur apostematibus post linitionem factam cum eodem linimento.

Quartum ingenium est sequens ad hæc omnia dicta, quòd cucurbitula magna apponatur apostemati, qua ad extra apostema multum concrescet, et multa materia mala ab intus ad extra attrahetur. post uerò repente scarificabis cũ phlebotomo totum apostema, uel cauterizabis ipsum actuali cauterio aureo in tribus, uel quatuor locis, ut materia illa uenenosa exeat, et auro membrum confortetur. statim autem

tem facto cauterio cum scarificatione appones sequens emplastrum.

Recip. pomorum granatorum diuisorum per quatuor portiones numero decem, bulliant in aceto fortißimo usque quo liquefiant, deinde colentur, & colaturæ adde succi consolidæ minoris, succi acetosellæ, succi apij ana unc. iij. theriacæ magnæ unc. s. misce, & fiat emplastrum. Quòd si isto emplastro æger non sanabitur, relinque eum ministris medicorum, scilicet chirurgicis. Tu autem longè fuge.

Alterum præterea symptoma plerunque contingit in febribus pestilentialibus, & sunt quædam maculæ apparentes per multa membra corporis febrientis, & maximè in illis, in quibus uiget maior caliditas, sicut in dorso: ibi enim interius inuenitur uena magna, quam chilim appellamus, in qua uiget multus sanguis, & arteria magna eandem comitans uenam, multo sanguine spirituali repletam, ab ambabus igitur uenis magna communicatur dorso caliditas. ob quam causam primo, & in maiori quantitate, huiusmodi maculæ ibi apparent, quas nostris temporibus uulgus nominat (petechie) quæ apud Paulum bullæ nominantur, apud uerò alios papulæ & botor, & secundum quod maior ebullitio in cæteris membris crescit, eædem bullæ in alijs exire incipiunt, quæ plurimum non exeunt nisi per motum materiæ, & actionem uirtutis.

Ideo est, quòd incipiunt apparere in die crisis, in quo fit motus materiæ in uirtutem, & uirtutis in materiam. & attende quòd secundo diuersitatem humorum mala qualitate affectorum diuersificantur & bullæ istæ in colore, & modo substantiæ. Si enim febris pestilentialis à sanguine contigerit, earum color rubeus apparebit, alijs quippe eleuatio-

res

res propter maiorem sanguinis quantitatem dbundare in corpore. Si uerò à cholera citrinæ apparebunt, si à pituita albæ, si à melancholia nigræ uel liuidæ: ubi enim à dominio sanguinis exibunt huiusmodi maculæ, salubriores sunt alijs, maiorem nobis salutis confidentiam arguentes.

Iterum attende, quòd si huiusmodi maculæ apparebunt in die crisis cum imbecillitate uirtutis, fugit à nobis spes salutis, quoniam est signum, quòd tales maculæ exeunt per uiam symptomatis mali, non per uigorem uirtutis materiam uenenosam potentis expellere.

Vbi uerò prædictæ maculæ apparuerint cum fortitudine uirtutis, signum est, quòd cura febris pestilentialis cum dicto symptomate non est negligenda. Et propter hoc iterum attende, quòd ubi cum febre pestilentiali non apparuerint adhuc huiusmodi maculæ peccante sanguine, uel alijs humoribus permixtis sanguini, conuenit phlebotomia necessariò consentientibus robore & ætate, sicut supra narrauimus ex testimonio Galeni primo de differentijs febrium capite nono, & Pauli secundo artis medicæ capite xxxvi.

Vbi uerò cum febre pestilentiali exeunt huiusmodi maculæ, certe communis modus praticæ est phlebotomiam negligere, quoniam natura non debet impediri à motu materiæ, cum quo utilitas et iuuamentum uirtuti aduenit, sed propter materiam illam pestiferam, & uenenosam exire ab intus ad extra, uirtus ipsa alleuatur.

Ideo medicus debet sequi motum naturæ rectè operantis, phlebotomia autem facilè motum illum impedire posset, quia posset ad intima reuocare materiam illam, quam natura tentat ad extra expellere.

Attende

Attende tamen, quòd aliquando non fui ego deceptus in faciendo phlebotomiam adhuc maculis illis incipientibus apparere, quoniam conſideraui, & per ſigna cognoui, quòd magna erat plenitudo in corpore, & maximè ex ſanguine, cùm maculæ illæ apparebant rubeæ, & ſic intentione habita ad multitudinem cauſæ præcedentis exiſtentis in uenis, quæ erat ſanguis, phlebotomiam commiſi, & cum ea bene me reperij. et iſtud præceptum habetur à principe in prima quarti capite de uariolis & morbillis, ubi oſtendit, quòd etiam illis apparentibus morbillis & uariolis, & fuerit in toto magna plenitudo, phlebotomia non eſt contumax. Sit autem talis phlebotomia parca, ut euacuet ſolam cauſam præcedentem, & uirtus reddatur potentior ad reſolutionem reſidui remanentis. ſit enim in omni tui euacuatione cuſtodia de uirtute: cùm enim ipſa uirtus habeat militare contra materiam malignam & uenenoſam, non multum de ſanguine debes euacuare, quoniam arma uirtutis deperderentur, quæ ſunt ſanguis, ſpiritus, & naturalis calor. facta autem phlebotomia ſi erit expediens, dico ſi erit expediens, ſcilicet apparentibus ſignis maximæ repletionis in ſanguine. & dico ſi erit expediens, quia ſecundum plurimum cauere debemus à phlebotomia apparentibus illis maculis, & alium quippe modum curæ aſſequi debemus, qui eſt ſequens. apparentibus igitur huiuſmodi maculis à medicina laxatiua omnino caueres debes, quoniam per eam nedum materia mouetur ad oppoſitum motus, quem natura tentat, ſed ex agitatione facta ab ea, uirtus imbecillior fit, laudo tamen quòd aliquando adhuc apparentibus maculis illis, ſi expediet uti medicina, ſit lenitiua tantũ euacuans à uijs latis, quoniam ſolum medicina illa euacuat, materias communes fouentes materias proprias, abſq; quod

retrahat materiam ad interiora, quam natura ad extra conatur propellere. conuenit igitur manna, cassia, tamarindi, & huiusmodi.

Vbi tamen loco medicinæ lenitiuæ quis uteretur clysterio lenitiuo, securius esset, et magis ad propositum morbi: securius quoq; erit in hac febre pestilentiali apparentibus his maculis curare febrem hanc, sequendo motum naturæ, cùm enim natura tentat ad extra expellere, omni cura, omni diligentia, & sollicitudine iuuemus naturam, ut materiam completè expellat, & hoc pluribus fit ingenijs.

Primum ingenium est, inuoluere ægrum in panno rubeo de scarlato, quoniam sui caliditate, & inspecto colore illius rubeo, sanguis mouetur ad ipsum, & ad extra.

Secundum ingenium est, ut cum petia eiusdem panni fiant frictiones toti corpori à sursum in deorsum: ratione enim motus in exterioribus, caliditas attrahitur, qua dilatantur uiæ, & cutis porositates, qua etiam materia attrahitur, & per easdem porositates perspirat, & euacuatur.

Tertium ingenium est, ut cum manibus madefactis in aqua simplici calida totum corpus fricando madefiat. humiditate enim aquea siccitas cutis facta arida à uehementia caliditatis & siccitatis febris tollitur, à caliditate uerò porositates aperiuntur, & ad cutim materia attrahitur, & eadem ad perspirationem mouetur.

Quartum ingenium est, appositio cucurbitularum multarum paruarum quidē supra spatulas, brachia, pectus, dorsum natesq; cum totis cruribus, sursum & deorsum. his enim certi sumus, quod sequemur motum, quem natura tentat unà cum attractione materiæ morbi, & exoneratione naturæ à multa materia mala & uenenosa.

Quintum

Quintum ingenium est, propinare ægroto in exitu illarum macularum sequentem potionem.

Recip. lentium unc. ij. aquæ fontis claræ lib.iiij. bulliant unica forti ebullitione: deinde proijciatur aqua tota, & lentibus adde aquæ fontis claræ lib.iij.hordei mundi, & excorticati unc.ij.dactylorum enucleatorum numero iiij.misce, & bulliant insimul usque ad consumptionem medietatis. deinde coletur, & colatura patienti exhibeatur, & cum cibo, & sine cibo. hortor tamen quòd cum omnibus prædictis ingenijs non negligamus cordialia: cum quibus ingenijs, & cordialibus exhibitis, si maculæ illæ delituerint, tunc temporis medicinam, si expedierit, laxatiuam poteris ægroto condonare; iuxta modum quem in præcedentibus narrauimus: & hæc de febre pestilentiali, & de suis symptomatibus dicta sint.

DE VARIOLIS ET MORBILLIS
CAP. XXII.

Scire debes, quòd cum plurimum uariolæ, & morbilli apparent, quoniam significant magnam sanguinis ebullitionem. Eorum indicatio est supra pestilentiam, uel febrẽ pestilentialem futuram, & propter hanc causam doctores scribentes de febre pestilentiali iungunt ipsi caput de morbillis, & uariolis, quæ affectiones diuersæ sunt ex parte materiæ, conuenientes tamen ex parte agentis: ex parte quidem agentis, quoniam utraque pendet à magna sanguinis ebullitione, materiæ uerò quia morbilli à sanguine cholerico originẽ trahunt, uariolæ uerò à sanguine crassiori melancholico. modum autem generationis earum dispositionũ sub silentio transeo, cùm à principe in prima quarti sufficientissimè modus ille declaratus

le declaratus sit. Et ideo potius empiricè, quàm rationaliter earum curam ponam. Attende igitur quòd uariolæ, & morbilli cum procedant à diuersa materia, morbilli uidelicet à subtili, uariolæ uerò à crassa materia, ideo est, quòd morbillorum cura facilior, & breuior erit, uariolarum uerò longior, & difficilior. Iterum attende, quòd uariolæ, & morbilli habent quatuor tempora earum consistentiam mensurantia, uidelicet, principium, augmentum, statum, & declinationem. et quoniam status sapit naturam præteriti augmenti, ideo debet medicus sequi curam conuenientem augmẽto uariolarum, & morbillorum. in declinatione uerò medicus derelinquat naturæ, quæ rectè curabit uariolas, & morbillos, mundificabitq; cutim, nisi tantæ ebullitionis, & acutici fuerit materia illa, ut uestigia, & foueæ post uariolas in cuti remaneant. Principium autem ratione modi substantiæ materiæ peccantis in uariolis erit trium uel quatuor dierũ, quoniam earum materia crassa est, & non uelocis motus ad exitum. Ideo est, quòd non in breui post indicia uariolarum exeunt uariolæ. quia autem materia morbillorũ tenuior est, et facilioris motus, ideo citius mouetur ad crisim, quare principium eorum abbreuiabitur, & sic in prima uel secunda die morbilli secundum plurimum incipiunt apparere. Igitur in modo curæ primo diætam debes regulare, in principio enim utriusq; diæta sit attenuans, quoniam ægritudines illæ sunt ex repletione, & inanitio erit eorum cura, cum enim sit uehemens ebullitio in sanguine, & tota humorali massa, ideo cauendum ab his, quæ sanguinem multiplicant, & humores exacuunt. Et ideo in principio apparentibus indicijs earum affectionum, non dabis uinum, nec dabis cibaria calida, sicut carnes, & oua recentia, non dabis piperata, neq; acria, quoniam

niam ab his uel sanguis augetur, uel humores exacuuntur, ideo earum potus erit aqua hordei in principio, quoniam ultra hoc, quòd remittit ebullitionem, ad faciliorem præparat exituram, dabis endiuiam, lactucam, spinachia, cucurbitam, & alia infrigidantia, & humectantia, quoniam ab his ebullitio remittitur. Quòd si coactus fueris propter ætatem eleuare diætam, in principio detur iusculum paruæ pullæ, decoctionis cucurbitæ, citruli, & aliarum rerum infrigidantium, & humectantium. Attende quoque quòd in principio nõ debet æger teneri coopertus multis pannis, ne ab ijs inducta caliditas adaugeat ebullitionem in materia faciẽte illas affectiones, neq; debet teneri discoopertus pannis, ne frigiditate ambientis porositates corporis obserentur, & fiat impedimentum ad exitum uariolarum, & morbillorum. sit igitur patiens coopertus pannis moderatè, & in principio non sint rubei, neq; attractiui caloris, ut sunt panni de scarlato, ne materia indigesta attrahatur, & non dum præparata ad exitũ. Aduentante uerò augmento, quod erit post tres uel quatuor dies, poteris eleuare diætam ad ea, quæ uirtutem roborant, & materiam præparant ad exituram, ideo patienti dare poteris panem tritum in brodio pullæ decoctum, poteris dare oua sorbilia, scilicet uitellos, & in processu usque ad statum poteris dare carnem pullinam in modesta quantitate, dico in modesta quantitate, ne natura à multitudine cibi grauata materiam morbillorum, & uariolarũ nequeat ad extra expellere. Aduentante uerò statu poteris eandem diætã, quam in augmento obseruasti, continuare, & non dubites si Hippocrates dixerit in prima particula aphorismorum quòd in statu morbi tenuissima uti oportet diæta, quoniam hic nõ est status ebullitionis, sed status exituræ uariolarum. Et ideo

fuerunt aliqui non damnandi, qui horum morborum consistentiam distinxere, non per principium, augmentum, statū, uel declinationem, sed per primos, & secundos dies, ut in secundis quidem diebus possimus diætam eleuare, ut diximus, & etiam uinum pauciferum contribuere. & sic diætam illam aliquantisper eleuatam poteris continuare per totum tempus status, quod est in secundis diebus uariolarum exitus, deinde post hanc obseruandā diætam poteris uariolas, et morbillos curare per administrationem phlebotomiæ, & potionis. Si igitur fueris in primis diebus, ut in tempore principij apparentibus indicijs sanguinis, uel permixtionis sanguinis cum alijs humoribus, ætate & robore consentientibus, phlebotomiam poteris exercitare. significatur enim quòd in sanguine, & in tota humorali massa est ebullitio magna, quæ phlebotomia tollitur. Si enim illis indicijs apparentibus quis phlebotomiam negligeret, posset esse causa defluxus sanguinis cum alijs humoribus ad aliquod membrum corporis humani, quòd si principale membrum fuerit, æger necabitur: si uerò non principale, in eo generabitur apostema, quod merito peccantis materiæ magnæ ebullitionis, reddetur difficilis curæ. ideo illis apparentibus indicijs phlebotomiam non debes prætermittere. Cùm uerò apparere cœperint uariolæ, & morbilli, non existentibus signis abundantis repletionis corporis, nequaquàm phlebotomiam committere debes, quoniam tentares oppositum motum, quem natura rectè, & non errans committit. phlebotomia enim trahit ab extra ad intus, in exitu uerò uariolarum trahitur ab intus ad extra. si tamen magna adesset repletio totius corporis, adhuc incipientibus uariolis exire, phlebotomiam ipsam poteris admittere. ea enim natura uigentior fit a materia exonerata ad regulandum

gulandum reſiduum materiæ uariolarum, & morbillorum. ſi uerò ætas non conſenſerit phlebotomiæ, fuerint tamen indicia plenitudinis humoralis, & non ſanguineæ, cum maximè peccet cholera, poteris uentrem lenire, uel cum clyſterio lenitiuo, uel cum medicina non eradicatiua ſed lenitiua, ſicut eſt ſequens.

Recip. florum uiolarum, ſebeſten, iuiubarum ana M. ſ. dactylorum enucleatorum numero ij. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſque ad conſumptionem medietatis. deinde colentur, & cum colatura diſſolue mannæ electæ unc. iij. uel floris caſſiæ nouiter tractæ drach. x. & plus & minus ſecundum ætatem, & robur uirtutis. facta uentris lenitione, hortor, ut tota medici intentio ſit ad præparandum, & ad facilitandum exitum uariolarum & morbillorum. Ideo laudo, quòd mane loco ſyrupi, & omni hora cum ſitierit patiens potet de infraſcripta decoctione.

Recip. lentium excorticatarum M. i. hordei excorticati M. ſ. ficuum ſiccarum numero iiij. dactylorum enucleatorum numero iij. iuiubarum numero xx. laccæ drach. i. ſ. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſque ad conſumptionem tertiæ partis, deinde coletur, & colatura uſui reſeruetur. & ſic procede cum hac potione & regimine ſuperius dicto uſq; quo uariolæ incipient cadere, et morbilli deliteſcere. Et quoniam in his affectionibus oculi, nares, guttur, & pectus læduntur, ideo eſt his omnibus ſuccurrendum cum ſequẽtibus, primo abluantur oculi cum aqua roſata, uel cum aqua decoctionis ſumach, ſuccurratur uerò naſo per attractionem aquæ hordei. quidam enim oculos tangunt, & naſum cum auro. habet aurum à proprietate ut defenſet illa membra à nocumentis uariolarum & morbillorũ. ſuccurratur uerò gut-

turi in ore detinendo saccharum candidum, uel sæpe utendo sequenti gargarismo.

Recip. aquæ plantaginis lib. i. syrupi myrtini unc. ij. misce, succurratur uerò pectori & pulmoni cum syrupo uiolato, cum syrupo myrtino, cum diapenidione sine speciebus, cũ diacodione, & cum huiusmodi, ea in ore detinendo & lambendo; aliquando uerò contingit post casum uariolarum, ut foueæ remaneant, & cauitates in cute, quibus succurẽdum est, eas diluendo cum sequenti decoctione.

Recip. Aquæ fontis claræ lib. ij. salis communis unc. i. lappatij acuti unc. iij. misce, & bulliant usque ad consumptionem medietatis aquæ, deinde coletur, & colatura usui seruetur, & cum foueæ diluuntur hac decoctione, sit ipsa frigida, ne caliditate aquæ foueæ magis dilatentur. Et hæc de uariolis & morbillis dicta sint.

FINIS.

RATIONALIS METHODVS ATQVE COMPENDIOSA AD OMNES FERE CVRANdos morbos internarum partium humani corporis, per Camillum Thomaium Medicum Rauennatem nuper in lucem edita.

De dolore capitis.



RIVS quàm aggrediamur quæ sunt dicenda de dolore capitis, intelligendum est, quòd dolor accidit omni parti corporis quæ tactum habet. Non tamen est inditum propriũ nomen dolori uniuscuiusque partis, sed plerunque denominatur à dolore ipso, & parte patiente: secundum quam denominationem in capite dolor capitis nuncupatur.

Dolor autem iste proprie nõ est morbus: sed symptoma, quod pertinet ad actionem læsam tactus, partium dolentium in capite, quæ sunt duæ membranæ sub caluaria cerebrum inuoluentes, uel membrana quæ extra caluariam cooperit.

Distinguitur dolor istarum partium, quoniam quorum membrana caluariam cooperiens male afficitur, dolent ad tactum: quorum affectus est in interioribus membranis, cerebrum ipsum circundantibus, magis dolent circa radices oculorum, in ipsorum motu. Sentiunt autem eæ partes in dolore, corruptionem ijs contingentẽ, & propterea dolor proprie est symptoma, quod dicitur actio corrupta tactus, &

pende

pendet à morbo inæqualis temperaturæ, & solutæ continuitatis. Qui duo morbi interdum fiunt cum confluxu humorũ, quandoq; citra eorundem confluxum: si citra eorundem humorum fluorem fuerint morbi dolorem efficientes, ab externa causa aliqua necessariò corpori occurrente, uel peregrina contigerint. Verum si facti fuerint cum confluxu humorum, hoc dupliciter: quoniam uel confluxerint à cerebro ad partes dolentes, & tunc dicitur dolor fieri capitis primario uitio, aut confluent aliunde, & dicetur per consensum earũ partium, à quibus confluunt, & dolorem hunc præcedent affectus earundem partium. Humor autem confluens, interdum est sanguis, aliquando cholera, nonnunquam phlegma, raro melancholia.

Intelligendum tamen, quòd humores qui calida & frigida qualitate sunt præditi, si sicci fuerint intentius afficiunt quàm qui humidi, propterea quòd tactum humiditate hebetant. & quia frigidis humoribus, remissiores fiunt dolores, quàm qui à calidis, licet hi acutiores, illi uerò prolixiores & diuturniores existant.

Methodus itaque medendi dolori capitis est, ut in primis instituta ratione boni & conuenientis regiminis atq; uictus, quæ aduersetur causæ doloris, eius causa auferatur, si fuerit ex extrinsecis occurrentibus, prohibeatur. deinde caput ipsum, partesq; eius dolentes auxilijs contrarijs contemperentur. Si humorum confluxus dolorem effecerit, humor ille subtrahatur, sanguis scilicet sectione cephalicæ: si alius humor, solutione uentris educatur. mox ad oppositum auriũ scarificatu, frictionibus, lotionibus, & uentosis, lysteribusq; distrahatur, reprimaturq; aliquo repercussiuo, tum capiti extrinsecus admoto, tum naribus odorato, uel auribus iniecto.

iniecto. Postremo, caput ipsum auxilijs contraria qualitate præditis, contemperetur. Si quid præterea digerendum est, in fine rei clementer digeratur, unguento præcipuè alabastri, quod in omni dolore capitis plurimum præstare, experientia comprobatum est. Si tamen uitio alterius membri dolor capitis contigerit, methodus curationis est, ut membri eius, priusquàm capitis, ratio habeatur.

De vertigine et scotomate.

In vertigine et scotomate ægro omnia uidentur in gyrum uerti, & caput circumagi, etiam obtenebrantur oculi, & aliquando caderet æger, nisi ab aliquo cõtineretur. Propterea uertigo & scotoma proprie uidentur esse symptomata, quæ pertinent ad actionem læsam facultatis uisiuæ & motiuæ, quæ læditur in uertigine (quum caput circumagi, & omnia in gyrum agi uidentur) corruptè. quoniam uidet, quod naturaliter uidere non debet. In scotomate autem, cum obtenebrantur oculi, læditur ablatè, cum nil omnino uidet. Etiam cum non potest omnino æger continere sese quin cadat, nisi ab aliquo contineatur, læditur actio uirtutis motiuæ (quæ corpus mouet motu tonotico uocato) ablatè. Pendent ista symptomata interdum ab externa causa, mouente spiritus & humores capitis, ut aspectu rotationis, uel fluentis aquæ, aut rei alterius uiolenter motæ: interdum fiunt à causa interna, quoniam à morbo officiali, obstructione maiori uel minori, contingente in uertigine & scotomate, si sit sine casu ad terram, in uijs spiritus uisiui: & quum fuerit cum casu contingente, etiã in uijs spiritus motiui. Causa harum obstructionum in uertigine est uapor aliquanto subtilior, in scotomate uerò crassior circumactus,

cumactus, ſpiritus uiſuos circummouens, qui aliquando eleuatur ab humoribus in cerebro, & tunc fit uitio primario capitis: uel ab ijſdem in alijs membris, et dicitur fieri per conſenſum oculorum et capitis ad illa membra. Iſti uapores eleuantur ab omni humore, ſed præcipuè à ſanguine, raro à cholera et melancholia, plurimum à phlegmate, ob debilitatem naturalis caloris reſpectu illorum humorum, à quibus ſua debili actione calor eleuat et non diſcutit. Si itaque fit et eleuatur huiuſmodi uapor à ſanguine, ſigna eius ſunt rubedo facici, oculorum in illa hora, exuberantia uenarum apparentium in oculis, et pulſatio temporum et uenarum quæ ſunt poſt aures, cum calore capitis. Si uerò ſit à pituita, ſigna ſunt quæ dominium et abundantiam pituitæ in capite, ac reliquo corpore oſtendunt.

Methodus curationis eſt, ſi à cauſa externa prouenit, ut ea prohibeatur cauſa, quæ ſpiritus et humores in capite mouere poteſt. Si uerò ab interna cauſa prouenerit, methodus eſt, quum humores fuerint in capite, à quibus uapor mobilis eleuatur, ut illi humores auferantur minuitione, tũ per uenæ cephalicæ ſectionem, tum per tenuem diætam, ubi ſcilicet ſanguis ſuperabundans fuerit. Si uerò alij humores, purgatione deijciantur, diſtrahantur ad oppoſitum, cum frictionibus, lotionibus, & uentoſis, cum ſcarificatu, ſi fuerit opus, etiam clyſterium adminiſtratione. reprimantur etiam uapores quibuſdam auxilijs odoratis. Roboretur præterea caput cum temperantibus eius complexionem, & quatenus opus ſit, reliquiæ humorum maſticatorijs, naſipurgijs, atq; ſimilibus, particulariter euacuantibus educantur.

Quòd ſi alterius membri conſortio, uertigo & ſcotoma contingat, methodus eſt ut membrum à quo conſenſus prouenit,

prouenit sufficientibus & congruis auxilijs curetur. In omni tamen uertigine consulendum est ut abstineatur ab omnibus uapores flatumq; generantibus, siue ea pertinentia sint ad cibum & potum, siue ad uitæ regimen.

De phrenitide.

Phrenitis proprie dicit mentis alienationẽ cum febre, & duplex est, uera, & non uera, utraque dicit corruptionem unius aut plurium facultatum principum, uidelicet imaginationis & cogitationis. Interdum enim qui phreneticus est male imaginatur & tamen bene cogitat, interdum econtra. Contingit etiam ut in utraque actione deficiat. Vera phrenitis oboritur ex erisipelate miningum cerebri, & interdum substantiæ eiusdem. Quare significatur ex febre continua, rubore oculorum & uigilijs, estq; alienatio continua non intermittens. Non uera autem contingit à mala complexione calida & sicca cerebri, à uaporibus eleuatis, & eius significatio est intermissio alienationis in remissione febris.

Eius methodus medendi est per curationem febris atque retractionem uaporum ascendentium, ad oppositum, cũ clysteribus & frictionibus, & repercussiuis admotis capiti, etiam in hac præstat odorare frigida.

Methodus uero ueræ phrenitidis est, quum fiat à sanguine, ut sanguis in primis mittatur per sectionem cephalicæ, deinceps ut fiant omnes species reuulsionum, & cum uentosis admotis scapulis, cum scarificatu & citra scarificatum, & cum scarificatione extremitatum aurium, & assiduatione clysterium, quæ omnia item præstant in phrenitide, quæ fit ab apostemate cholerico, in qua præterea soluendus est

uenter

uenter etiam ab ipso principio non expectata concoctione. In utraque utendum est repercussiuis, tũ admouendo ea fronti capitis, tum etiam odorando sicca in sanguinea phrenitide. In cholerica autem frigida et humida. postremo leuibus digerentibus si processerit apostema ad augmentum: nec tamen ea penitus spolianda sunt ab aliqua facultate repercussiua, ut eius complementum si possibile est, inhibeatur.

De lethargia.

In lethargia fit obliuio omnium, cum priuatione ferè omnium sensuum. Lethargicus enim uidebitur oblitiuisci omnia, ita ut interrogatus de nomine proprio, non recordetur. Insuper ferè nec sentit, nec mouebitur, quoniam, etsi principaliter cerebri posterior pars patiatur, atq; ob id principaliter lædatur memoria, nihilominus compatitur anterior pars, et ideo fit ut æger non perfectè sentiat. Patet igitur quòd lethargia est symptoma pertinens ad actionẽ ablatam facultatis memoratiuæ principaliter. consequenter ad actiones læsas sensus communis, et in hoc differt, subeth, in quo contingit principaliter lædi et auferri sensum, consequenter memoriam, ob colligantiam et uicinitatẽ partium, quæ sunt organa et instrumenta dictarum facultatum. Consequitur autem morbum lethargia compositionis, quoniam fit ex apostemate phlegmatico partium posteriorũ cerebri, et signum est proprium obliuio, cum graui somno, cũ febre continua, non tamen fortis caliditatis, et albedo linguæ, cum difficultate aperiendi palpebras, et quando aperiuntur, in dispositionem redeunt uelociter, et clauduntur.

Methodus curationis est, ut per clysterium fortium, et acutorum iniectionem distrahatur materia quæ ad caput cõfluit, et

fluit, & excitetur æger ligaturis, uentosis atque frictionibus, & si opus est (quod sanguis scilicet in corpore dominetur) in capite cephalica secetur. Et si possibile est, dominante phlegmate, ut aliquid per os administretur, illico per uentrem soluatur, ab ipso principio statim, hoc est, à prima die usque ad tertiam, aliquo repercussiuo caput foueatur. post quartam diem repressiuo addatur aliquid quod digerat. In processu uerò solis resoluentibus, & quidem fortibus præsertim in corpore purgato. Adhibeantur etiam odoramenta à principio ex aceto, cum rebus calidis & siccis, sitq; ciba-tio satis subtilis & tenuis.

De apoplexia.

Apoplexia *est cessatio, tam interiorum, quàm exteriorum sensuum, & motuum omnium qui fiunt ab imperio uoluntatis. Quamobrem apoplexia proprie est symptoma ablationis uirtutum motiuarum & sensitiuarum, totius corporis, quod symptoma sequitur morbum officialem in uia, quoniam obstructionem omnium uentriculorum cerebri, & hæc apoplexia est duplex, fortis, & debilis, fortis non curatur, debilis autem cum difficultate, & eget medico solerti, & diligenti, priusquam assumatur curatio. Quoniam interdum uidentur mortui apoplectici, fiat periculum nunquid æger sit cum uita, opponendo cotum carminatum naribus, uel tenuis candelæ flammulam aperto ori, aut aquæ plenum cyathum super umbilicum, ut deprehendatur ex motu horum occulta spiratio, et nunquid æger sit cum uita. Vtraquæ autem est duplex, sanguinea scilicet, et pituitosa, nam obstructio fit interdum à sanguine, ut plurimum à pituita, et signa sunt, abundantia pituitæ uel sanguinis in capite.*

Methodus

Methodus curationis est, ut in utraque statim fiat subtractio redundantis humoris, in sanguinea, per sectionem uenæ cephalicæ, in pituitosa per solutionem uentris factam cum fortibus uel superius administratis, uel inferius iniectis, quæ ad distractionem etiam fecerint, non prætermittendo reliquas diuersiones quæ fiunt uentosationibus, frictionibus, lotionibus, ligaturis, atque id genus omnibus, quibus nõ conferentibus, methodus est, ut capiti à nasi purgijs & sternutamentis ea admoueantur, quæ fortiter digerunt, & absumunt materiam. Debetur præterea apoplectico tenuissima diæta.

De caro.

Caros, somni est profundatio & prolixitas, quo in somno sensus omnes exteriores à suis functionibus impediuntur ne ullo modo fiant. Propterea patet, quod est symptoma illius facultatis, quæ sensus communis appellatur: quoniam est symptoma ablationis. Oboritur à morbo frigidæ & humidæ temperaturæ, cum materia, uel citra materiam, quæ uel genita est in cerebro, & tunc caros primario cerebri affectu fieri dicitur; uel aliunde uenit ea materia, & dicitur fieri per consensum, & tunc plurimum contingit à uentriculo.

Si proprio affectu cerebri fit, curationis methodus eadem quæ de apoplexia & cephalalgia pituitosa scripta est. Si per consensum contingit, methodus est ut curetur membrum cui consentit caput, ipsumq; caput roboretur, ne recipiat, atque retrahatur humor omni genere retractionis, atque tenuissima diæta in utraq; est utendum.

De

De congelatione.

In hac ægritudine nullus motus neque sensus appa-ret, & spiratio insensibilis, sed æger uidetur congelatus, e-ius oculi sunt aperti, aliquando clausi, secundum dispositio-nem, qua reperiebatur hora inuasionis. Differt ab apople-xia, caro, lethargia. Nam in his non sunt membra rigida, ut in hac, & pertinet ad symptoma, quod est, actio ablata sensus & motus. Proficiscitur à mala intemperie frigida & sicca, materiali, interdum citra materiam. Signa huius sunt, quòd remanent oculi in dispositione qua casu reperiuntur, aliquã-do aperti, & non palpitantes sicut oculi intuentes in unum locum, sine motu, uel oculi sunt clausi, & totum corpus est rigidum & congelatum.

Methodus curationis est, ut adhibeantur moderatè cale-facientia & humectantia, & distrahantur omnibus generi-bus distractionum, leuibus quidem, & ut exhibeatur per os aliquid, quod spiritus ab intemperie frigida & sicca, quasi concretos ad pristinum temperamentum reducat, siue ea na-ribus bene olentia admoueantur, siue ea per os inijciantur, quod maxime uinum, & quidem meracum efficere in hac æ-gritudine consueuit.

De paralysi.

In paralysi siue sit uniuersalis, à capite infra: siue cor-poris medietatis tantùm, uel unius partis particularis, fit totum corpus à capite infra, uel medietas altera ipsius, uel pars particularis resoluta sine sensu & motu. Propterea paralysis adscribenda est symptomati, quod est actio læsa. quia ablata, sensus & motus partium resolutarum. Causa eius est obstructio quæ fit ab intemperie frigida & humida

materiali, in uniuersali, in origine nuchæ. In ea uerò quæ est alterius partis, obstructio accidit medietati nuchæ, sicut in particulari est obstructio, in neruis deseruientibus, pro sensu & motu illius partis. Signa autem sunt, quæ dicta sunt alias de dominio phlegmatis.

Methodus curationis, ut uictus ratio sit calefaciens et desiccans. Non tamen ab initio fluente materia sit immodica calefactio, ita ut colliquet materiam. Concoquatur deinde pituita, & ad expulsionem paretur cum incisiuis & tenuantibus & tergentibus, habita tamen ratione, quòd primo triduo aut quatriduo ea sint omnia clementiora, mox exhibeatur purgatio corpori. Distrahatur præterea humor, qui ad partem resolutam defluit, clysteribus scilicet, sternutatorijs, apophlegmatismis, gargarismatis. digeratur postremo materia, quæ est in parte resoluta, frictionibus & calidis unctionibus, simulq; cerebrum & aliæ partes resolutæ roborẽtur. Præstant multoties, ab his omnibus non conferentibus, balnea aquarum sulphurearum & nitrosarum, atq; lutum horum. mirum in modum ualet in hac ægritudine theriaces de uiperis & mithridaticæ confectionis usus.

De spasmo.

In spasmo totum corpus conuellitur contrahiturq; uersus cerebrum, quod est principium neruorum, & motus uoluntarij. Triplex autem est spasmus, unus cùm ceruix unà cum reliquo corpore, ante & retro intenditur, ut immobilis maneat, et in neutram partem flecti ualeat. uocatur hic spasmus distentio. Alius est cum contrahitur anterius, & dicitur tensio ad anteriora. Tertius est cùm caput in scapulas cõ

trahitur,

trahitur, & uocatur tenſio ad poſteriora: fit etiam aliquando particulari aliquo in membro. Manifeſtum eſt ergo, quòd tam uniuerſalis ſpaſmus quàm particularis pertinet ad ſymptoma deprauati motus. Eſt enim actio corrupta uirtutis uoluntariæ motiuæ. Nam uirtus in actione corrumpitur, non quòd ipſa non moueat, ſed quòd membrum non poſſit continere à malo motu, quin ſcilicet non contrahatur ad ſuũ principium. Interdum iſtud ſymptoma morbum ſequitur ſiccum, & ſignum eſt, quòd accidit poſt uomitum aut ſolutionem uẽtris, uel aliam notabilem euacuationem aut laborem ſuperfluum, uel febrem uehementis caloris, fitq; paulatim, cuius curatio difficilis eſt admodum. Nonnunquam etiam conſequitur morbum frigidum & humidum: ſigna autem hæc habet, quòd ſubito fit. Interdum etiam fit à flatibus, & agnoſcitur, quia cito fit & cito deſinit.

Methodus curationis eſt à ratione uictus calida & ſicca inſtituta, quòd concoquatur pituita cum ab humore eſt, & expulſioni paretur, primum clementibus ad quinque dies, deinde ab his uacuetur, & quidem leuibus: poſt, iterum ualentius apparetur, atq; deinde fortioribus uacuantibus expurgetur, & hoc ubi morbus moderatus ſit, neque ſymptoma inuehat multum formidinis. quòd ſi uehementior eſt morbus, ac dolorem afferat, qui uires uicturus ſit, ſtatim abſque hoc quòd percoquatur, etiam potentioribus remedijs euacuandus eſt humor. Præterea methodus eſt, ut ſtetur in auertentibus, ut clyſteribus, frictionibus, ſternutatorijs, gargariſmatibus, apophlegmatiſmis, & ſimilibus. Poſtremò reliquiæ humoris quæ neruis infixæ ſunt digerantur unctionibus, fotibus & ſtrictionibus. Item ſi ſpaſmus leuis eſt, præſtat eidem cucurbitulas, ſeu uentoſas applicare. Vbi uero non contulerint

hæc, experienda sunt balnea naturalia, sulphurea, salsa, aluminosa. Dentur insuper quæ resoluant & roborent, & si dolor uehemens fuerit, qui intolerabiliter cruciet, ponatur in balneo ex simplici oleo communi. Si à sicco prouenerit spasmus, methodus est, ut ab humida diæta & temperatè calida nutriatur, membraq; conuulsa humectentur linimento aliquo, uel etiam balneo. Si à flatibus contigerint, adhibeantur parti quæ flatum digerant & resoluant.

De epilepsia.

In epilepsia fit conuulsio omnium membrorum, cum detentione functionũ, facultatum principum. quamobrem patet, quòd quantum ad conuulsionem ipsam pertinet ad symptoma, quod est de genere mali motus uoluntarij: quantum autem ad detentionem facultatum principum, pertinet ad actionem diminutam multum scilicet & quasi ablatam earundem facultatum, pendet à morbo officiali in uiâ. quoniam ab obstructione uentriculorum cerebri, quæ fit ipso cerebro se contrahente à re nociua, ut expellat. Hæc autem est res, interdum humoralis, pituitosa, uel melancholica: aliquando uaporosa. quæcunque uerò sit, à cerebro ipso est, uel à stomacho, aut ab alijs partibus corporis. Quo fit, ut ex parte materiei, duplex sit epilepsia. una humoralis, altera uaporosa. Ex parte autẽ partium à quibus uenit hæc materia, triplex est epilepsia, à capite una, altera à stomacho, tertia quæ fit ab alijs partibus. Hæc uerò accidit & pueris & adultis & in omni ætate. Pueris etsi periculosa sit, eorum tamen plurimi, si uiuunt, ætatis permutatione liberantur: difficilis admodum in iuuentute curatu, in senectute uerò impossibilis

sibilis. Afficit autem hæc periodicè, propterea aliud regimen debetur ægro, dum est in accessione, aliud uerò tempore quietis: hoc enim tempore nõ curatur, sed eget potius prouidentia, in tempore accessionis propriè ei debetur curatio. De epilepsia quæ pueris accidit, nunc non agetur, sed tantũ de curatione eius quæ accidit adultis, atq; alijs aliarum ætatum hominibus.

Methodus quidem est, ut instituatur prouidentia uitæ, regimen calefaciens & exiccans, si fuerit à pituita. Si uerò à melancholia, magis humectans & remissius calefaciens cum omnimoda uini abstinentia. paretur subinde humor quicunque fuerit, proprijs concoquentibus, calidis & siccis in pituita scilicet, in melancholia autem aliquantum humidis, atq; euacuetur sufficientibus iuxta exigentia humoris eam facientis. Præterea distrahatur à capite, & balanis seu glandibus, clysteribus, frictionibus, masticatorijs, omnibusq; id genus auertentibus. Postremo, qui humor in cerebro relinquitur, commodis resoluentibus digeratur, & caput ipsum roboretur. Ego quandoq; usu solius decocti ligni guaiaci cum additione herbarum capitalium, & agarici quantitate ex aqua peoniæ, uel ex aqua fumi terræ, secundum quòd unus uel alter humor erat causa affectionis, aliquos ab accessione seruaui, interponendo quandoq; acceptionem, unius theriacæ de uiperis, uel confectionis mithridaticæ. quandoq; etiam idem operatus sum sola cauterizatione in summitate capitis loco commissuræ coronalis, excitando ibidem ulcus, quod diu dimissum est apertum. Si uerò contigerit epilepsia uitio partis, consortium habentis cum capite, methodus est, ut affectus illius membri, secundum quòd exegerit, curetur. Vbi uerò fiat ab aliqua parte subiecta per consensum, elato ad ce-

rebrum ex ea uapore prauo ac uenenoso, acceßionem committente, methodus eßt ut fiat ßtricta deligatura quæ uiam præcludat uapori, deinde materia à parte illa uacuetur ueßicatione & ulcere, in parte eadem excitatis. Tempore autem acceßionis & paroxyßmi, methodus eßt, ut immoretur in diuertentibus omnis generis, deinde digeratur (præßertim ßi ßit à uaporibus capiti communicatis) ßuffitu aliquo appropriato, puta caßtorei, aßßæ fœtidæ, peoniæ & ßimilibus. Methodus eßt tamen in omni epilepßia, ut caueatur à uaporoßis, ijßq; caput tentantibus, morbumq; hunc à proprietate mouentibus.

De incvbo.

In incubo, ßit difficultas motus, & ßenßus uidetur torpidus, patientes dum dormiunt, ße graui opprimi mole uidentur. ßymptoma eßt ergo actionis corruptæ ßenßus, diminutæ motus, quod in ßomno contingit. ßequitur morbum officialem in uia, nempe obßtructionem non omnino integrã uentriculorum cerebri, quæ ßit à multitudine ßanguinis, ßit etiam à phlegmate, à uaporibus craßis eleuatis, à cruditatibus uentriculi ex crapula, ob quam obßtructionem prohibentur integrè diffundi ßpiritus motiui et ßenßitiui per neruos partium corporis.

Si à ßanguinis abundantia contigerit, methodus curationis eßt, ut ßtatim minuatur & ßectione uenæ, & diæta tenui. Si uerò à pituita, ea purgetur à corpore, atq; dißtrahatur à capite. Si à cruditatibus uentriculi ex crapula, prohibeatur cibatio ßuperflua, atq; ßtomachus uomitu euacuetur, roboreturq; caput, ne recipiat, moderetur item in utraque ßtomachus, & inßtituatur ut bona ßiat concoctio.

De

De melancholia.

Melancholia *est mentis alienatio sine febre cum tristitia & metu. Patet igitur symptoma esse duarũ facultatum principum cerebri functionum, imaginationis scilicet, & cogitationis. In hac autem læditur una interdum, aliquando plures, ut uidere ipsa re est in melancholicis: quæ alienatio est sine febre, ad differentiam eius quæ fit in phrenitide, quæ cum febre est, quæ apostema sequitur uelaminum cerebri. Hæc autem ab intemperatura frigida & sicca materiali, melancholica fit. & triplicem habet speciem. Vna, quando totum corpus simul ac cerebrum melancholia abundat: alia fit, quando solum caput: tertia, quando hypochondria ipsa tali humore exuberant, & in consensum trahunt cerebrum, ista uocatur hypochondriatica et flatuosa. In omnibus autem speciebus adest metus & tristitia.*

Methodus curationis est, posteaquàm monitum, ut cautè accedatur ad melancholicum, ne aliquid mali medico ab ipso melancholico inferatur, quòd uictus ratio instituatur humectans, uerum non excedens, sed temperata in calore, concoquatur mox melancholia aliquo conuenienti decocto, eãdem parante ad expulsionem: euacuetur, non quidem fortibus sed leuibus & exoluentibus, clementer primo, tractu uerò temporis paretur medicamentis aliquanto fortioribus. auertatur insuper humor à cerebro & corde, ligaturis, frictionibus, cucurbitulis, balanis, & clysteribus acribus. Postremo reliquiæ resoluantur, roborenturq; partes principes, cor scilicet, & cerebrum, & hoc tam in ea melancholia quæ est à capite, quàm à toto, in qua expedit mittere sanguinem à ie coraria: cum consideratione tamen, ut si niger exeat, co-

pioſior fiat phlebotomia, ſi uerò minus ater uiſus fuerit, longe partior. Quum melancholia eius ſpeciei eſt, quæ flatuoſa dicitur, & hypochondriatica & mirachialis, non quia ſit propriè eius materia in mirach & in hypochõdrijs, ſed quia ſub mirach & hypochondrijs contenta eſt, ſcilicet in meſenterio & eius uenis, & ita uocatur, quoniam principium habet à partibus quæ ſunt ſub mirach, ſcilicet à iecinore & liene, quorum membrorum unum generat melancholiam & humorem atrabilarem, hepar ſcilicet, ob eius intemperiem: alterum, materiam melancholicam non attrahit, propter defectum aliquem in eius temperatura, uel natura officiali. & dicitur etiam flatuoſa, quòd in hac flatus plurimus abundet, ut ex rugitibus, continuiſq; ferè ructuationibus, in his qui hanc patiuntur facilè deprehenditur.

Methodus curationis eſt, ut principaliter iecinori & lieni incumbatur. Propterea temperetur iecur ne calore excedat, & phlebotomia facta à iecoraria & alterantibus frigidis, ne humores adurant, à quibus hæc fit melancholia, ut plurimum. Prouideatur item ne cibis & potibus hæc pars caleſcat. In hoc enim plurimi medicorum aberrant, qui excellenter caleſacientia & exiccantia adminiſtrant, dum rugitibus & uentoſitatibus intendunt conſulere. Lien præterea roboretur & prohibeatur ab opilatione & induratione, cerebrum deinde, ne recipiat fumos. Poſtremo mirach ſiniſtroq; hypochondrio apponantur digerentia fortia & attractiua, ſicut uentoſæ & medicinæ rubificantes, ut materia exitum habeat atque digeratur per cutim inſenſibiliter, & per ulcera illis partibus excitata euacuetur, fumiq; eius à cerebro diſtrahantur.

De tortvra oris.

In tortvra accidit ægro, ut os contorqueatur, & secundum hoc patet, quòd oris tortura pertinet ad morbum deprauatæ figuræ oris, qui morbus causatur à materia frigida & humida, faciei musculos alterius partis mollificante, uel ab eadem materia crassiori in musculis alterius partis imbibita, & musculos ipsos spasmante & contrahente. Signa sunt manifesta ad sensum.

Methodus curationis est, ut à principio usque ad septimã diem nil ferè operetur, præterquàm si constricta fuerit aluus, ut leniatur, & quidem clysteribus lenibus, tenuiq; diæta, eademq; mediocriter exiccante & calefaciente, & regimine regatur. A septima concoquatur materia clementibus lenibusq; præparantibus, deinde clementibus quoq; medicamentis euacuetur, nisi adeò uehemens fuerit affectus, ut apoplexiam minetur, quo casu medicamentis fortioribus utẽdum, quibus in ipsa apoplexia. Procedatur præterea cum diuertentibus, roboreturq; caput, & digeratur materia quæ resolutionem facit uel spasmum, in faciei musculis. In reliquis ut in paralysi & spasmo procedetur.

De stvpore.

Qui patitur stuporem in membris, sentit hebetiori tactu quod tangit: propterea stupor est symptoma tactus, quod dicitur diminutio ipsius. Contingit autem à morbo in uia, quoniam ab obstructione, quæ fit a sanguine interdum, & ut plurimum à pituita. Signa sunt quæ arguunt dominium sanguinis uel pituitæ.

Methodus curationis est in causa sanguinea, ut minuatur

sanguis

ſanguis, & inedia, & ſectione uenæ. Non tamen ſit diæta tenuiſsima, ſed mediocris & exiccans, uerum in calore & frigore temperata. Si uerò contigerit à pituita, curetur curatione paralyſis, de qua ſupra.

De tremore.

In tremore, *membra quæ mouentur motu uoluntario, mouentur quidem, ſed tremule, & duplici motu contrario. Patet ergo, quòd tremor in quacunque parte fuerit, pertinet ad ſymptoma actionis læſæ uirtutis motiuæ uolũtariæ, membri trementis ſcilicet, ad actionem corruptam eius facultatis: mouentur enim membra quæ tremunt malo motu, quod naturaliter moueri non debent. Et pendet à morbo intemperaturæ frigidæ & humidæ, materialis ut plurimum.*

Methodus curationis eius eſt, ut euitentur omnia quæ infrigidant, molliſicant, humectant, & replent cerebrum, & neruos. Mox concoquatur, pareturq; humor ad euacuationem, calidis quidem & ſiccis, dein humor purgetur à cerebro & neruis, & excutiatur deinde maſticatorijs atq; gargariſmatibus. Poſtremo adminiſtrentur ea, quæ conſortant & calefaciant cerebrum & neruos, materiasq; conſumant. Et ſi opus eſt (omnibus ſcilicet his non conferentibus balnea thermarum uel aqua maris experiantur.

De catarrho.

Catarrhvs *eſt defluxus capitis ad nares uel ad fauces, materiei quæ ad dictas partes deſtillat et extra mittitur. Manifeſtum eſt, quòd quantum ad materiam effluentem & extra miſſam, eſt ſymptoma de genere exeunti mutati:*

mutati: fluit enim & emittitur materia per os uel per nares à cerebro, quæ à sano homine exire & emitti non consueuit, quoniam materia calida aut frigida, acris aut salsa, aut insipida aut aquosa. fit autem ab actione læsa cerebri, scilicet contentiua uel expulsiua, à materia genita, propter actionẽ læsam uirtutis concoctricis eiusdem, quæ sequitur morbum intemperaturæ frigidæ aut calidæ. Et signa eius sunt, caliditas seu frigiditas percepta in capite, & qualitas materiei effluentis.

Methodus curationis est, ut consideretur primo, an indicatio causæ & catarrhi materiei coincidat, eademq; remedia requirat catarrhus & causa. uel si indicatio amborum contrarietur, atque ob id postulet contraria. In hoc enim complexu auersantium indicantium, maior est habenda ratio urgentioris, & propterea refrigeretur in calida materia, in frigida uerò administrentur ea quæ calefacere possunt, uitenturq; omnia aduersantia. apparetur deinde materia & concoquatur cum frigidis, ubi calida sit et subtilis, eademq; sicca. Si uerò frigida sit materia & crassa, cum calidis et tenuantibus, & quidem in principio clementioribus: habita consideratione, quòd si materia fluxerit ad pectus, sint ea in utraque materia humectantia & lenientia. Si uerò ad nares uel ad os, magis sicca à præparatione insuper & concoctione purgetur humor, medicamento calidam materiam euacuãte uel frigidam. Et auertatur cum frictionibus ligaturis extremorum, cucurbitulis in natibus & scapulis, nasi purgijs, primo quidem debilibus, mox fortioribus. Præstat in casu frigidæ materiei ad eandem intentionem excitare ulcus cauterio potentiali uel etiam actuali, in commissura coronali uel post aures. Postremò sistatur materia distillans, præsertim

si ex

si ex largiore & impetuosa destillatione, suffocationis periculum immineat, aut excoriatio, aut tussis aspera, aut insomnia, quorum periculum si non affuerit, non constringatur, ne materia in cerebro restinguatur. fungatur tenui diæta cũ abstinentia potus uini in calida. In frigida uerò cõcedatur uinum, sed apud concoctionem. Habenda est consideratio, quod si materia fuerit calida, & cum febre, immineatq; periculũ, ne infigatur in aliqua parte nobili, ut statim sanguis à cephalica mittatur. Sunt qui etiam in materia calida stante febre, & periculo imminenti fixionis, in aliqua parte nobili, statim secta cephalica uena sanguinem detrahunt.

De ophthalmia.

In ophthalmia inflãmatur cõiunctiua seu mẽbrana oculi, & interdum magis uel minus intumescit, secundum maiorem & minorem quantitatem materiei ipsam efficientis. Plerunq; tantum augetur tumor illius, quòd cornea & pupilla constringitur & obstruitur, ita quòd ex obstructione, immediatè uisio læditur, quare tũc ophthalmia nõ refertur ad morbum oculi, sed ad causam. Est enim causa, qua constringitur pupilla. Cùm uerò ophthalmia parua est, ita ut nocumentum efficiat uisioni, tunc est morbus ipsius mẽbranæ oculi, cuius actio per se primo & principaliter læditur. Patet quòd ophtalmia est morbus compositionis, quoniam est apostema membranæ, quum scilicet est paruũ, quum uerò magnum, ut coangustet & constringat pupillam oculi, est causa morbi. fit autem ex sanguine multo & bilioso confluente ad dictam membranam, ea scilicet quæ uera est ophthalmia. fit etiam non uera, & est intemperies oculi calida

cum

cum rubore exiguo ſine tumore. Signa autem ueræ ophthalmiæ ſunt, rubedo & repletio oculi cum dolore & tumore. Methodus curationis ophthalmiæ non ueræ eſt, ut auferatur cauſa externa, à qua excitari ut plurimum conſueuit. Deinde quòd inijciantur oculo quæ remittant eius intemperiẽ calidam & quòd caueatur ab omnibus oculum ipſum ad calidum alterantibus.

Methodus autem curationis ueræ ophthalmiæ eſt, ut inſtituatur uictus ratio refrigerans, eademq; tenuis, prohibeanturq; omnia quæ humores comminuunt, ſpiritusq; reſoluũt: auertatur materia ſectione uenæ cephalicæ eiuſdem lateris, uel uentoſis, cum ſcarificatu, uel citra ſcarificatum, alijsq; generibus diſtractionum, lotionibus ſcilicet, frictionibus & iniectione clyſterium. repellatur materia fluens, admouendo fronti frigida & ſicca, itemq; oculo inijciantur à principio eadem. Vbi etiam magnus uehemensq; fuerit dolor, ad narcotica collyria tranſeatur. materia deinde apparata cum aliquo apparente frigido & ſicco euacuetur uel pilulis uel etiam decocto ex myrobalanis citrinis, quod maximè in caſu ophthalmiæ ueræ cõprobatum eſt. Poſtremo reliquiæ digerantur balneo, uel fotu, cum ſpongia ex decocto meliloti uel ſeminis fœnigræci. hoc enim in digerendo materiam præcipuum eſt, præſertim apud declinationẽ. à uino caueatur omnino à principio, neque concedatur niſi morbo declinante.

De imaginatione et ſuffuſione.

Contingit interdum, ut ante oculos obuerſari corpuſcula quædam uideantur caliginoſa, uel aliqua lucentia, aut tanquam puſilli pulices. & uocatur hoc accidens imagina-

imaginatio, quæ præuia est & quasi principium suffusionis, quæ ubi completa est, cessant huiusmodi omnia, & nil prorsus uidetur ab altero oculorum, aut ab ambobus. Secundum hoc patet, suffusionem habere triplex tempus, principij scilicet, quod & augmentum comprehendit, quo fit, & tempus status quum facta est. Videtur autem, quo ad principiū & augmentum eius, pertinere ad symptoma, quod est actio corrupta functionis uisiuæ: uidentur enim præ oculis uersari, quæ naturaliter non debent. In eius uerò statu cum ex toto pereat uisus, uidetur pertinere ad actionem ablatam uisus. Vtrunque symptoma sequitur morbum officialem in uia, obstructionem scilicet à materia uaporosa aut humorali cadente inter uueam & corneam: quæ generatur interdum in oculo, & in eo inspissatur. aliquando eadem materia uenit aliunde, puta à cerebro uel à stomacho, uel ab alia parte corporis.

Vbi facta est suffusio, methodus est, ut à corporis & capitis purgatione, acu puncto oculo, materia obstruens deponatur. Pro hac tamen operatione aduertendum, ne sit uiscidior, tenacior, neque oculis adhæreat, sed quòd mediocris sit consistentiæ. Verùm ubi nondum suffusio est absoluta, methodus curationis est, ut instituatur diæta tenuis, eademq; calida & sicca, consulaturq; membro, si per consensum fuerit, cui oculi consentiunt, iuxta exigentiam illius affectus. Si uerò à cerebro est, concoquatur materia, pareturq; pituita, ut facilè à corpore educi possit subtiliando eam ubi crassa sit, incidendo ubi uiscida. Vacuetur deinde, præsertim pilulis à capite & oculis materiam ipsam educere efficacibus. Neque contentetur una solum euacuatione, sed iteretur purgatio, donec in totum purgatus sit affectus, auertatur clysteri-

bus

bus acribus, balanis, frictionibus, & ligationibus extremorum. Quibus omnibus non sufficientibus, excitetur hulcus cauterio in coronali aut prope aures, aut setone ceruici affixo. Postremo dissoluantur & dissipentur reliquiæ humoris, partim his quæ hora somni assumuntur, puta cum electuario humani, quod plurimum laudatur in hoc casu, uel cõfectione mithridatica, aut etiam theriaca de uiperis, hæc enim digerunt & dissoluunt, nedum uaporem, uerum & aquam, præsertim si qua auxilia oculo admoueãtur, quæ priusquàm inijciuntur, corporis & capitis purgationem requirunt.

De sanguinis narium fluore.

Est sanguinis è naribus profluuium, quum exit sanguinis quantitas multa, & hoc dupliciter accidit, criticè nempe, & non criticè. De non criticè exeunte intendimus, qui quantum ad sanguinem, spectat ad symptoma, quod est de genere exeuntis mutati ex toto genere præter naturã: sequitur autem actionem læsam contentiuæ uel expulsiuæ facultatis, propter morbum instrumentalem, hoc est apertionem orificiorum uasorum terminantium ad radicem narium, qui morbus fit propter quantitatem sanguinis, uel eiusdem qualitatem malam, irritantem naturam ad expulsionem sui. Cognoscitur si est à quantitate exuberàti, ex plenitudine corporis & uenarum, & retentione alicuius uacuationis consuetæ sanguinis, aut ex dimissione exercitij consueti. Si autẽ sit à mala qualitate irritante ad expulsionem & apertionẽ uenarum, cognoscitur tum calore tum acuitate sanguinis uel aquositate.

Methodus curationis est, quum est ex quantitate sanguinis:

nis, ut minuatur sanguis uictu tenui ac refrigerante & astringente, atque sectione uenæ, in maxima abundantia, secũdum habitum totius corporis à iecoraria uel communi, post à cephalica distrahatur. uentosis admotis scapulis, uel parti lienis aut iecinoris: secundum quod sanguis exierit, à parte sinistra aut dextra narium, fiant & aliæ auersiones frictionibus, & ligaturis fortibus, etiam lotionibus ex aqua calente. Sistatur præterea sanguis, inijciendo intra nares frigida siccaq; & glutinantia, frontiq; eadem admoueantur, et ad narcotica transeatur, tamen consilium est, ut à mitioribus semper incipiatur. Si mala qualitas in causa fuerit, methodus est ut humor sanguinem uel calidiorem uel etiam humidiorem efficiens expurgetur.

De sinanche.

In sinanche fit difficultas anhelandi, & quasi suffocatio, in uera. In non uera autem fit difficilis transglutitio. quare uera quantum ad id, est symptoma, quod pertinet ad actionem læsam attractiuæ uirtutis & expulsiuæ aëris pro cordis refrigerio. Pendet autem à morbo compositionis in uia, quoniam ab obstructione uiæ spiritus, ab apostemate quod fit in gutture & eius partibus. Hoc autem apostema fit à materia reumatizante, interdum calida, interdum frigida. Si calida est, per febrem cognoscitur, & per puncturam quæ fit in loco apostematis: si frigida, ut plurimum est sine febre, apparetq; in ore ægrotantis, multitudo saliuæ pituitosæ. Si non fit uera sinanche, pertinet ad symptoma actionis læsæ meri & stomachi propter eundem morbum.

Methodus curationis est in uera, ut prohibeatur augmentum

tum apostematis, victu tenui eodemq; refrigerante, & auertentibus, tum phlebotomia à cephalica, tum uentosis & reliquis distrahentibus ad oppositum. Item auertatur materia, ubi scilicet sinanche fiat à sanguine mixto alijs humoribus, solutione uentris: repellatur item fluens ad partem cum frigidis & siccis gargarismatis quidem. Quòd si à materia frigida contigerit, paretur ea & digeratur: uacuetur deinde sectione uenæ & medicina expurgante. Postremo à repulsione & sufficienti purgatione coquatur materia impacta parti, & dissipetur gargarismatibus ad opus hoc opportunis. Quòd si materia resolui non potest, suppurantibus maturetur & rumpatur, mox hulcus mundificetur atque idem consolidetur. Si autem fuerit non uera sinanche, ijsdē remedijs curabitur. Hæc tamen non est ita periculosa, sicut uera, dummodo spirationem non intercipiat.

De tvssi.

In tvssi mouentur partes pulmonis & pectoris, ad expellendum id quod sentiunt nociuum. Tussis ergo est symptoma mali motus, qui fit à materia irritata à causa morbifera, quæ est inæqualis intemperatura, uel solutio continuitatis partium pectoris cum materia uel citra materiam. quando fit à materia, est reumatisans aliunde, præsertim à capite, & cognoscitur catarrhi descendentis indicijs. Methodus curationis est, ut primo curetur caput decenti purgatione, præmittendo scilicet maturantia & præparantia: deinde uacuetur materia eadem prædigesta, & auertatur à pectore omnibus modis, quibus distrahi potest, sæpe declaratis. sistatur insuper catarrhus ubi materia præcipitet nimis. Postremo

ſtremo quæ eſt recepta in pulmone, expulſionem facilem faciẽtibus educatur. Victus præterea tenuis inſtituatur, calida quidem in frigida materia, & frigida in calida. ut capite de catarrho methodo ante dictum eſt.

De asthmate.

In aſthmate fit crebra inſpiratio et expiratio, ſicuti his accidit, qui citatiore curſu defatigati ſunt. Et propterea, quantum ad hoc, uidetur aſthma eſſe ſymptoma, quod pertinet ad actionem corruptam uirtutis naturalis attractiuæ & expulſiuæ, pulmonis. Pendet autem à morbo officiali in uia, ſcilicet ab obſtructione contingente uijs & canalibus pulmonis, à materia frigida & humida, pituitoſa, craſſa & uiſcida, quæ, ut plurimum, reumatica eſt, à frigido defluens. Licet interdum poſſit fieri à uentoſitate contenta in pulmone.

Methodus curationis eſt, ut ratio regiminis & uictus ſit calefaciens & exiccans: præterea à cerebro uel partibus alijs in pulmonem tranſmittentibus, materia paretur calefacientibus quidem & humectantibus, incidentibus, tenuantibus & tergentibus, hac tamen ratione. Ab initio ne ſint hæc multum eleuata in calore, & purgetur leui etiam medicamento: tempore tamen acceſſionis procuretur magis purgatio per ſputum. Non dimittantur reuulſiones, quæ fiũt naſi purgijs, apophlegmatiſmis, & cæteris, de quibus in catarrho. Poſtremo diſſipẽtur materiæ reliquiæ ſuffitu aliquo fortiter ſiccante: in quo etiam plurimũ ualere comperimus, uentoſam magnam appoſitam ei parti, quæ à tergo è directo cordis habetur. Et præcipuè ubi à materia uentoſa, aſthma contingat.

De

De pleuritide.

Pleuritis est dolor lateris cum febre assidua, difficultate spiritus, tussi, punctura, & pulsu serrino. Quamobrem quantum ad hoc quod dolor est, symptoma est tactus partium dolentium in latere, quæ sunt membranæ, præcipuè costas succingens, uel distinguens spiritualia à naturalibus, aut diuidens pectoris dextrum à sinistro: & hoc præsertim in ea pleuritide quæ uera dicitur secundum locũ. sunt etiam partes dolentes musculi intercostales, in nõ uera secundum locum dicta. Sequitur morbum compositionis, quoniam apostema calidum earundem partium, si uera est pleuritis: quod apostema fit fluxu humorum ad illas partes. Potest fieri etiam non uera ratione materiei, ab humoribus, frigidis. Verùm illud raro contingit, quoniam humores frigidi, densam membranalem substantiam, ut calidi, facilè penetrare non possunt. Hæc habet tempora, principij scilicet augmenti, status & declinationis. item habet uarias terminationes: nam præter cæteras, ut plurimum, resoluitur per sputum, uel maturatur.

Methodus curationis est, ut consideretur primo, an uera sit, & qualem terminationem sit facilius habitura. nam iuxta diuersitatem horum, diuersa ei debetur methodus. Si itaque in principio fuerit, tota intentio debet esse, ut eius augmentum & complementum prohibeatur. Quod commodè fiet missione sanguinis, primo à iecoraria lateris oppositi, præsertim si corpus sanguine multo abundarit. Si non tanta fuerit plenitudo, uel ægritudo processerit secundum augmentũ, mittatur sanguis à parte eadem, ab eadem uena. Neque au-

diendi sunt, qui ut intelligant an uera pleuritis sit, uel dolor sit ex uentositate, primo calefactorijs utuntur: non enim his opus est, ubi signa necessario consequentia ueram pleuritidem, apparuerint. Neque etiam, ubi dolor pungitiuus cum his perseuerauerit una die uel duabus, sed intentior continuo factus fuerit: quia affectum pleuritidis euidentißimè demonstret. Methodus quoque est, ut prohibeatur augmentum & complementum apostematis, tenuißimo uictu ad quatuor usque dies, modo uires uictus rationem hanc patiantur: à quarto autem die ad septimum procedatur non ita tenui uictu, & secundum quòd processu temporis uisa fuerit concoctio, & maior resolutio materiei per screatum aliquantulum magis incrassatur, ita tamen quòd carnibus uiniq; potu abstineat se æger, usque ad finem, uel saltem ad declinationem, hoc fiat tamen habita ratione semper ad uires corporis. Prohibeatur etiam complementum cum auertentibus materiam, cucurbitulis scilicet affixis inguinibus & hypochondriis, frictionibus & ligaturis, fotibusq; calidis, balanis & clysteribus, lenibus tamẽ, cùm alioqui fluor sæpißimè morbo huic lateri superuenire consueuerit, idemq; periculosus sit. materia deinde apparetur cum his præsertim, quæ thoraci familiaria sunt auxilia, ob id quòd sputum facile reddunt. omnia quidem lenientia sint, ne sputum prohibeant, quod præsertim in hoc morbo facile reddi debet. Quòd si procedat morbus, neq; prohiberi possit eius complementum, statim priusquam maturatio apostematis tentetur, quæ prohibenda quantum possibile est, materia parti affixæ uacuetur, iterata plebotomia à parte eadem usque ad sanguinis coloris mutationem, præsertim si superiorem partem thoracis dolor afflixerit. Si uerò inferiorem partem cruciauerit dolor, medicamento magis purgetur

getur, attamen fortia exoluentia fugiẽda sunt, et cum lenibus procedendum. Præterea procuretur, ut materia pleuritidis, etiam ab ipso principio per omne tempus ad pulmonem exudans, per sputum eijciatur: dentur itaque ea, quæ facile & fluidum ipsum reddant, quæ si ore retineantur & paulatim deglutiantur, magis id perficient. foris quoque ea admoueantur quæ idem operentur, doloremq;, ubi uehementissimus fuerit, sedent & mitigent, siue sint linimenta, seu fotus ex temperatis anodinis & lenientibus. Si uerò pleuritis his omnibus nequiuerit prohiberi, quin suppuretur, iuuetur maturatio emplastris ad hoc opportunis, deinde procuretur eruptio tussi frequenti & uociferatione, & uomitu & sternutamentis, atq; id genus uehementer corpus concutientibus. postremo tergatur ulcus, exhibito aliquo decocto mundificante: conglutinetur, & consolidetur. Si autem pleuritis fuerit non uera, quia in parte extrinseca, magis trahatur foras cucurbitulis, deinde maturetur, rumpatur, tergatur, et proprijs auxilijs glutinetur.

De sputo sanguinis.

In sputo sanguinis, eijcitur sanguis per os. qui, quantum ad sanguinem exeuntem spectat ad symptoma, quod dicitur, exiens mutatum ex totóque præter naturam. Consequitur morbum interdum communem, quia solutionẽ continui, interdum officialem, quia apertionem osculorum uasorum sanguinis. Et causa istorum morborum aliquando est à sanguine quali aut quanto peccante: quoniam à sanguinis exuberantia, nonnunquam etiam à mala qualitate acri eiusdem, contingit uasa solui uel oscula ipsa aperiri. Contin-

git etiam morbus ipsos fieri à materia alia humorali, puta acri & borachia reumatizante. Et quoniam exiens hoc, est ex his quæ habent exitum à corpore præter naturam, accidentia quæ superueniunt huic exitui, signant partem, & locum ex quo exit. nam si eijcitur cum tussi, à pectore est: si cum atractione inferius, à capite: si cum simplici sputo ab ore. Et propterea debet modus exitus considerari, ut intelligatur pars à qua uenit.

Methodus curationis est, ut ab institutione & ratione uictus refrigerantis siccantis & adstringentis, tenuiterq; nutrientis, pro auersione sanguis mittatur à uena iecoraria, et quidē una uice, multæ quātitatis, si sanguinis quātitas in causa fuerit. Si uerò magis qualitas peccauerit, partiatur phlebotomia, neq; una uice quātitas quæ mitti debet, sed pluribus & iteratis uicibus mittatur. non prætermittantur reliquæ species auerstonum. Sanguis præterea temperetur & æquætur cum his quæ sanguinem laudabilem in qualitate reddunt. Postremò glutinetur atq; constringatur etiam cum narcoticis statim ab ipso principio misso sanguine per uenæ sectionem. Si uehemens tussis fuerit in causa, ea sedetur: si catarrhus, ea methodo curetur, ut de catarrho dictum est.

De phthisi.

Phthisis dicit absumptionem totius corporis cū febre, præcipuè habituata, quæ consecuta est hulcus in pulmone. Et propterea si consideretur, quantum ad consumptionem corporis, pertinet ad morbum compositionis, in quantitate diminuta scilicet. Cuius causa est, à mala complexione calida & sicca, defectio oppositionis nutrimenti ad mē

bra.

bra. Si uerò consideretur phthisis quantum ad ulcus in pulmone, spectat ad morbum solutæ continuitatis, quod factum à uulnere contingente, uel à defluxu materiei catarrhalis acris, ut plurimum, & salsæ: uel à uehementi tussi: aut consequitur hulcus istud apostema ruptum in pulmone. Quomodocunq; consideretur, difficilè curatur.

Methodus curationis est, cum contraria exposcant febris scilicet & emaciatio ulceris, quod causa est phthisis, ut regatur regimine temperato in calido & frigido, uerum declinante ad siccum gratia ulceris. Deinde, ut abigantur quæ sunt causa phthisis. Si enim est catarrhus, procuretur eius curatio: si uena rupta, ut in methodo curationis earum dictum est. Deinde tergatur hulcus, atque mundificetur & syrupis & decoctis dulcibus & amaris, attamen ubi febris urgeat, ea temperentur cum frigidis. Postremo hulcus carne impleatur & glutinetur. Administrentur ea quæ totius substantiæ proprietate prodesse consueuerunt.

De palpitatione cordis.

In palpitatione cordis, cor ipsum mouetur & pulsat frequentiore motu & inordinatiore, quàm naturaliter debet. Et constat quòd symptoma est, continetur q; sub deprauato motu pulsatilis cordis, & sequitur morbum consimilem, quoniam malam & inæqualem intemperaturam cordis essentialem, uel ipsi aliunde communicatã. Et quando communicatur intemperies cordi, potest illa communicari ab aliqua parte, ut in febribus, in quibus loco uno determinato putrescit materia uenenosa, cor petens, uelut à matrice. aqua interdum, uapor uenenosus eleuatus, ipsum

cor intemperie mala afficit, unde sequitur palpitatio.

Methodus curationis est, ut victus ratio si est ab intemperie calida, sit refrigerans: si verò frigida, sit calefaciens. instituaturq; cibatio proportionata regimini, apparetur deinde materia, si crassa fuerit, tenuantibus: si calida, frigidis, atque si frigida fuerit, calidis. verùm ambobus moderatis, ne ab immoderate alterantibus, cor princeps membrum in contrariam intemperiem præcipitetur. Vacuetur deinde materia, non quidem forti & exoluente medicamento, sed benedicto atque leni. Et distrahatur materia ad partes ignobiles, auertentibus, frictionibus, ventosis, atque id genus omnibus, clysteribus maximè & cucurbitulis. Roboretur postremò cor ipsum, & intemperies corrigatur, & epithematibus, & unguentis, electuarijs, & confectionibus. Quòd si à parte aliqua, vel vapores communicante, vel etiam materiam, palpitatio contigerit, præter omnia quæ dicta sunt, adhibeatur ratio eius partis, ut omnino non communicet, distrahẽdo purgationibus, atq; partem illam temperando. Non prætermittatur tamẽ in palpitatione, à calida causa missio sanguinis, nam solet ea in eo casu sola prodesse.

De syncope.

Syncope est præceps virium lapsus, & quantum ad hoc patet, quòd ad symptoma referendum est, quod dicitur actio læsa facultatis principis, hoc est vitalis. In syncope enim exoluuntur vires vitales, & propterea dicitur, actio vitalis diminuta multum, vel quasi ablata. Consequitur istud symptoma morbum cordis primarium, aut communicatum habet enim cor commune cum alijs membris, quòd potest

teſt pati aut compati. Et propterea ſequitur accidens hoc malam intemperiem cordis, quæ interdum eſt calida, reſoluens ſpiritus, aliquando frigida extinguens et ſuffocans. Fiũt autem iſtæ intemperies interdum à plenitudine, aliquando ex euacuatione.

Methodus curationis eſt, ut euitentur exoluentia ſuperfluè ſpiritum uitalem, & uitentur omnia quæ eundem ſpiritum, totum ad cor retrahunt, uel ipſum prohibent ad membra diffundi, uel ipſum mortificant. Deinde roboretur cor cum his cordialibus, quæ ab intus & extra adminiſtrantur. Et conſortentur ſpiritus bonis odoribus, atque horum fumigijs, frigidis, ſi corpus et cor æſtuauerint: calidis, ſi frigeãt. Cauenda tamen ſunt iſta, ubi fiat ſyncopis ex præfocatione matricis uenenoſa. In cuius curatione methodus eſt, ut mali odores naribus applicentur, & boni inferius uuluæ ſupponantur. præterea niſi ſyncopis cauſa fuerit, frigus & extrinſecum, aut ſolutio uentris uehementiſſima, inſpiſſetur cutis exterius frigidis aut ſtipticis. Inſuper irroretur uulnus cum frigida uel roſacea aqua. Vbi ſit à calida, epithemetur cor cum frigidis. In ſyncopi uerò ab euacuatione uel fame odorentur cibi deſiderati, & adminiſtrentur, qui ſunt facilis reſumptionis: fricentur & conſtringantur extrema, bibanturq; & maſticentur cordialia reſtrictiua. In omni præterea ſyncope adminiſtretur uinum ſubtile & meracum uel limphatum, niſi uehemens febris, uel intentiſſimi dolores capitis, aut apoſtema intrinſecum, periculum adferat. Vbi ſit à materia uenenoſa, detur confectio theriaces, uel Mithridanea.

De cholera.

In *cholera eodem tempore eijciuntur infra et supra superfluitates, eaq; cibales corruptæ, uel humorales. quo fit ut quantum ad deiectionem ipsam pertinet ad malum motum facultatis expulsiuæ stomachi & intestinorum à causa morbifera, quia ab inæquali intemperatura & solutione continui, à materia humorali uel cibali, uel humorali.*

Methodus curationis est, *ne pacto aliquo constringatur huius euacuatio (nisi ea fiat cum uirium lapsu) uerùm materiæ corruptæ, siue sint cibales siue humorales, aliquo ablutiuo à stomacho mundentur, puta aquæ hordei exhibitione in multa quantitate, uel etiam brodij carnium pullorum, ita ut per superius & inferius materia superfluica à stomacho educatur. Roboretur deinde stomachus cum stipticis, & cibetur corpus cibis facilis concoctionis, paucæ superfluitatis & boni nutrimenti, ijsdemq; paratis cum aliquibus, eis corruptionem prohibentibus. Si uerò in hoc affectu aliqua accidentia superuenerint grauia, ijs incumbatur iuxta eorum exigentiam. Solent in hoc fieri symptomata grauia medicum perterrentia.*

De imbecillitate ventriculi.

In *imbecillitate uentriculi, potest lædi unaquæque ipsius actio: sed proprie imbecillitas dicitur actionis alteratricis facultatis læsio, cum diminutione, ita ne perfectè conficiat nutrimentum, cibumq; integrè digerat & immutet. Secundum hoc pertinere uidetur ad actionem diminutam facultatis*

tis concoctricis, quod symptoma pendet à morbo intemperaturæ frigidæ & humidæ, ut plurimum materiali. licet etiam possit contingere à morbo intemperaturæ calidæ & siccæ, nam omnis immoderata discrasia actum uirtutis deijcit.

Methodus curationis est, ut perspiciatur causa, quæ imbecillitatem efficit, si fuerit intemperies frigida & humida, primo uacuetur materia, si fuerit materialis, uel per uomitum uel per secessum, parata eadem aliquo incisiuo, si fuerit uiscida, & abstergente, si fuerit adhærens. Deinde contrariis auxiliis & intus & extra administratis, tẽperetur uentriculus & roboretur stipticis. Idem dicatur, si fuerit ab intemperie calida humorali, ut humor scilicet purgetur. Deinde contemperetur & roboretur stomachus. Vbi tamen ab intemperie frigida proueniat, dãda sunt cibaria subtilia, quæ facilis coctionis, neque flatuosa. In calida autem intemperie, cibus aliquanto crassior conuenit cum uini abstinentia, quod tamen in frigida conceditur meracum & odoratum.

De dolore ventriculi.

Dolor uentriculi, sensus est corruptelæ contingentis, organo tactus in uentriculo, & propterea symptoma est tactus, quod actio corrupta dicitur. Pendet autem à morbo intemperaturæ, uel solutionis continui, materiali uel immateriali, à materia quidem humorali uel uentosa.

Methodus curationis est, ut abijciatur materia quæ inæqualem intemperaturam facit, siue sit humoralis, siue uentosa, & hoc per uomitum uel per secessum, præparata primò, si fuerit opus, conuenienti præparante. sedetur deinde dolor cum anodynis. Et si fuerit à uentositate, ea digerentibus absumatur.

De phlegmone ventriculi.

Phlegmon *uentriculi, apostema est calidum, & propterea spectat ad morbum compositionis trium generum morborum, scilicet morbi in intẽperatura, in quantitate & unitate, fit à sanguine ad ipsum irruente.*

Methodus curationis est, ut à principio auertatur repellaturq; materia, & sectione uenæ & reliquis auertentibus. Deinde digeratur in augmento: sint tamen digerentia mixta cum repellentibus. quòd si resolui non potest, quod tamen optatius est, coquentibus est suppurandum apostema, quod ubi eruptum fuerit, tergatur, siccetur, carne impleatur & cicatrice tegatur.

De singultv.

In *singultu mouetur stomachus motu conuulsiuo ad expellendum aliquid noxij, non tamen conuulsio dici debet, quoniam stomachus caret motu uoluntario, cuius symptoma est cõuulsio, sed pertinet ad symptoma naturalis expulsiuæ, quoniam est deprauatus eius motus, qui fit à mala & inæquali intemperatura, & solutione continui cum materia calida & interdum frigida, fit etiam interdum à uentositate.*

Methodus curationis est, ut instituatur uictus ratio contraria qualitati humoris singultum efficientis, & quòd apparetur materia si frigida sit & crassa & uiscida, attenuantibus, incidentibus & abstergentibus. Si uerò calida & tenuis, apparantibus non est opus, cum promptè euacuetur, nisi altius in tunicis uentriculi impacta sit. ab hac præparatione methodus est, ut uacuetur & quidem clementibus medicamentis,

dicamentis, quorum uis hepar non transcendat. Præstat excutere materiam à uentriculo, uomitu uel strenutamento. Postremo, intemperies relicta à calido uel frigido humore, suis abijciatur contrarijs, tum intus tum extra administratis. Si uerò sit à uentositate, si ea fota est à materia, ea primo è stomacho: sin minus, digeratur, & absumatur auxiliis dissipationem facientibus.

De immoderata appetentia.

Immoderata appetentia est insatiabilis appetitus ciborum. Et propterea symptoma est actionis corruptæ appetitiuæ facultatis oris stomachi. Sequitur morbum inæqualis intemperaturæ siccæ, quæ interdum consequitur absumptionem factam à morbo, uel nimio corporis motu, aut simili alia causa. Interdum consequitur morbum intemperaturæ frigidæ & siccæ, materialem oris stomachi.

Methodus curationis est si fuerit ab inanitione & siccitate membrorum, ut concedantur cibi pauci, sed frequenter, et coctu faciles. Atq; resumptioni corporis & membrorum omnino incumbatur. Verum si fuerit à materia frigida et sicca, ea euacuetur, & spleni potissimum incumbatur, demum exhibeantur ea, quæ appetitum prosternunt, ut pinguia oleaginosa.

De dolore hepatis.

In dolore hepatis, dolet hepar ratione panniculi ipsum cooperientis, alioquin enim sensu caret hepar. Dolor eius, ut aliarum partium dolores, spectat ad symptoma corrupti tactus, & sequitur morbum intemperaturæ, uel solutæ unitatis, aut morbum compositionis, ut apostematis: fit interdum

interdum à materia humorali, interdum uentosa.

Methodus curationis est, ut adhibeãtur remedia quæ causæ dolorificæ contrariæ sint. Et semper mixta sint his, quæ robur hepatis conseruant. Si igitur dolor fuerit ab intemperie materiali, euacuetur materia, & corrigatur intemperies contrariis: si à uentositate, digeratur & dissipetur.

De phlegmone hepatis.

In phlegmone hepatis, uiscus hoc secundum partem in qua est phlegmon, intumescit, atque soluitur sua unitate. quo fit ut pertineat ad morbum compositionis, qui comprehendit tria genera morborum. In intemperatura calida, & morbum in unitate. fit autem morbus hic compositionis, à sanguine uel à cholera dominante in sanguine, quum scilicet ad eam partem confluit, aut in ea congeritur.

Methodus curationis est, quòd instituatur uictus ratio tenuis & refrigerans, quæ sanguinem ad fluendum ineptiorem reddat: retrahatur materia quæ ad hepar fluere est parata, secta uena iecoraria. item ligaturis, frictionibus, & cucurbitulis in artus ipsos impactis. repellatur dein ab hepate frigidis & stipticis, hac tamen cautione, ut hoc mitioribus fiat, ne uiis hepatis contractis obstructio in eo excitetur, ne etiam ex immoderatis frigidantibus phlegmon in sinum transeat. Coquatur præterea materia, habita semper ratione, quòd coquentia nõ priuentur aliqua astringente facultate, ut robur partis principis seruetur. Ab his euacuanda est materia, ua cuantibus lenibus, per secessum, ubi phlegmon imam hepatis partem obsederit: si uerò gibbam, magis per urinam. Insuper reliquiæ materiæ digerantur mixtis tamen stipticis. Et

postremò

postremò intemperies derelicta, frigidis corrigatur, ubi scilicet phlegmon resoluentibus est persanata. Si uerò fieri non potuerit quin suppuretur, coctio adiuuanda est ex cataplasmatibus, demum abscessus eruptio procuretur, saltu, uomitu, sternutamento, postea ulcus tergatur & glutinetur.

De hepatis imbecillitate.

In hepatis imbecillitate, non inducit hepar perfectam formam sanguinis in chylum, sed dimittit ipsum aquosum satis, & similem aquæ loturæ carnis recens mactatæ. quo fit ut debilitas hepatis pertineat ad symptoma diminutionis, functionis alteratricis hepatis. Pendet autem à morbo intemperaturæ frigidæ. Verùm & hepatis, ut aliarum quoq; partiũ, imbecillitas à quauis intemperie insigni effici potest.

Methodus curationis est, ut per cõtraria corrigatur, uacuata primum materia, et addantur clementer aperientia et roborantia hepar.

De icteritia.

In icteritia, color totius corporis uergit ad citrinum, uel uiridem, uel nigrum. Et hoc quidem accidit, cum crisi uel citra crisin. Quum citra crisin fit, quantum attinet ad colorem, sub symptomate ponitur de genere qualitatis uisilis corporis mutatæ: quod symptoma sequitur malã actionem totius corporis ab intemperie calida. Aut malam actionem membrorum nutrimenti, scilicet quæ nutrimentum faciunt, puta hepatis ob morbum consimilem calidæ intemperaturæ, aut propter morbum compositionis, scilicet ob inflammationem. Vel sequitur malam actionem membrorum, quæ nutri-

mentum

mentum purgant, & tunc est uel initio lienis, uel uesicæ fellis, scilicet ex actiõe eius functionis attractiuæ læsæ propter intemperiem frigidam, uel propter obstructionem, quæ accedit meatibus quibus attrahitur flaua bilis, ad ipsam uesiculam, uel atra bilis ad ipsum lienem: fit etiam interdum icteritia, quum unum aut alterum istorum membrorũ plenum est, neque expurgatur propter malam intemperiem, aut obstructionem meatuum, per quos unus, aut alter humor expurgatur.

Methodus itaque curationis est, si facta fuerit icteritia ex intemperie calida totius corporis uel iocineris, ut contrarijs contemperetur discrasia, subducta primum materia, & instituatur uictus ratio refrigerans & humectans. Si uerò contigerit propter obstructionem, uictus ratio sit tenuans, aperiens & admodum calefaciens, paretúrq; materia in meatibus infarcta, cum incidentibus, tenuantibus, primò quidem leuioribus, & aperientibus. deinde euacuetur, & ab hac euacuatione meatus aperiãtur, uiscusq; illud roboretur iuxta exigentiam eius defectus, si ex debilitate eius contigerit.

De hepatis obstructione.

In obstructione hepatis, obstruitur hepar in poris suis, uel in uasis uel meatibus, per quos expurgatur sanguis, à suis superfluitatibus, & nunquam fit integra in uasis, quin aliquid penetrare possit, quod penetrare debet, licet fortasse id tenuius, & subtilius sit, quod penetrat. Patet secundũ hoc quòd pertinet ad morbum officialem in uia, qui fit ob multã materiam uel crassam uel uiscidam retentam in uijs ac meatibus iecinoris, in quibus est obstructio, interdum est materia uaporosa

uaporosa obstruens, quæ cum difficultate ob eius crassitiem digeritur.

Methodus curationis est, ut à victu tenui calefaciente & aperiente, ea adhibeantur, quæ obstruentem materiam primo subtilient incidant & meatus abstergant, dein quæ purgent & aperiant. Propterea euitentur crassa, lenta, multa alimenta, motus, balneum, studium, & somnus à cibo.

De hydrope.

In omni specie hydropis errat alteratrix facultas iecinoris grandi errore. quoniam uel plurimam aquam, conficiendo sanguinem, facit, uel flatum plurimum, aut sanguinem plusquam deceat pituitosum. Si aquam plurimam generat, una efficitur species hydropisis, quæ ascites dicitur, si flatus, species secunda, quæ tympanites uocatur. Quum autem sanguinem pituitosum, fit tertia species, quam hyposarcam nominant. Vnaquæq; species ergo, quantum spectat ad errorem alteratricis hepatis, pertinet ad symptoma actionis eius corruptæ. sequitur autem morbum consimilem in intemperatura frigida semper, priuatiuè, scilicet quæ fit per priuationem naturalis caloris, licet præternaturalis abundet: aut sequitur intemperaturam frigidã positiuè, & hoc præsertim in specie hyposarcæ. Si tamen particulariter unaquæq; consideretur, Ascites primò quantum ad uentris tumescentiam impedientem quoquo modo operationes corporis, dicitur hydrops morbus compositionis, in quantitate aucta, cuius causa est aquositas contenta in uacuitate uentris interdum inter siphac & mirach. Idem dicitur de specie tympanitis. Hyposarca autem potest referri ad duos affectus, &

ad affectum malæ compositionis in quanto, pro quanto scilicet aucta moles totius corporis plus æquo, lædit eius operationes proprias: potest etiam referri ad morbum, in intemperatura frigida & humida, materialem, si consideretur, pro quanto hæc intemperatura naturalibus operationibus officit. Raro hydrops simplex, hoc est unius speciei inuenitur. Imo, ut plurimum, complexum habet una species cum altera, præsertim ascites cum tympanite, & econtra. Nomen tamen assumet à specie ualentiori, id est, magis apparente. Si aliqua species hydropis curabilis est, præcipuè curatur hyposarcha. Reliquæ duæ species difficillimæ habentur curationis.

Methodus curationis est in omni hydrope, ut materia eius euacuetur, in ascite scilicet, aquositas per soluentia quæ tamen hepati non inimicentur: in tympanite, per digerentia, sicuti & in hyposarca purganda est materia pituitosa. danda sunt præterea quæ aperiant, & urinã prouocent, in duabus speciebus, ascite scilicet & hyposarca. Temperandum est præterea hepar contrarijs eius discrasiæ. Instituatur in omni specie uictus ratio calefaciens & exiccans, & aquæ potus interdicatur omnino, quum nil omnino malo huic magis, quàm ipsa aqua aduersetur.

De dolore splenis.

Dolor splenis est sensus tactus nocitiui, contingens lieni ratione panniculi ipsum cooperientis. Ideo ad symptoma tactus corrupti pertinere uidetur, quum sentiat quod naturaliter sentire non debet, scilicet corruptionem quæ ipsi accidit propter morbum inæqualis intemperaturæ, mate-

materialem uel immaterialem, aut propter morbum communem ſolutæ continuitatis, quæ fit uel à uentoſitate, uel humore.

Methodus curationis eſt, ut euacuetur humor miſſione ſanguinis per ſectionẽ uenæ iecorariæ, ſiniſtri lateris, ſi ſanguis fuerit in cauſa. Si alter humor, purgatione educatur et digeratur uentoſitas, & anodinis dolor ſedetur.

De colico dolore.

Dolor colicus, eſt dolor inteſtinorũ, præcipuè craſſorum. nam qui fit in gracilibus, iliacus nominatur. Manifeſtatur uterque dolor circa uentrem, & fit cum difficultate exitus eorum, quæ egredi conſueuere per inteſtina. quare pertinet ad ſymptoma duarum facultatum, principaliter tactiuæ inteſtinorum, conſequenter eorundem expulſiuæ. Quantum enim ad dolorem, eſt actio corrupta tactus inteſtinorum. qui ſentit corruptionem contingentem ipſis inteſtinis, ob duplex genus morbi, ſcilicet inæqualis intemperaturæ, & ſolutionis continui, qui fiunt à materia humorali pituitoſa, ut plurimum, uel à uentoſitate. Quantum ad difficultatem exitus eorum, quæ egredi conſueuerunt, ſpectat ad actionem læſam diminutæ uirtutis expulſiuæ, uel etiam interdum ablatam, à morbo in uia, quoniam ab obſtructione quæ fit à ſiccitate fæcum, uel etiam fit à mala complexione frigida pituitoſa.

Methodus curationis, eſt in omni ſpecie colicæ, ut primo ſubducantur fæces cũ adminiſtratione clyſterium. Dein exhibeantur quæ ſoluunt materia pituitoſam, non tamen à longinquis attrahant, ſed ab inteſtinis leniendo atque flatum di-

gerendo, quale est oleum amygdalarum dulcium, cum penidijs per os administratum, uel cum electuario de dactylis. Sunt præterea admouenda uentri anodina & doloris sedatiua, casu tamen uehementissimi doloris uires prosternentis, narcotica, quale est philonium aut theriaca noua, uel etiam Mithridatica confectio. & instituatur ratio uictus tenuis, calefaciens & exiccans, cum omnimoda aquæ abstinentia.

De volvvlo.

In uoluulo, accidit dolor in gracilibus intestinis, simul ac per superius expelluntur ea, quæ deorsum expelli consueuerunt, quare patet quòd pertinet ad duarum facultatum symptomata, scilicet ad symptoma tactus, quantum ad dolorem, qui tactus est corruptus ipsorum intestinorum graciliũ, & eius causa est morbus in intemperatura, uel solutio continui. Quantum autem ad expulsionem materiei, per superius, quæ deorsum expelli consueuit, pertinet ad actionem corruptam expultricis facultatis eorundem intestinorum. Et fiunt utraque symptomata à materia, ut plurimum, frigida, uel à uentositate crassa, quæ obstruunt partes inferiores, & impediunt naturalem expulsionem deorsum.

Methodus curationis est, ut clysteribus & glandibus fortiter attrahẽtibus subministratis, deorsum materia trahatur.

De fluxv ventris.

In fluxu uentris fit excretio uiolenta, et ideo fit præter naturam, humorum scilicet, ciborum uel substantiæ intestinorum. Et propterea quantum ad substantiam excretam,

tam, pertinet ad ſymptoma, quod eſt exiens mutatum, quod morbum ſequitur mediante alio ſymptomate, quoniã mediante actione læſa inteſtinorum, ſcilicet expultricis uel retentricis eorum, quorum actiones læduntur à morbo inæqualis intemperaturæ & ſolutionis continui, materialibus quidem à materia defluente ab alijs partibus. Et propterea fluxus uẽtris differentiæ plures habentur, nec dũtaxat ex parte materiei, ſed etiam membrorum à quibus defluit materia ad inteſtina, unde ex parte materiei dicitur triplex fluxus, ſcilicet lientericus, diaricus & dyſentericus. Lientericus eſt fluxus materiæ cibalis, uel parum immutatæ à cibo: diaricus uerò, eſt fluxus humoralis: dyſentericus uerò, ſubſtantiæ inteſtinorum. Ex parte membrorum ſunt tot differentiæ, quot membra à quibus fluit hæc materia, interdum enim à cerebro, aliquando à ſtomacho, quandoque à iecore, quandoque à liene, & alijs membris defluit hæc materia.

Methodus curationis eſt, ut nullus fluxus cohibeatur ſtatim & à principio, præterquàm fluxus lientericus, qui & ab ipſo principio cohibendus eſt, quum ex eo nutrimentum corpori ſubtrahatur, uiresq; deijciantur. Propterea danda ſunt in fluxu iſto, quæ ſtatim ſtomachum à materia pituitoſa expurgent, atque ipſum roborent, atq; conſtringant. In fluxu autem diarico, purganda eſt materia, & contemperandum eſt membrum à quo fluit materia ad inteſtina, moxq; cõ ſtringentia ſunt adhibenda. In dyſenterico autem fluxu, cauſa ipſius à corpore eſt abijcienda, atque abluenda ſunt inteſtina, loricandaq; unctuoſis clyſteribus. quòd ſi facta ſint ulcera, ab excoriatione inteſtinorum, ea tergenda ſunt, mox ſolidanda. Si uerò fluxus contigerit ab aliquo membro, eius membri ratio prius habenda, demum contrarijs fluxus curandus

randus est. habita semper consideratione, quòd uictus ratio sit contraria fluxui.

De tenesmo.

In tenesmo fit frequens & assidua assellandi uoluntas. Quo fit ut pertineat tenesmus ad symptoma facultatis expulsiuæ intestini longonis, quia malus motus, qui fit cum irritatione nocitiui alicuius. Et propterea pendet à morbo inæqualis intemperaturæ, & solutionis continui, à materia acri borachia uel salsa, uel fit etiam à uentositate.

Methodus curationis est, si sit tenesmus à materia humorali, quòd abluantur ab ea intestina ex aliquo decocto abstergente, per clystere, subministrato. Si à uentositate, admoueantur ano quæ calefaciant & exiccent, flatúmque ipsum digerant.

De iscvria.

In iscuria, urina in solidum supprimitur. quare pertinet hæc suppressio ad malam actionem uirtutis naturalis uesicæ expultricis: quæ mala actio fit ob morbum intemperaturæ frigidæ uesicæ. interdum contingit ob morbum officialem in uia, quoniam propter obstructionem meatus ceruicis uesicæ, aut urinariæ fistulæ, quæ fit uel ab humoribus crassis, sanguine, sanie, aut lapide. Signa, quòd actio impedita ab intemperatura frigida, sunt, quòd, si manibus locus uesicæ comprimatur, effluit urina. Quum uerò est ab obstructione, cognoscitur, quoniam præcessit mictus sanguinis. Si à crassis humoribus, cognoscitur ex uictus ratione, quæ præcessit. Si à lapide, sunt notæ lapidis.

Si itaque supprimatur urina ab intemperie frigida, methodus

thodus est, ut purgatio adhibeatur corpori ab humore pituitoso: demum contemperetur uesica calidis & siccis. Si uerò sit ab obstructione, ea assumantur, quæ materiam crassam subtilient, uiscidam abstergant atque incidant, & si opus fuerit, non solum pectini admoueantur hæc, uerùm etiam instrumento impositio, obstruens materia à collo uesicæ, atque urinaria fistula amoueatur.

De calculo renum, et vesicæ.

Ex calculo fit interdum obstructio in uijs renum, neq; exit urina. tunc pertinet lapis renum & uesicæ, ad causam morbi officialis in uia. Interdum nocet immediatè uirtuti expulsiuæ uesicæ, tunc pertinet ad morbum in numero addito. fit lapis ex materia qualibet uiscida, sed potißimum pituitosa. quare debet nedum curari, uerum etiam prouideri ne fiat.

Methodus autem prouidentiæ est, ut euitentur omnia quæ eius materiam in corpore augent, instituendo scilicet uictus rationem contrariã generationi pituitæ. Si qua uerò in corpore congeritur, prohibeatur ne ad renes deriuet, trahendo ipsam ad inteſtina, & clysteribus sæpe subministratis, & leniente medicina superius accepta. Si qua præterea materiæ portio ad renes transierit, methodus est ut aliquo abluente uretico expellatur. Et in summa in illa prouidentia tota intentio debet uerti ad duo membra, stomachum scilicet & renes, roborando scilicet stomachum ut bona fiat concoctio, et renes, ipsos contemperando, ne nimio calore lapidem ipsum ex materia efficiant. Curationis uerò methodus est, ut lapis iam concretus rumpatur atque expellatur, uiæq; aperiantur

dilatenturq; & lubricentur, administrando primò cassiam cum oleo amygdalarum dulcium & etiam amararum, & ab his ea quæ attenuandi & frangendi lapidem uires habent.

De strangvria.

Strangvria est urinæ stillicidium, & est quum paulatim & guttatim urina destillat, ac assiduam ad meiendum irritationem facit. Quantum igitur ad destillantem urinam, & modum, quo effluit & stillat, pertinet ad symptoma, quod dicitur exiens mutatum, & sequitur immediatè actionem læsam musculorum ceruicis uesicæ, quoniam resolutionis, quæ contingit, propter morbum ipsis proprium, utputa, propter frigiditatem & humiditatem materialem uel immaterialem, uel propter morbum communicatum à uesica, quoniam propter ulcus uel inæqualem intemperiem calidam, quæ inducitur ab acuitate urinæ in uesica. Signum, quòd sit à resolutione, est quòd effluit urina sine dolore. Quum uerò est ab ulcere, aut ab urinæ acrimonia, signum est dolor & urinæ mordacitas in exitu.

Methodus curationis est, ut auferatur causa, si fuerit scilicet ex resolutione ceruicis uesicæ cum calidis, & siccis, et eadem uictus ratione, de qua in paralysi, adhibita corpori purgatione pituitosorum humorum. Si uerò fuerit ex acrimonia, puta ex admistione flauæ bilis, instituatur uictus ratio refrigerans & humectans & prohibeantur omnia acria, salsa & acetosa, purgetur deinde flaua bilis leni medicina, non autem exoluente. & adhibeantur ea, quæ multam urinam faciunt, eandemq; non mordicantẽ, & quæ urinæ acrimoniam obtundunt, narcotica scilicet in maxima urgentia et

neces-

necessitate. Si uerò fuerit ex ulcere, methodus est, ut ulcus primò tergatur sero lactis asinini uel caprini, donec pus excerni cesset, dein dentur ea quæ glutinent & ulcus solident.

De mictv sangvinis.

In mictv *sanguinis eijcitur sanguis per mictũ, qui quantum ad sanguinem exeuntem, pertinet ad symptoma, quod dicitur exiens mutatum de toto genere præter naturã: sequitur actionem læsam uesicæ uel membrorum supra, quoniam sequitur uirtutem contentiuam uenarum læsam, à morbo communi, scilicet solutione continui: consequitur etiam actionem læsam renum, atque etiam iecinoris, quoniam debilitatem secretricis ipsorum.*

Methodus curationis est, quòd si fuerit ex quantitate sanguinis, ut sanguis uena secta iecoraria educatur: si ex qualitate, purgetur corpus ab humore, qui malum sanguinem efficit, & distrahatur omnibus generibus distractionum. Si facultas secretrix imbecilla renum, sanguinis mictum fecerit, illitis lumbis aliquo frigido & sicco linimento uel unguẽto, renes roborentur. Instituatur dein uictus ratio quæ contrarietur causæ.

De diabete.

In *diabete fit sitis pertinax, neque satiantur ægri ex alĩqua liquoris exhibitione. quicquid tamen assumpserint per potum, uel uinum sit uel aqua, citissimè per urinam expellitur. quare quantum pertinet ad urinæ exitum, potest dici et connumerari inter symptomata quæ sunt de genere exeuntium*

tium mutatorum, quoniam urina mutata est in eius exitu secundum quantitatem multam. Consequitur istud symptoma actionem læsam uesicæ, quoniam contentiuam à quantitate urinæ à renibus effluente. Potest considerari etiam, ut est uitio renum, quoniam uitio caloris eorundem, & sic uidetur pertinere ad genus morbi consimilis in intemperatura calida.

Methodus curationis est, ut administrentur ea, & admoueantur quæ refrigerant renes. & in hoc est summa curationis huius affectus.

De vermibvs.

Symptomata quæ uermes comitantur, uaria & diuersa. fiunt enim in quibusdam morsus intestinorum & uentriculi, tußiculæq; tenues ac exiguæ, & frequenter irritantes, quum tamen nihil reijciatur. alijs accidit singultus & somnus cum tremore. à somno quidam exurgunt cum clamore, & iterũ sopiuntur. sic & uaria accidentia fiunt. Vermes autem possunt considerari, ut impediunt intestinorũ expulsiuam à proprio munere obstruentes scilicet, & quãtum ad hoc, sunt connumerandi inter causas morborum. Pro quãto autem immediatè lædunt intestinorum cõstrictionem quæ fit ad expulsionem fæcum, possunt reduci ad genus morbi in numero addito. Causa ipsa est, cruda materia crassa & pituitosa & putredini accommoda, quæ licet in pueris abundet, ex malo & inordinato regimine, & mala uictus ratione, potest etiam in adultis & cuiusq; ætatis hominibus coaceruari. Propterea præcauendum est à generatione ipsorũ, curandaq; simul corpora, ubi sunt geniti.

Prouí-

Prouidentiæ methodus est, ut ea corpori administrentur in ratione uictus & medicinarum, quæ prohibeant pituitæ generationem. Curationis autem methodus est, ut instituatur uictus ratio calefaciens & exiccans: & ea primo corpori concedantur, quæ uermes necant, deinquæ necatos expellant. Prohibeatur etiam ascensus ipsorum ad uentriculũ, cum stipticis & amaris sumptis, et uentriculo admotis. Procuretur præterea, ut deorsum trahantur dulcibus scilicet iniectis per clystere, & balanis.

De haemorrhoidibvs.

In hæmorrhoidibus fluit sanguis per uenas quæ ad anũ terminantur. quantum autem ad sanguinem fluentem, pertinet ad symptoma exeuntis mutati, quod consequitur actionem læsam contentiuam uenarum hæmorrhoidalium, à morbo officiali, quoniam ab apertione osculorum uenarum, quæ fit à sanguine multo, uel qui sua qualitate peccat.

Methodus curationis est, quum à sanguine est multo, ut non constringantur antequam uires deficiant. Idem etiam, quum fuerit fluxus iste ex mala sanguinis qualitate, nam multoties fluxus iste à morbis corpori imminentibus præseruat. Quum uerò eius constrictione opus est, uacuetur primò sanguis secta uena, qui superabundans est, & auertatur omnibus generibus distractionum, corrigaturq; sanguinis uitium uictu tenui, ubi copiosior fuerit, & purgationibus, si uitio humoris alterius malam qualitatem habuerit. Contrahantur præterea ora uenarum, & incrassetur sanguis sumptis refrigerantibus, & admotis stipticis constringantur, & si opus fuerit administrentur narcotica, in casu quo scilicet uires

res deijciantur, nec alijs remedijs sanguis supprimi possit.

De ani procidentia.

In ani procidentia, quũ æger ad sedem surgit, fit exitus extremæ longonis partis, quæ ficteris dicitur. Et propterea quantum ad exitum partis à suo loco, pertinet ad morbum in situ: fit autem à mala intemperatura humida laxante musculos, qui partem illam releuant.

Methodus curationis est, ut uictus ratio instituatur calefaciens & exiccans, dein introducto manibus ano, ea admoueantur quæ refrigerent & exiccent, eaq; sub forma linimenti, uel fotus, uel insessionis quoque.

De vteri exitv.

Vterus quandoq; descendit ad unum aut alterum latus, quandoq; etiam adeo procidit, ut extra uideatur & appareat. Hic ergo exitus pertinet ad morbum in situ, prouenit autem ab humiditate multa ligamentorum, uel abscessu ab ulcere, aut à partu infelici, uel à casu ab alto.

Propterea methodus curationis est, ut causa auferatur & restituatur uterus suo loco natiuo. Solet aũt impedire reditũ hũc multotiens inflatio. hæc ergo fotu ex aliquo decocto flatũ digerente primo dissipetur, mox ne recidat, inspergatur uterus pulueribus stipticis, & maleolentia supponantur, quæ uerò bonum odorem referunt, per superius administrentur.

De

De mensivm fluore.

In mensivm *fluore exuberat sanguis consuetus effluere per uenas matricis, atque adeò ut corpus imbecillitatem sentiat. quantum ad sanguinem immodicè fluentem, pertinet ad symptoma exeuntis mutati ex toto genere præter naturam, quod symptoma sequitur actionem læsam uenarum matricis à morbo officiali, quoniam ab apertione orificiorum uenarum matricis, & hoc ob sanguinis multitudinẽ aut qualitatem.*

Methodus curationis est, si fluxerit ex copia sanguinis, ut euacuetur distrahaturq; sanguis secta uena hepatis, & minuatur uictu tenui, eodemq; refrigerante. Si fluxerit ex commistione bilis uel alterius humoris, humor ille à corpore subtrahatur, medicina tamen stipticitatem habente. sistatur dein & cum his quæ per os assumuntur, quæ uentri & dorso admouentur. Præstat reuulsionis causa apponere uentosas siccas sub mamillis, atque reliquas facere diuersiones, & interdum casu necessitatis exhibere narcotica.

De svppressione menstrvorvm.

Qvvm *non expurgatur mulier mensibus singulis, secundum quòd per sanguinem naturaliter purgari debet, dicitur pati suppressionem menstruorum. quæ suppressio, quantum spectat ad ipsum sanguinem non exeuntem, secundum morem pertinet ad symptoma, quod dicitur exiens mutatum, quoniam retentum. Et consequitur actionem læsam uirtutis naturalis expulsiuæ matricis, quæ deficit in*

sua

ſua actione propter morbum intemperaturæ conſimilem, ut plurimum frigidæ & ſiccæ. Aliquando conſequitur morbũ officialem, quoniam obſtructionem. Interdum etiam læditur expultrix uteri ob morbum compoſitionis, id eſt, propter apoſtema.

Methodus curationis eſt, ut cauſa ſuppreſſionis abigatur. Si fuerit obſtructio ob multum ſanguinem, ſecetur uena poplitis aut maleoli, & inſtituatur uictus tenuis. Si à craſſo humore, tenuetur humor. Si à lento, incidatur, tergatur, deinde dentur ea quæ aperiant, & menſtrua prouocent. Si fuerit ex ſiccitate matricis, adminiſtrentur humectantia. Si à paucitate ſanguinis, reſtauretur corpus primò: deinde dentur ea quæ prouocent. Si ab apoſtemate, curetur apoſtema & cætera.

De gonorrhœa.

In gonorrhœa exit ſemen inuoluntariè, & quantum ad materiam exeuntem, dicitur gonorrhœa ſymptoma de genere exeuntis mutati, quod ſequitur actionem læſam contentiuæ uel expulſiuæ uaſorum ſeminis à ſpaſmo, propter inæqualem intemperiem, ab acuitate ſeminis, & tunc exit pene intento: aut malam actionem contentiuæ uirtutis eorundem, à reſolutione, propter malam intemperiem frigidam & humidam, pene reſoluto aut paralytico. Primæ ſpeciei curationis methodus eſt, ut adminiſtrentur frigida & humida, remittentia acuitatem ſeminis. In huius curatione ualet plurimum nenuphar. Alterius ſpeciei curationis methodus eſt, ut procedatur calidis & ſiccis tum intus aſſumptis, tum extra admotis, & in hoc ualet mirabiliter ſemen agni caſti à purgatione pituitæ, & inunctiones calidæ. Nota tamen, quòd

quòd interdum effluit materia catarrhalis & uocatur iste fluxus gonorrhicus. Et decipiuntur medici: nam si esset hic fluxus deberet perducere corporis debilitatem & maciem, si perseueraret aliquot uel paucos etiam dies: sed hic perdurat menses & annos, nec corpus sentit aliquam imbecillitatem. quare non debet appellari gonorrhicus, nec curari aliter quàm alij fluxus catarrhales. In hoc ergo considerandũ.

De suffocatione matricis.

Accidit mulieri interdum uitio uteri, ut quasi suffocetur, ac ne mediocriter quidem etiam spirare uideatur, compatiente scilicet corde & cerebro, ad ipsum uterum eleuatis uenenosis uaporibus, à spermate retento corrupto, uel à sanguine menstruo etiam corrupto. Et quantum ad suffocationem ipsam, pertinet ad symptoma actionis læsæ uirtutis cordis, propter scilicet morbum intemperaturæ frigidæ eiusdem.

Methodus curationis est, ut in omni suffocatione matricis distrahantur fumi mali & uenenosi à corde, frictionibus, omnibusq; alijs modis, qui deorsum uapores conuertunt: etiã phlebotomia à uena si fuerit suffocatio à sanguine menstruo retento, quo casu administrentur ea superius & inferius quæ menstrua prouocent. Si uerò fit à spermate retento, fiat prouocatio seminis, & si nubilis est, nubat in domino, uel ea administrentur quæ sperma exiccant. & in summa, in utraq; regimen & uictus ratio sit attenuans.

De

De rhagadibvs.

Rhagades *sunt rimæ quædam & fissuræ utero accidentes, quandoque extrinsecus apparentes in ore & collo, interdum interius, ita ne oculis conspiciantur. Et omnes pertinent ad morbum solutæ continuitatis, & fiunt à siccitate.*

Methodus curationis est, ut principio toti corpori purgatio, mox localia præsidia humectantia adhibeantur.

De mola matricis.

Interdvm *accidit mulieri ut sese utero gerentem credat, quum tamen non sit prægnans, & tamen uenter intumescit, ac si esset grauida, perseueratq; uentris augmentũ ultra debitum pariendi tempus, quod est, quoniam interdum in utero earum generatur caro informis, ex spermate muliebri, & eiusdem sanguine menstruo, uel cõcurrente etiam maris spermate, non tamen apto formationi propter causam aliquam. Aliquando etiam causa tumescentiæ uentris est aquositas, quæ in utero congeritur. Multoties etiam flatus idem efficit, & ante tempus pariendi quandoq;, plerunque etiam post tempus pariendi debitum, aquositas erumpit ex utero, uel flatus, aut mola, aut informis caro reijcitur non sine periculo. Patet quòd pertinet dispositio hæc quantum ad molam, ad morbum in numero addito. Discernitur autem mola ex eius grauitate, & quoad motum mulieris de latere ad latus mola ipsa itidem mouetur.*

Ventositas autem deprehenditur eius sonitu ad uteri percussionem:

cussionem: sicut etiam aquositas deprehẽditur eius motu instar uteri pleni aquæ.

Methodus curationis est, ut à principio prouideatur auxilijs menses mouentibus, in processu uerò adhibeantur ea, quæ & ad deducendum fœtum mortuum sunt idonea, ubi scilicet fuerit tumescentia uentris ex carne informi, si uerò sit ex aquositate uel flatu, ea administrentur quæ aquositatem exiccant & flatum digerunt. Et in summa dentur ea quæ corpus ab aquositate expurgant, eáque ratione procedatur, qua in hydrope ascite & tympanite.

De ramice.

Dvplex est ramex, mirachialis scilicet, & ossealis. Est autem unaquæque, excrescentia, & magnitudo scroti, uel partis mirach. Et sic patet quòd est morbus compositionis, quoniam in quantitate aucta partis ramicatæ. & causam habet multiplicem, uidelicet zirbum, uel intestina, quæ in scrotum descenderunt, propterea quòd didimus est relaxatus, uel mollificatus aut solutus: aliquando aquositatem, quæ uitio hepatis, digestiuæ uel discretiuæ eiusdem, ad eandem partem effluxit: interdum uentositatem, quæ est gemita à cibis & calore debili.

Methodus curationis est, si sit ex intestinis ramex, ut primò introducantur intestina in locum proprium, dein ligatura conuenienti, aliquo exiccante remissa intus seruentur. Si ab aquositate, methodus est ut consulatur hepati, corroborando ipsum à sufficienti purgatione, & aquositas exiccetur, uel etiam sectione educatur. Si à uentositate, digeratur, uictusq; ratio instituatur calefaciens & exiccans.

De arthritide.

Arthritis est dolor, omnium uel plurium iuncturarum corporis, cuius species sunt chiragra, podagra, dolor genus, & similes dolores, sunt omnes symptomata tactus, quoniam sunt tactus corrupti partium dolentium. Oboriuntur ob duplex genus morbi, scilicet ob genus morbi inæqualis intemperaturæ, & solutionis continui: fiunt autem morbi arthritidis, à materia catarrhali semper, quæ ob debilitatem partium, & latitudinem uiarum, atque fortitudinem mandantium membrorum in expultrice, & licet possint esse omnia principalia, tamen maximè est cerebrum, quòd ipsum sit fons materierum catarrhalium, tum quòd propter suam frigiditatem, non cõcoquit perfectè proprium alimentum, tum quòd non digerit uapores, qui ab inferioribus partibus continuò ad ipsum feruntur. Et licet merito huius, arthritis semper deberet fieri à morbo, à frigida materia dependente, tamen stante in aliquibus corporibus caliditate iecinoris multa, fit etiam aliquando materia calida dominante. Et signa sunt caliditas partium dolentium percepta ad tactum, & coloris rubedo, temperatura calida, ætas, regimen præcedens, intensio doloris, ut plurimum, cum febre. Si uerò à frigida, signa sunt frigiditas temperaturæ, regimen ad cruditatem faciens cum prolixitate.

Methodus curationis est, ut euacuetur, & distrahatur materia à parte sectione uenæ, si sanguinea fuerit, si uerò alij humoris, purgatione. repellatur dein materia à parte affecta, & remittatur qualitas materiei, & si dolor uehemens fuerit, anodinis sedetur, deinceps dissipetur quod fluxum est.

regimen

regimen instituatur, quo feruor materiei remittatur, et eiusdem fluxus inhibeatur.

DE ISCHIATICO DOLORE.

ISCHIAS *idem est quod coxendicis dolor, qui species est arthritidis, quoniam iunctura ischiæ, & est symptoma ischiæ eius partis, quoniam actio eius corrupta, quum sentiat, quod naturaliter sentire non debet, scilicet corruptionem organis eius partis contingentem. Consequitur morbum in inæquali intemperatura, & solutione continui eiusdem partis, materialem quidem, à materia per modũ catarrhi ad eam partem debilem naturaliter uel casu aliquo. Et hæc materia, licet possit ab omni parte corporis, præsertim principe, defluere, propterea quòd pars labefactata debilis, omnium superfluitates partium apta est recipere, tamen potissimum hæc materia à capite defluit, & potest esse calida uel frigida, uel mixta, ut plurimum, tamen dominante frigida. Et signa sunt à corporis habitudine, à regimine præcedente, & à modo doloris. nam semper in calida, uel in dominio calidæ, temperatura corporis calida est, regimen etiam præcessit proportionatum generationi humorum calidorum dominantium & dolor semper intensior. In dominio autem frigido, complexior frigidior, regimen præcessit faciens magis ad cruditates, & dolor non ita intensus. præterea longioris spatij est, quàm in calida.*

Methodus est, quòd cum iste dolor pendeat à morbo fiente habente causam, ut priusquam morbo ipsi uel symptomati uacemus, causam ipsam auferamus. Præterea capiti ipso

tanquam malorum origini, & toti corpori purgationem adhibeamus, ut in arthritide. mox auxilijs topicis morbum ipsum curemus. adhibita tamen hac consideratione, ne repellentia admoueamus parti, sed ea quæ ualenter foras ex profundo cotyli trahant.

*

MEDICINALE COMPENDIVM ISAGOGICVM, CAMILLI THOMAI MEDIci Rauennatis, ad tyrones.



AGGRESSVRVS *aliquam artẽ, primò ſubiectũ circa quod operaturus eſt contemplatur, ſubinde quidnã in eo ſubiecto eſt operaturus. faber quidẽ lignarius lignũ primò cõſiderat, poſtremò quid in ligno facturus ſit. ſic et medicinæ ſubiectũ quidẽ corpus humanũ ſanabile, cuius ſanitatẽ conſeruat et ægritudinem curat. Eſt autem utraque, ſanitas ſcilicet & ægritudo in membris corporis, quæ duplicia ſunt, uidelicet compoſita ſeu inſtrumentalia, & ſimplicia ad ſenſum, quæ inſtrumentalium partes ſunt. Inſtrumentalia membra, ſeu compoſita ſunt, quæ corpori adminiculantur, qualia, manus, pedes, oculi, nares & huiuſcemodi partes. eæ nanque componuntur ex ſimplicibus, quæ etſi ſimplices uideantur ad ſenſum, eædem tamen ex ſimplicioribus partibus conſtituuntur, ut facilè ex intellectu comprehenditur. ſiquidem etſi ſimplex membrum uideatur ad ſenſum, ſecundum omnem ſui partem eiuſdem rationis, puta neruus omnem partem, neruum habeat, caro itidem, & os ipſum. Ratio tamen & intellectus diſcurrens, inuenit unumquodque eorum ex ſimplicioribus partibus conſtitutum: quoniam ſi neruus frigiditatem habet, neque ea ſit in ſummo, quæ tantum elementis cõpetit, puta terræ & aquæ, eſſet enim ſic & ipſe neruus elementum, neceſſe eſt quòd qualitas remiſſa ſit per qualitatem contrariam ſolidi ſcilicet, quòd in eius generatione commiſcetur,*

ſcetur, unde ob hoc conſtat ratione, neruum (etſi ſimplicem cum partem ſenſus indicet) tamen intellectus iudicio compoſitum ex ſimplicioribus elementis, intelligatur. Sunt autem elementa quatuor, ignis, aër, aqua, & terra, quibus quatuor qualitates alteratiuæ in ſummo debentur. Caliditas quidem & ſiccitas igni, caliditas & humiditas aëri, frigiditas et humiditas aquæ, & frigiditas & ſiccitas terræ.

Eſt ergo ſanitas & ægritudo in utriſque membris tam ſimplicibus quàm compoſitis, ſeu inſtrumentalibus: quarum utraque quid ſit, primum nouicij medici intelligere intereſt.

Eſt ergo ſanitas in ſimplicibus temperantia quatuor elementorum qualitatum, quibus ſimplicia ipſa conſtituuntur, temperantia ſcilicet calidi, frigidi, humidi, ſicci, ſecundum exigentiam ipſorum, pro ſuis perficiendis actionibus & paſſionibus. Huius contrarium eſt in eiſdem ægritudo, intemperantia ſcilicet dictarum qualitatum, faciens pro operationum earundem læſione. Si ergo temperantia calidi ſanitas eſt unius partis ſimplicis, eiuſdem intemperantia per exceſſum uel defectum, eſt ægritudo. idem dicatur de alijs qualitatibus, ſi earum temperantia eſt ſanitas, earundem intemperantia per ſuperabundantiam & defectum, eſt ægritudo.

Conſtat itaque liquidò, prima genera morborum ſimplicium quatuor eſſe, totidem & compoſita, quæ omnia uel cũ materiæ fluore ſunt, uel citra materiæ confluxum. Sexdecim ergo fient morbi in genere, quatuor ſcilicet ſimplices, quatuor compoſiti, quatuor cum materia, quatuor itidem citra materiam.

Sanitas autem in membris compoſitis, debita eſt commoderatio eorundem, quo ad formationem, ſcilicet formam, numerum,

merum, quantitatem, ſitum, & poſitionem. Quoad quidem formam, quoniam conſiſtit in debita figura membri, debita ſuperficie, debita uia, & recenti receptaculo, pro inſtrumentis libus operationibus obeundis.

Huius contrarium debet eſſe ægritudo, quoniam incommoderatio eorundem faciens ad noxam operationum: puta ſi debita figura manus ſanitas eſt, indebita figura eſt ægritudo. ſi debita ſuperficies, debita uia, & decens receptaculum, bona ualetudo: indebitæ omnes, ex aduerſo erũt ægritudines. Si partium manus ſufficiens numerus, ſanitas eſt, ſi eius quãtitas conueniens, ſi partium ſitus & poſitio ut decet, pro ualetudine eſt: pro ægritudine eſt, excedens uel diminutus numerus earundem partium, ſicut exceſſus in quantitate per maius & minus ſic, & inconueniens partium ſitus, & poſitio pro ægritudine habentur.

Eſt item utriſque membris communis diſpoſitio. quæ unitas et continuitas dicitur ſanitas, cuius contrarium diuiſio ſeu ſolutio eſt ægritudo. Patet hoc, quoniam utraque membra ſanitate funguntur, quum debitam habent unitatem & partium unionem, quarum diſcontinuatio ægritudo neceſſario dicitur, quum ad functionum noxam, ſolutio continui utrarumq; partium faciat.

Quum ergo in membris corporis ſit ſanitas & ægritudo, quæ ex oppoſito diſtinguuntur, & utraque ad medicum pertineat, hæc quidem quæ ſanitas eſt, inculpata ſcilicet & optima, ut conſeruetur, altera uerò quæ eſt ægritudo, ut curetur, prima dimiſſa, tantum de ſecunda in hoc opere pertractabimus, non quòd ea ſit prior & nobilior, ſed quòd ea correpit frequentius medico occurrant. Dicemus itaq;, quod ægritudines quædam præcedunt, quædam iterum ſubſequun

tur: quæ præcedunt, causæ appellantur, quæ subsequuntur, symptomata uel accidentia, id est, effectus ægritudinum.

Causæ duplices sunt genere, extrinsecæ, seu præincipientes, quæ primitiuæ seu procatarcticæ dicuntur. sunt & quæ antecedentes appellantur, extrinsecæ quidem, quæ corpori extrinsecus occurrentes ipsum alterant, & ad ægritudinem immutant. Huius generis sunt, aër, cibus & potus, somnus, & uigilia, motus & quies, euacuatio & repletio, accidentia animi, atque uenereorum usus, quæ scilicet necessario ferè omnia corpori occurrunt. Eæ siquidem debitè occurrentes sicuti corpus seruant, ita indebitè, corpus ad ægritudinem promouent. Sunt & aliæ causæ extrinsecæ, quæ casualiter corpori accidunt, de quibus ideo doctrina tradi minimè potest.

Antecedentes causæ, seu intrinsecæ, sunt humorales omnes atque complexionales, quæ corpus atq; eius partes morbo laborare faciunt &c.

Quæ subsequũtur symptomata, id est, effectus, in triplici genere sunt. enimuero genus unum est, quod noxa functionũ dicitur. secundum est, quod qualitas mutata. tertium, quod exiens mutatum appellatur. Ab ægritudine immediatè sequitur actio læsa, seu functio læsa membri, cuius est ægritudo. Ab eadem, mediante eadem actione læsa, sequuntur duo alia, scilicet qualitas mutata, & exiens mutatum.

Licet autem ex actione læsa, membrum & corpus ægrũ deprehendere, ex qualitate mutata, morbi essentiã: sicut ex exeũte mutato, ut plurimũ, etiã morbi causam intelligimus.

Quum ergo ægritudinum quædam sint immateriales, id est, citra materiam, quædam cum materia afficiant, utrarumq; non est una curatio. quæ namq; citra materiam sunt,

una

una egent intentione, ut intemperantia cum contrario æquetur. Si uerò materiales fuerint, duplici quidem intentione habita eas curamus. Prima, ut materiam ipsam à corpore & parte ægrota educamus, secunda, ut corpus uel partẽ ipsam affectam contrarijs alteremus, temperemusq; discrasiam, id est, distemperamentum.

Euacuamus autem multifariam, sensibiliter quidem, per missionem sanguinis, ubi sanguinis fluore ægritudo contingat, pharmacia alios humores à sanguine educimus. Interdum uomitu, aliquando per secessum. Competit etiam interdum per urinæ prouocationem & per sudorem ipsum, reddantes humores à quibus morbi fiunt, euacuare. Insensibiliter quidem, per inediam & motum corporis, uel ipsas frictiones, modo redundantia infra mediocritatem humorum insit corpori.

Expedit ergo scire, quotuplici uia sanguinem euacuamus. Euacuetur ergo sanguis per uenæ sectionem, per scarificationem à uentosis, atq; per admotas hirudines.

Venæ autem quæ secantur multiplices sunt, iuxta affectæ partis diuersitatem. Enimuerò in affectu capitis à sanguine, cephalicam uenam dictam incidimus. ubi autem partes male habuerint quæ sub capite sunt, uel totum ipsum corpus, interdum communem seu nigram, aliquando iecoriã, nunc à dextro, nunc à sinistro latere, secundum quod magis dextro uel sinistro lateri insederit ægritudo. Minuimus etiam interdum sanguinem à uenis quæ sunt sub poplite, uel quæ iuxta malleolos habentur, quarum una sciatica dicitur, à parte scilicet syluestri, altera uerò parte domestica, quæ saphena uocatur, hoc quidem, ubi ægritudo à medio corpore infra extiterit. Aliquando etiam secatur uena quæ est sub

lingua

lingua, ubi morbus œsophagum atque pharingen fauces q; ipsas occuparit.

Mittitur item sanguis in morbis, scarificatione à uentosis, quæ interdum scapulis admouentur, & natibus, & interdũ toti dorso. nonnunquam sub poplite licitum est scarificare iterum. suppletq; eiusmodi euacuatio eam, quæ fit per sectionem uenæ. Mittimus etiam sanguinem per hirudines hæmorrhoidibus admotas, ubi præsertim capiti uel cordi, aliisq; superioribus partibus ægritudo insederit.

Si uerò à sanguine morbi contigerint, ex aliis humoribus, ut pharmacia eos educere operæpretium sit, eorum euacuationem multipliciter fieri contingit. Interdum scilicet uomitu, interdum secessu, interdum urinæ seu lotij prouocatione, aliquando sudore, & hoc quidem, quum sensibiliter euacuare humores peccantes in morbis maluerimus.

Vomitus ergo interdum leuis fit, quando materiæ scilicet in stomacho supernatant, & à leni uomitiuo educi possunt, fortior autem quum sunt adhærentes stomachi parietibus & imbibitæ, uiscositatem habentes. utrunque tamen præcedere debet uentris subductio, si non naturalis, saltem artificiata cum clysteri.

Si uerò per secessum humores euacuare maluerimus, primum quidem leniente medicina utemur, ubi uerò copia humorum in corpore fuerit, eos cum leniente medicina atque simul expurgante minorabimus, nulla etiam præeunte digestione, uerum uacuabimus medicina exoluente & eradicante humores facientes noxam corpori, semper præmissa concoctione, & eorundem alteratione, cum syr. uel decoctis, nisi materia turgida fuerit & mobilis, quo casu nulla præeunte coctione, in ipso etiam morbi initio euacuandum est.

Per

Per urinam uerò nunquam expedit euacuare, niſi præmiſſa corporis lenitione uel minoratione humoris, atque etiam euacuatione facta cum exoluente. neceſſe enim eſt, ante urinæ prouocationem, quæ eſt ad euacuandum humores, qui ſunt in uenis, præmittere lenitionem uentris, euacuationem à ſtomacho & hepate: ſicuti etiam ubi opus fuerit uacuare per ſudorem humores qui ſunt in membris, neceſſe eſt ut omnes prædictæ euacuationes præceſſerint, quando regulariter atque canonicè operaturus ſit medicus.

Euacuatio autem inſenſibilis, per inediam & frictiones fit, ubi paucitas humorum ſit in corpore, uel ubi præceſſerint aliæ purgationes dictæ, & hi modi ſunt in genere euacuationum humorum, qui in corpore ægritudines efficiunt, à quibus euacuationibus expedit corpus alterare, atque idem temperare cum contrarijs auxilijs, interdum intra corpus adhibitis, interdum extra admotis. Quæ corpori intus adminiſtrantur alterantia ſunt uariarum formarum, quædam ſub forma ſyruporum, quædam ſub forma decoctorum: alia ſub forma ſublimatarum aquarum. Idem interdum efficiunt medici confectionibus, uel electuarijs, aliquando etiam cum pulueribus.

Quæ uerò extrinſecus admouentur, ſunt etiam diuerſarum formarum, ſunt enim olea quædam, unctiones quædam, & unguenta. Quædam rurſus emplaſtra & cerota, ad eadem perficienda. aliquando fomentis embrochis & lotionibus utuntur medici. De quibus omnibus in de morborum particularium curationibus particularibus, particulariter eſt agendum.

FINIS.

TROTVLAE CVRANDARVM AEGRITVDINVM MVLIEbrium, ante, in, & post partum Liber unicus, nusquam antea editus, quo fœminei sexus accidentes morbi & passiones, infantum & puerorum à partu, cura, nutricis delectus, ac reliqua ijsce adnata, dispositiones utrique sexui contingentes, experimenta denique uariarum ægritudinum, cum quibusdam medicamentis decorationi corporis inseruientia, edocentur.

PROLOGVS.



VM *auctor uniuersitatis* DEVS, *in prima mũdi constitutione, rerũ naturas singulas, iuxta genus suũ distingueret, naturã humanã supra cæteras creaturas singulari dignitate cõdidit. Huic. n. supra aliorũ animaliũ cõditionẽ, rationis et intellectus libertatem dedit. Propterea uolẽs eius generationẽ ꝑpetuo subsistere, in sexu dispari, masculũ & fœminã creauit, ut eorum fœcunda propagatione nunquam desineret emergere futura soboles. Quorum quidem complexiones grata quadam commixtione contemperans, naturam masculi calidam & siccam, fœmellæ uerò frigidam & humidam constituit: qua cuiusque alterius complexionis excessus, mutua qualitatum contrariarum repugnantia coërceretur: adeo, ut uiri constitutio calida & sicca, mulieris frigiditatem & humiditatem: & econtra huius natura frigida & humida, illius*

illius complexionem calidam & siccam remulceret. Similiter & masculus qualitate fortiori dignus, in mulierem tanquam in agrum semen effunderet, ut mulier qualitate debiliore prædita, tanquam uiri officio subdita, semen effusum in gremium natura susciperet. Quoniam ergo mulieres natura sunt uiris debiliores, hinc est quòd in eis sæpius abundãt ægritudines, maximè circa membra operi naturæ debita. quæ cùm in loco secretiori accidant, ipsæ propter uerecundiam, & conditionis fragilitatem, non audent angustias suarum ægritudinum medico reuelare. Quapropter ego, miseranda illarum calamitate, præsertim cuiusdam matronæ instigatione, compulsus, incepi diligentius contemplari de ægritudinibus, quibus fœmininus sexus sæpissime molestatur. Cum itaque in mulieribus non tantus abundet calor, qui prauos & superfluos, qui in eis quotidie congregantur, sufficiat consumere humores, nec tantum laborem ualeat earum debilitas tolerare, ut per sudorẽ possit ad exteriora illos natura expellere, sicut in uiris: ideo ipsa natura, propter defectum caloris, eis præcipuam quandam purgationem destinauit, scilicet menstrua, quæ uulgus flores appellat. Nam sicut arbores non producunt sine floribus, sic mulieres sine proprijs floribus, conceptionis officio defraudantur. Hæc autem purgatio contingit mulieribus, sicut de nocte uiris pollutio. Semper enim natura grauata quibusdam humoribus, siue in uiris, siue in mulieribus, iugum suum nititur deponere, & laborem minuere. Solet præterea huiusmodi purgatio mulieribus contingere circa decimumtertium, uel quartumdecimum annum, uel paulo citius, uel paulo tardius, secundum quòd in eis magis, uel minus abundat caliditas uel frigiditas. Durat autem usque ad quinquagesimum annum, si

est

est macra: qñq; usq; ad 60. aut 65. si est humida: in mediocriter pinguib. usq; ad 45. Si aũt debito tẽpore et ordine cõtigerit talis purgatio, exonerat se cõpetẽter natura à supfluis humorib. Si uerò menstrua plus uel minus exierint, q̃ debẽt, plures ægritudines inde emergunt. Quoniam inde minoratur appetitus tam cibi, q̃ potus. Qñq; fit uomitus: et qñq; appetũt terram, carbones, cretã, & similia. Quandoq; ex cadẽ causa dolor sentitur circa collum, dorsum, et in capite. Quandoq; adest febris acuta, cordis morsus, hydropisis, uel dysenteria. Hæc aũt contingunt, uel quia tempore longo deficiunt menstrua, uel quia prorsus non habent: unde non solum hydropisis, uel dysenteria, uel morsus cordis accidunt, sed & aliæ peiores ægritudines. Aliqñ. n. accidit diarrhœa, propter nimiã frigiditatem matricis: uel quia uenæ eius sunt multum graciles, ut in extenuatis mulieribus: quia tunc humores spissi & superflui noñ habent liberos meatus, p quos possint erumpere: uel quia humores sunt spissi et uiscosi. ideo propter conglutinationem, eorũ exitus impeditur: uel quia deliciose comedunt: uel quia ex aliquo labore multũ sudant. Sicut testatur Galenus. Mulier quæ se non exercet multum, necesse est quòd abundet in multis menstruis, ad hoc ut sana existat. Aliquando mulieribus deficiunt mẽstrua, quia in corpore earum coagulatus est sanguis: uel quia sanguis per alia loca emittitur, ut per os, aut per nares, per sputum, aut hæmorrhoides. Aliquãdo deficiunt menstrua ex nimio dolore, uel ira, uel motu, uel timore. Si autem diu cessauerint, suspicationem grauis ægritudinis futuræ arguunt. Nam urina earum uertitur in ruborem, uel in colorem loturæ carnis recentis: quandoq; in uiriditatem, uel humiditatem, aut in colorem, qualis est color graminis, facies earum mutatur.

TROTVLAE DE MVLIERVM PASSIONIBVS, ANte, in, & poſt partum, cum reliquis partui item inſeruientibus, liber experimentalis mirificus.

De retentione menſtruorum. Cap. 1.



IIGITVR *deficiunt menſtrua, et mulier ſit corpore extenuata, tũc phlebotometur ei uena quæ eſt ſub cauilla pedis interius, quæ dicitur Saphena, primo die de uno pede, ſequẽti die de altero: & extrahatur ſanguis ſecundũ quod uirtus expoſtulauerit. Quia in omni ægritudine generaliter cauẽdũ & reſpiciẽdũ eſt, ut nõ nimis debilitetur ægrotans. Refert enim Galenus de quadã muliere, cui defecerunt menſtrua per nouem menſes, & in toto corpore conſtricta fuerat & extenuata, cui etiam penitus defecerat comedendi appetitus: unde ipſe extrahebat ei ſanguinem de prædicta uena per tres dies, de uno pede primo die li. 1. ſecundo die li. 1. de altero pede, tertio die de primo pede iterum unc. VIII. & ita in breui ſpatio redijt calor & color uiuificus, cum debita totius corporis habitudine. Cum autem uenter fuerit conſtipatus, ſicuti frequentiſſime reſtrictis menſtruis accidit, tunc accipe pilulas de quadam medicina competenti, & acue eas prout ipſum acumen poterit ſuſtinere: & ei tribue. Poſtea phlebotometur de ſaphena. Deinde balneetur: & poſt balneum bibat de calamento, uel de nepita, uel mentha coctis cum melle: ita tamen, ut ſeptem partes ſint aquæ, & nouem*

mellis.

mellis. Et sæpe balneum est intrandum. Et post balneum bibat de diatessaron, cum decoctione mellis & aquæ. Cõferũt etiam omnia diuretica, ut fœniculus, spica, apium, ciminum, ameos, carui, petroselinum, & similia. Hæ omnes herbæ, uel singulæ, in uino coctæ, uel cum melle, & potatæ conferunt. Galenus sic docet. Artemisia trita cum uino, uel in eo cocta & potata multum confert. In balneo nõ modicum iuuat, si bibatur nepita, uel in ipso balneo coquatur: uel uiridis trita ligetur super uentrem, uel sub umbilico, uel super umbilicum. Vel decoquatur in olla, & mulier supponat sellam perforatam, & de super sedeat cooperta undiq;, & per calamum, uel embotum fumus exeat: ut is introceptus penetret ad matricem. Valet etiam artemisia cum his herbis admixta thapsia, siseleos, saluia, origanum, ciminum, ameos, sauina, melissa, pulegium, anethum, betonica, anisum, satureia aleuisticum: quæ omnes, uel quædam ex eis decoquantur in aqua: & impleatur sacculus unus lana minutissimè carpinata, ut sit in modũ puluinaris: & intingatur in illa aqua, & calidus uentri apponatur: & hoc fiat frequenter. Item puluis optimus ad prouocanda menstrua. Recipe flammulæ, cicutæ, castorei, artemisiæ, betonicæ, myrrhæ, centaureæ, saluiæ ana, fiat puluis, & detur drac. 1. cum aqua decoctionis sauinæ & myrrhæ, & in balneo bibat, & detur una uice scrup. 1. Si matrix indurauerit, adeo ut istis adiutorijs non possint educi menstrua, Recipe fel tauri, aut aliud fel, & puluerem nitri, & cum succo apij uel hyssopi misceãtur: & intingatur ibi lana carpinata: & post prematur ut sit dura, rigida, & longa, ut in uuluam possit immitti: & intromittatur. Aut fiat aliud pessarium in modum uirgæ uirilis: & sit concauum: ibique imponatur medicina, & inijciatur.

De paucitate menstruorum. Cap. II.

MVLIERES autem quædam sunt, quæ cum ueniunt ad tempus menstruorum, nulla, uel modica habet. Quibus sic subuenias. Accipe radices salicis rubeus, de quibus ligãtur dolia, & bene ab exteriori cortice munda, & pista: & eas pistatas cum uino uel aqua, decoquendo distempera, & mane de ista coctione da ad potandum haustum tepidum. Si uerò grauius laborat, tunc dabis ei cibum istiusmodi factum. Ruibam maiorem, & maluam teras: & cum farina hordei, & albumine ouorum misce: & inde fac crispellas. Valent etiam huiusmodi herbæ suffumigatæ ad prouocanda menstrua. Vel ad idem accipe uerbenam, rutam, & pista fortiter, & coque cum larido: & da patiente ad comedendum. Postea radicem salicis subtilis, & radicem rubiæ maioris tere, & da succum patienti cum uino. Mulieres item si pauca habent menstrua, & cum dolore ea emittunt, Recip. betonicæ pulegij, centonicæ, artemisiæ ana. M. I. decoquantur in aqua uel in uino usq; ad consumptionem duarm partium. Postea fiat colatura per pannum, & bibatur cum succo fumiterræ. Si uerò diu defecerint menstrua, Recip. reu pontici drach. XI. artemisiæ siccæ, piperis, ana drac. I. & fiat inde puluis: de quo bibat mane & sero per tres dies: & cooperiat se ita ut sudet. Item recipe mẽthæ, pulegij, rutæ ana. M. I. salis gemmæ drach. IIII. plantæ caulis rubeæ M. V. & tria capita porri. Hæc omnia coquantur simul in olla rudi: & bibat in balneo. Aliud, Recip. radicem ireos, leuisticum, herbam nepitam, colloquintidam, fœniculum, rutam: coquantur in uino, & illud uinum potui detur. Vel

decoquantur in uino, ſauina, apium, fœniculum, petroſelinum, leuiſticum, nepita: & bibatur. Item recipe tanacetum, trifolium, artemiſiam, frixa cum butyro, & pone ſuper umbilicum. Medicus quidam in regione Franciæ ſic fecit. Recipe zinziber, fŏlia lauri, & ſauinam: trita ſimul in olla rudi ponantur ſuper carbones uiuos in ſede perforata, & deſuper ſedeat mulier, & fumum recipiat per inferiora: & ſic menſtrua redibunt, ſit ter, uel quater, uei pluries. Mulier autem quæ huiuſmodi fŏmenta frequentat, uulnam ſuam abintra inungat unguentis frigidis, ne nimis caleſiat. Valet etiam ad prædicta fumigatio de cimino, fœniculo, anetho, calamentho, mentha, urtica, omnibus ſimul cŏmixtis, uel ſimplicibus. Valet ad idem ſcarificatio, & ſimiliter coitus. Nocet autem minutio facta in manu. Comedat, ſi ſit ſine febre, porros, cepas, piper, allia, ciminum, piſces ſquamoſos: & uinum fŏrte bibat, ſi ſit ſine dolore capitis, & ſine defectione neruorum, & ſine febre: quia in omni febre nocet uinum.

De nimio fluxu menſtruorum. Cap. III.

SVNT & aliæ mulieres prædictis contrariæ: quæ habent menſtrua inordinatè fluentia: quibus hoc modo ſuccurras. Accipe ſoleas ueteres, & pulueriza: & fŏlia lauri fac decoqui: & his decoctis, fiat ſuffumigium. Vel accipe cineres calidos, & miſce cum uino rubeo calido, & confice in modum paſtæ, & malaxa, & inde accipe ad modum cunei mediocris, & inuolutum panno lineo nouo impone, adhuc tepidum. Vel accipe ſaluiam, & camphoram: piſta fŏrtiter, & fac ſcripellas cum uino, & coque ſuper tegula: &

da

da patienti ad constringenda menstrua. Postea accipe semen urticæ, & cornu cerui, & da patienti puluerem inde factũ, ad bibẽdum cum uino. Restringit etiam hoc aliud remedium quod sic fit. Accipe cornu cerui puluerizatum cum cinere urticæ mortuæ, & distempera cum aqua pluuiali: & da bibere, non omittendo prædictum suffumigium: quod confortat matrices frigidas. Confortantur etiam isto fumigio. Recipe spicæ nardi, carioph. nucis muscatæ ana, puluerizata proijciantur super prunas. Valent & cæteræ purgationes quas diximus. Abundant quoq; menstrua præter naturam. Quod contingit, quia uenæ matricis sunt amplæ, & apertæ. Vel quia quãdoq; crepantur, & fluit inde sanguis in multa quantitate: & apparet sanguis fluens rubeus, & clarus. Quia ex multitudine cibi et potus generatus est sanguis multus, qui cum non possit intra uasa contineri, prorumpit extra. Vel contingit quandoq; propter nimiam sanguinis calefactionem, ex cholera redundante ex felle, quæ facit sanguinem ebullire: adeo ut non possit in uenis contineri. Vel quia phlegma salsum admiscetur sanguini, & ipsum attenuat, & à uenis facit prorumpere extra. Si sanguis, qui egreditur, sit citrinus, aut uergat ad citrinitatem, ex cholera contingit. Si ad albedinem, ex phlegmate. Si ad ruborem, ex sanguine. Huiusmodi ægritudines emergunt propter humores interius corruptos: quam corruptionem natura dedignatur sustinere. Quandoq; cõtingit propter diabrosim: ex qua sæpissime sequitur mors. His de causis mulier discoloratur, & macrescit: & si diu durauerit, in hydropisim de facili conuertitur. Epatis enim substãtia infrigidatur propter subtractionem sanguinis, per quem deberent membra in suo calore naturali conseruari. Vel quandoq; accidit propter defectum

caliditatis succositatem digerere nequeuntis, & debito modo humores commutare non ualentis. Si ergo sanguis est in causa, minuendus est de manu, uel brachio, ut sanguis sursum prouocetur. Sumẽdum est etiam aliquod leue catarticũ. Si cholera sit in causa, quæ à felle redundat, detur trifera Sarracenica, & rosata nouella cum succo uiolarum, & scariolæ. Si contingat ex abũdantia phlegmatis & choleræ nigræ, detur aliqua hierarum cum aqua calida, uel uino secundum alios, & bibat. Post purgationem uerò apponenda sunt quædam constrictiua exterius & interius, quæ constringant. Potet ergo aquam in qua coctæ sint cortices mali granati, psidiæ, flores rosarum rubearum, gallæ, nux muscata, folia quercus, bedegar, rubus, agrimonia, plantago. Hæc omnia immixta, uel simplicia iuuant. Post cibum, uel inter cibaria detur eis puluis lapidis hæmatitis cũ aqua pluuiali distemperatus ad potandum: uel puluis coralli, & gummi balaustiæ, seminis myrti, portulacæ, boli armeni: & puluis de cornu cerui, plantaginis, centinodij, sanguinis draconis, spodij, seminis citoniorum. Comedat gallinas coctas in pane, pisces recentes in aceto coctos, panem hordeaceũ. Bibat ptisanam de hordeo factam, in qua primitus coquatur radix plantaginis, & bulliat cum ptisana, & melius erit. Postea bulliat in aqua marina donec crepat, & corrugetur: & apponatur acetum, & coletur per pannum, & detur ad potandum. Bibat etiam uinum rubeum cum aqua marina lymphatum. Ponantur quoq; uentosæ ignitæ inter mamillas, quæ sanguinem superius trahant. Inijciatur succus plantaginis per pessarium. Valet etiam succus semperuiuæ, si cum uino bibatur albo. Similiter succus persicariæ ualet super uentrem linitus. Item accipe duo frusta laridi lata cum sale,

& desuper aspergatur succus coriandri cum semine eius, & puluis absinthij, & unum frustum ligetur super umbilicum, & alterum super renes. Fiant etiam duo emplastra de absinthio cum axungia, & ligentur super renes & uentrē: quibus si addantur fōlia myrti trita, melius erit. Aliud. Accipe testas nucis maioris, & fac puluerem, & da in potu cum aqua marina. Postea fac emplastrum de stercoribus ouium, uel cati cum axungia, & superponatur uentri & renibus. Vel fac puluerem de testis ouorum, & da in potu per tres dies cum aqua tepida, quantum poteris leuare cum duobus digitis.

De suffocatione matricis. Cap. IIII.

QVANDOQVE suffocatur matrix: quandoq; uidelicet sursum tollitur, unde prouenit subuersio stomachi, et appetitus debilitatio ex debilitate cordis. Quandoq; patiuntur syncopen, & ita euanescit pulsus. quòd penitus nō sentitur: ex eadem causa. Quandoque mulier contrahitur, ita quòd caput iungitur genibus, & uisu caret, & uocis officium amittit, nasus distorquetur, labia cōtrahuntur, & dentes stringit, & pectus sursum præter solitum eleuatur. Galenus refert de quadam muliere, quæ ita patiebatur, & amiserat pulsum & uocem, & erat quasi defuncta: quia exterius nullum signum uitæ appare bat: sed tamen circa cor natura adhuc parum caloris retinuerat. Vnde quidam iudicabant eam mortuam. Galenus uerò lanam bene campinatam naribus & ori eius apposuit, cuius motu eam uiuam recognouit. Contingit autem hoc mulieribus, quia sperma nimiū corruptum abundat in eis, & in uenenosam naturam con-

uertitur. Et præcipuè accidit illis, quæ uiris nõ utuntur, maxime uiduis, quæ antea consueuerunt uti carnali commercio. Virginibus etiã solet euenire, quæ ad annos nubiles peruenerunt, & uiris uti non possunt: cum in eis maximè abundet sperma, quod per masculum natura uellet educere. Ex hoc autem semine superabundante & corrupto, quædam fumositas frigida dissoluitur, & ascendit ad partes quasdam, quæ à uulgo collaterales dicuntur: quia cordi & pulmoni sunt uicinæ, & cæteris instrumentis uocalibus, unde solet fieri impedimentum uocis. Huiusmodi morbus solet etiã principaliter oriri ex defectu menstruorum. Ideo cum deficiant menstrua, & semen superabundet, tanto molestior & prolixior est ægritudo, maximè quando partes occupat altiores. Summum igitur remedium est, ut manus & pedes mulieris moderate fricentur cum oleo laurino, & naribus applicentur ea quæ sunt grauis odoris, ut galbanum, opopanacum, castoreum, pix, lana combusta, pannus lineus combustus, & pellis combusta, & asa fœtida. Sed tamen oleis & unguentis, quæ sunt odoris aromatici, debent uuluæ earum inungi intus & extra: qualia sunt oleum muscellinum, & oleum nardinum: sed super omnia melior est inunctio facta cum zibeto. Hæc enim menstrua attrahunt & prouocant. Præterea apponantur uentosæ in inguine, & pectine. Item in sero accipiat diaciminum cum succo apij, uel nepitæ, uel cum syrupo de calamento. Vel recipe castorei, piperis albi, costi, menthæ, apij, ana drac. I. terantur, & distemperentur cum uino albo uel dulci, & da sero drac. III. Iustianus medicus contra hunc morbum præcepit ciminum desiccari, & in potu dari drac. I. uel cochlearia duo. Præcepit etiam uulpis priapum, uel capreoli accipi, & inde fieri puluerem,

ri puluerem, & per peßarium inijci. Ad idem multum ualet radix leuiſtici cocta & trita cum axungia, & ligata ſuper umbilicum.

De deſcenſu matricis. Cap. v.

SI CONTINGAT poſt partũ matricem nimis de loco ſuo deſcendere inferius, caleſiat auena prius humectata, & ſaccellata apponatur. Mouetur autem quandoq; matrix de loco ſuo, & quandoque deſcendit, & quandoque per uuluam egreditur foras. Et hoc contingit propter neruorum remollitionem, & frigidorum humorum abundantiã. Huiuſmodi uerò remollitio & infrigidatio contingit ex aëre frigido per orificia matricis ſubintrante, ut quando mulier detecta ſe directæ oppoſuerit aëri frigido. Vel ſi ſuper lapidem frigidum diu ſedeat. Quandoq; cõtingit ex balneo aquæ frigidæ. quia per hoc debilitatur matrix, ideo exit de loco ſuo. Interdum etiam contingit per conatum pariendi. Si deſcendit, & non exit foras, apponenda ſunt naribus aromatica, ut balſamus, muſcus, ambra, ſpica, ſtorax, & ſimilia. Sed inferius fumigetur rebus fœtentibus, ut eſt pannus lineus combuſtus, & ſimilia. Fomentetur umbilicus, lana uino & oleo infuſa. Si uerò matrix exierit, diſtemperentur aromatica cum ſucco abſinthij: & ex eis inungatur uenter cum penna. Poſtea recipe rutæ, caſtorei, artemiſiæ ana partes æquales, & decoquantur in uino uſq; ad conſumptionem duarum partium: deinde da in potu. Saccelletur uenter & umbilicus de frumento cocto. Poſtea matrix egreſſa manu appoſita reſtituatur uſq; ad locum ſuum cõcuſſa. Poſtea mulier intret aquam, in qua cocta ſint balauſtia, roſæ, corticis mali granati, gallæ, ſumach, myrtilli, glandes, fõlia & cortices quercus, & nuces cupreſſi, & lenticula. Deinde

fiat ſtupha, quæ multum ualet. quia Galenus præcepit eis facere ſtuphã de buxo poſito in olla ſuper carbones uiuos: & mulier ſedeat deſuper cooperta, & fumum intra ſe recipiat. Diæta ſit frigida & ſtiptica ſine cimino, pipere, & ſine omni acumine. De fructibus comedat coctana, meſpila, ſorba, mala acria, & ſimilia. Bibat uinum temperatum ſtipticitate participans. Experimentum probatiſſimum ad matricem egreſſam. Recipe pulueris de corde cerui, foliorum lauri, ana drach. 1. myrrhæ, ſcrup. 1. diſtemperentur trita cũ uino, & dentur potanda: & ſic matrix reuertetur in ſuum locum.

De motu matricis ex ſuo loco, quæ tamen nõ eleuatur, neque deprimitur. Cap. VI.

ALIQVANDO *mouetur matrix de loco ſuo, non tamen ſurſum eleuatur uerſus ſpiritualia, nec per orificium egreditur foras, neq; deſcendit. Cuius ſignum eſt, quòd mulier ſentit dolorem in ſiniſtro latere, menſtruorum retentionem, diſtorſionem membrorum, difficultatem mingendi, tortiones & rugitus uentris. Accipe ergo econtra apium, & fœnum græcum. & trita cum uino da potui. Aliud. Recipe agaricum, ſemen plantaginis, atq; ſatureiæ: pulueriza, & da in potu cum uino, uel melle cocto. Ad hoc ut uulua nõ moueatur de loco ſuo, & ut nulla duritia moleſtetur, Recipe medullæ cerui, adipis anſerini, ceræ rubeæ, butyri, ana unc. 11. quibus addendo fœnum græcũ, ſemen lini: coquantur in aqua ad lentum ignem uſq; ad plenam decoctionẽ, & inijciatur per peſſarium. Iſtud enim eſt utile contra plures morbos oris matricis.*

De nimia

De nimia caliditate matricis. Cap. VII.

CONTINGIT *quandoq; matricem distemperari in caliditate, ita quòd maximus ardor & calor ibi sentiatur. Cura hoc modo. Recipe opij scr. 1. adipis anseris, scrup. 1. ceræ, mellis, ana scr. IIII. olei unc. 1. albumina duorum ouorum, & lac mulieris: commiscentur, & injciantur per pessarium.*

De apostemate matricis. Cap. VIII.

QVANDOQVE *nascuntur in matrice inflationes & apostemata diuersi coloris. Si à felle exiens cholera causa est apostematis, tunc febrem habet & cancrum. Si à frigidis humoribus causa fuerit, tumidum & durum est apostema, & sentit mulier in coxis, anchis, & tibijs grauedinem cum multo dolore. Aliquando nascuntur ibi apostemata ex uentositate, uel ictu, uel alijs læsionibus, uel ex eo, quòd nunquam menstrua deficiunt. Si nascuntur in eminentiori, uel anteriori parte matricis, dolor sentitur circa uuluam, & inde nascitur stranguria. Si apostema fuerit interius in orificio matricis, dolor sentitur circa umbilicum & renes. Si in parte posteriori, dolor sentitur in dorso sub costis, & uenter constipatur. Si de sanguine, uel cholera rubea sit natum apostema, febris adest continua, uel acuta, sitis, & dolor nimius. Si ergo sit de calida causa, expedit ut ungantur muliebria, & trahatur sanguis à uena quæ cadit sub pede (sicut asserit Galenus) non de manu. Quia nociuum esset in passionibus matricis sursum trahere sanguinem: auferrẽtur enim*

enim menstrua. propterea ab inferiori parte trahatur sanguis iuxta uirtutem patiẽtis. Et si fortis fuerit mulier ut possit sustinere, bis in die minuatur. Postea accipiat in potu aquam eorum quæ mitigant caliditatem, ut est succus morellæ, plantaginis, semperuiuæ, cassilaginis, mandragoræ, & similium. Fiat etiam emplastrum quod mitiget dolorem, & confortet uirtutem: ut de succo portulacæ, semperuiuæ, psidiæ, plantaginis, scariolæ, & oleo rosato. Postea apponantur maturatiua, ut semen lini cum butyro, malua, & fœnugræcum, cocta cum adipe anseris, uel gallinæ, albumen oui, melilotum. De his simplicibus, uel compositis fit pessarium. Item dicit Galenus, quòd multum prodest sedere in aqua, ubi cocta sit spica. Paulus docet fieri pessarium ad duritiem matricis, & inuersionem eiusdem, & inflationem, & uentositatem à corpore eijciendam. Recipe medullæ uituli, adipis caponis, meliloti, taxonis ana ad pondus .x i i. denariorum, medullæ cornu cerui scr. i i i. adipis anseris, gallinæ, ana drac. i i. mellis drac. i i. hyssopi, ceroti ad pondus v i i. denariorum. Omnia terantur, & commisceantur, & distemperentur cum lacte mulieris, & oleo rosaceo, & inijciatur per pessarium, & fiat inde emplastrum. Si frigidum sit, & generatum ex grossis humoribus, Recipe fœnũ græcum, melilotum, semen lini, & rutam: coquantur in aqua, & de substantia fiat emplastrum, & succus pessarizetur. Sæpe utatur balneis & emplastris. Diæta sit subtilis, ut grossities humorum attenuetur. Et si ad saniem uolueris apostema ducere, apponantur maturatiua, & cutẽ rumpentia, ut sanies effluat. sicut semen lini, fœnum græcum, farina hordei, cocta simul cum farina tritici, uel fabæ cum fimo columbarum syluestrium coctæ. Si autem apostema creuerit,

puerit, & sanies inde effluxerit in uesicam, bibat lac caprinum, uel asininum: & fiat pessarium de ptisana, & melle, & injciatur in matricem.

De vlceribus matricis. Cap. IX.

VLCERATVR *quandoq; matrix de acumine medicinæ, uel materiæ. Quandoq; ab exorsu, quod cognoscitur per saniem egredientem, & dolorem, & punctionem matricis. Si uulnera sint ex sanie, uel corrosione uenæ, sanies uergit aliquantulum in nigredinem cum fœtore horribili. Primo ergo debent apponi mundificatiua saniei, & dolorem mitigantia, ut est succus morellæ, & plantaginis, cum oleo rosaceo, & albumine oui, cum lacte mulieris, & cum succo portulacæ, uel lactucæ, quæ sint frigidæ naturæ. Diæta sit frigida. Balneetur in aqua ubi cocta sint, rosæ, myrtus, fœnugræcum, psidia, lenticula, galla, balaustia, & similia. Si uerò uenæ putrefactæ sint, detur sanguis draconis, uel myrrha, uel bolus, uel thus, uel aristolochia longa, & de his simplicibus, aut compositis fiat clystere, uel pessarium. Nec minus ualet acacia, cum lino per pessarium iniecta.*

De pruritu uuluæ. Cap. X.

PRVRITVS *uuluæ si fuerit, accipe camphoram, lithargyrium, baccas lauri, & albumen oui, & fiat pessariũ, uel clystere. Galenus dicit, quod puluis fœnugræci cum sanguine anseris, ualet ad duritiem matricis, sicut testatur Hippocrates.*

De impedimento conceptionis, & de his quæ faciunt ad imprægnationem. Cap. XI.

QVAEDAM *mulieres sunt inutiles ad concipiẽdum: uel quia nimis tenues sunt & macræ: uel quia sunt nimis pingues, in quibus caro circunuoluta orificio matricis, constringit eam, nec permittit semẽ uiri in ipsam intrare. Quædam habent matricem ita lenem & lubricam, quòd semen receptum nequeat in ea retineri. Quod contingit quandoque uitio uiri, qui habet semen nimis tenue, quod infusum matrici, liquiditate sua foras labitur. Quidam etiã uiri testiculos habent ualde frigidos siccos: illi raro, aut nunquã generant: quia semen eorum est inutile generationi. Manifestum est igitur quòd conceptio impeditur tam uitio uiri, quàm mulieris. Si uitio mulieris, hoc dupliciter contingit: uel ex nimia matricis caliditate, uel humiditate. Matrix enim quandoq; sua lenitate præter naturam sperma iectum retinere non potest. Et quandoque præ nimia sui humiditate sperma suffocat. Et quandoque ex nimia caliditate matricis semen comburente, nequit concipere. Si ergo præ nimia caliditate & siccitate matricis mulier non posset concipere, hæc erunt signa. Labia uuluæ apparent ulcerata, & tanquam Boreali uento excoriata cum maculis rubeis. adest & sitis assidua, & casus capillorum. Hæc ergo cum uideris, & mulier 30. annos habuerit, incurabilem iudicabimus. Si autem fuerit iuuencula, neq; passio diurna, sic ei subuenias. Accipe maluã, artemisiam. & in aqua decoque, & cum tali decoctione ter uel quater fumiges patiẽtem: inter quas fumigationes, suppositoria, & etiam pessaria uuluæ cum oleo muscellino, &*

modico

modico muſco facies, ut matrix confortetur. Sed in die ſeptimo poſt purgationem, uel fumigationem factam, accipe de trifera magna ad modum glandis, & inuolue in bombace, & inde ſuppoſitorium facies uuluæ, ut beneficio talis ſuppoſitorij et tot fumigationibus recipiat aliquam confortationem, lenitatem, & ſanguinem. In ſequenti uerò die eam facies cũ uiro coire. Eadem quoq; cura ſequenti ſeptimana, ſi expediat, utaris, faciendo ſuffumigationes prædictas, & alia, ut diximus, beneficia adhibendo. Hoc facies quousq; prædicta ſymptomata remittantur: & eam bis, uel ter facies coire in hebdomada, quia ſic citius poterit imprægnare. Si uerò præ nimia humiditate matricis concipere non poſſit, hæc erunt ſigna. Oculos habebit lacrymoſos aſſiduè. Cum enim matrix cerebro per neruos alligata ſit, neceſſe eſt ut cerebrum matrici compatiatur: unde ſi matrix nimiam in ſe habet humiditatem, ex ea cerebrum impletur, quæ ad oculos redundans, eos inuoluntarie cogit emittere lacrymas. Et quòd cerebrum matrici compatiatur, ſignum eſt alienatio mentis ex menſtruorum retentione. Purgetur ergo in primis cum Theodorico eruptio. Tumq; tres uel quinque pilulas de eodem Theodoric. uel Paulino præcipimus fieri etiam in bombace, ne diſſoluantur, inuolui, & quantum prudenter poſſibile per pudẽda intromitti. Si uerò matrix non bene purgata fuerit, in alio die eodẽ modo peſſariũ de trifera, cum modico muſco ei facies. Et hoc tandiu cõtinuabis, donec à ſuperfluitate humiditatem euacuatã cognoueris. Et poſtea accipe parũ de muſco cũ oleo muſcatellino, uel alio odorifero: quod iterũ per uuluam intromittatnr. Et ſi bene purgata fuerit, ſentiet odorem in ore: unde ſi quis eam oſcularetur, crederet eam muſcum in ore tenere. Item ſi ſitim propter hanc purgationem

nem habuerit, scias eam bene purgatam esse: quare ita purgata frequenter coëat, & concipiet. Quòd si uitio uiri impediatur conceptio, fit hoc aut defectu spiritus sperma impellentis, aut defectu spermaticæ humiditatis, aut defectu caloris.

Si ex defectu caloris, signum est quòd non appetit coitum. Vnde oportet talibus renes inungere cum arrogon. Vel accipe semen erucæ, & euphorbium, & in puluerem subtilem redige, & cum oleo muscatellino & pulegino misceas, & inde renes inungas. Si autem fiat defectu spirituum, signum est, quia appetit, sed non erigitur uirga. Cui succurrimus cum unguento multorum spirituum generatiuo. Si uerò defectu spermatis, signum, quia cum coit, nihil, aut parum seminis emittit. Huic subuenimus cum augmentantibus, & generantibus spermata, ut sunt cepæ, pastinacæ domesticæ, & similia. Si mulier fuerit sterilis, aut uir, hoc modo percipies. Accipe duas ollas, & in utranque pone cantabrum, & in unam earum cum cantabro infundas de urina uiri, & in alterã de urina mulieris: & sic ollæ permittantur per nouem uel decem dies. Et si sterilitas sit uitio mulieris, inuenio uermes multos, & cantabrum fœtidum in eius olla: & econtra habebis indicia similia ex altera urina, si sterilitas sit uitio uiri. Si uerò in neutra urina talia signa uideris, neuter erit in causa sterilitatis: ideo tunc poterunt medicinæ beneficio adiuuari ut concipiant. Vnde si uolunt concipere masculum, uir accipiat matricem & uuluam leporis, & faciat exiccari, & puluerizatum distemperet cum uino, & bibat. Similiter mulier faciat de testiculis leporis, & in fine menstruorum iaceat cum uiro suo, & tunc masculum concipiet. Aliud remedium est. Accipiantur hepar & testiculi parui porci, quem solum scropha edidit, & siccentur: fiat inde puluis

puluis, & detur in potu masculo uel mulieri non potentibus generare, & concipient. Item si mulier uult imprægnari, accipiat testiculos uerris uel apri, & faciat desiccari, & in puluerem redigi, de quo mulier cum uino bibat post purgationem menstruorum: deinde coëat cum uiro, & concipiet. Nota, dicit Galenus, quòd mulieres, quæ habent uuluas angustas, & matrices strictas, non debet uiris uti, ne concipientes moriantur. Sed cum non omnes illæ possint abstinere, indigent nostro auxilio. Ideo si illarum quædam ob periculum mortis non auderet concipere, illa secum carne nuda ferat matricem capræ, quæ nunquam habuit fœtum. Inuenitur lapis quidam dictus gagates, qui gestatus in collo, uel etiam gustatus, prohibet conceptionem. Item accipe mustellam masculum, & auferantur ei testiculi, & relinquatur uiuus: hos testiculos ferat secum mulier in sinu suo, & liget eos in pelle anserina, uel in alia pelle, & non concipiet. Si autem læsa fuerit in partu, & præ timore mortis non uult amplius concipere, ponat in secundina tot grana cataputiæ, uel hordei, quot annis uult sterilis permanere. Et si in perpetuũ uult sterilis permanere, plenam manũ imponat.

De formatione seminis concepti. Cap. XII.

PRIMO mense fit purgatio sanguinis. secundo fit expressio sanguinis & corporis. tertio, ungulas & capillos producit. quarto motum, & ideo nauseant mulieres. quinto accipit fœtus similitudinem patris uel matris. sexto, neruorum constrictionem. septimo, ossa & neruos confirmat. octauo, mouet natura, & infans rerum beneficio repletur. nono, è tenebris procedit in lucem.

De situ fœtus in vtero matris. Cap. XIII.

REFERT Galenus, quòd ita ligatur fœtus in matricæ, sicut fructus in arbore: qui cum procedit à flore, tenerrimus est, & ex qualibet occasione corruit: sed cum adultus fuerit, & aliquantulum maturior, & firmatus adhæserit arbori, non de leui occasione corruet. Cum autem totaliter maturior fuerit, per se, & non alia occasione decidet. Sic cum primo educitur infans ex semine concepto, tenera & non firma sunt eius ligamenta quibus alligatur matrici, et ideo de leui emittitur per aborsum. Vnde mulier propter tussim, diarrhœã, uel dysenteriam, uel motum nimiũ, uel irã, uel minutionẽ sanguinis potest fœtũ amittere. Cũ uerò infusa est anima in puero, paulo firmius adhæret, neq; cito labitur. Sed cũ puer maturauerit, naturæ officio cito educitur. Vnde Hippocrates dicit, quòd si mulier indigeat purgatione, uel minutione, hæc non facias ante quartum mensem: sed in quinto uel sexto potest purgari, uel minui, si necesse fuerit: sed tamen moderate cum cholagogo, uel apozimate, cum cautela prout uirtus patiẽtis poterit pati: ultra uerò & ante hoc tempus, periculosa erit euacuatio. Maturato tandem tempore partus puer mouet se uehementius, & nititur ad egressum: cum ipsius temporis natura uuluam aperiri facit: ut fœtus inueniat sui exitus libertatẽ: et ita fœtus de cubili suo, scilicet de secundina, naturæ uigore expellitur.

De signis imprægnationis. Cap. XIIII.

AD *cognoscendum utrum mulier gestet masculum, uel fœminam, accipe aquam de fonte, & mulier extrahat duas uel tres guttas sanguinis, uel lactis de dextro latere, & infundantur in aquam: & si fundum petant, masculum gerit: si supernatant, fœminam. Vnde dixit Hippocrates mulier quæ masculum gerit, bene colorata est, & dextram mamillam habet grossiorem: si pallida est, gerit fœminam, & sinistram mamillam habet grossiorem.*

De regimine prægnantium. Cap. XV.

MVLIER *quando incipit imprægnari, cauendum est ne nominetur coram ipsa quod non possit haberi. quia si postulauerit, & non detur ei, dat occasionem abortiendi. Quòd si appeteret argillam, uel cretam, uel carbones, dentur ei fabæ coctæ cum zuccharo. Instante autem tempore partus sæpe balneanda est mulier: & inungatur uenter eius cum oleo oliuarum, uel cum oleo uiolarum: & comedat cibos leues, & digestibiles. Si uerò pedes eius tumuerint, inungantur cum oleo rosaceo, & aceto. Et post cætera cibaria comedat uolatilia, citonia, mala granata. Et si uenter eius uentositate distendatur, accipe seminis apij, ameos, menthæ, ana drach. iij. masticis, garyophyllorum, cardamomi, radicis rubiæ maioris ana drach. iij. castorei, zedoariæ, ireos, ana drach. ij. zucch. drach. v. fiat puluis subtilissimus, & conficiatur cum melle: & dentur ei scrup. iij. cum uino, hoc enim materiæ aufert uentositatem, & aborsum prohibet, si prout decet recipiatur.*

De regimine parturientibus Cap. XVI.

TEMPORE *partus imminente, paret se mulier, ut mos est. obstetrix similiter. Fiat quoque cum magna cautela sternutatio, constrictis naribus & ore: ut maxima pars uirtutis spirituum tendat ad matricem. Deinde detur ei decoctio fœnigræci, muscilago lini, & psyllii, uel parum theriacæ, uel diatessaron cum decoctione artemisiæ in uino. Item de galbano cum asa fœtida, & mirrha, uel ruta fiant trociſci, & inde fiat fumigium ad nares. Super omnia caueat sibi à frigore.* Et *non fiat suffumigatio aromatica ad nares, sed ad orificium matricis tutius potest opponi: quia matrix sequitur odorifera, et fugit fœtida. Ad hoc ualent species odoriferæ, ut muscus, ambra, lignum aloës, & similia pro diuitibus: item & herbæ odoriferæ, ut mentha, pulegium, calamentum, origanum, & similia pro pauperibus. Notandum quòd sunt quædam physicalia remedia, quorum uirtus est nobis obscura, quæ ab obstreticibus facta proferuntur. Teneat ergo patiens magnetem in manu dextra: & confert. Item rasuram eboris bibat. Item corallus in collo suspensus prodest. Similiter album illud quod inuenitur in stercore accipitris, datum in potu confert. Item in uentre hirundinis, siue in nido inuenitur lapis primogeniti, cuius lotura ad idem ualet, & ad alia multa.*

De difficultate partus. Cap. XVII.

SVNT *autem quædam mulieres ita anguſtiosæ in officio partus, ut uix, uel nunquam se expediant: quod ex diuersis*

uersis causis solet prouenire. Quandoque enim calor extraneus superuenit circa interiora: unde ipsæ nimis angustiantur in partu. Quandoque nimis paruus est exitus matricis: uel quia nimis pinguis est mulier: uel quia fœtus est mortus, non iuuans naturam in suo motu. Et hoc multum contingit mulieri iuueni patienti in hyeme: cum naturaliter habeat orificium matricis strictum, quod propter frigiditatem temporis & aëris plus constringitur. Quandoque ab ipsa muliere calor totus exhalat. unde sine uiribus relinquitur, ideo deficit in expediendo se à partu. Primo ergo si acciderit difficultas partus, ante omnia recurrendum est ad Deum. deinde ad inferiora descendendo expedit mulieri difficilè patienti, balneari in aqua, ubi coctæ sint maluæ, fœnugræcum, semen lini, & hordeum. Inungantur latera, uenter, coxæ, & ilia cum oleo uiolarum, uel rosarum. Fricetur fortiter, & detur ei in potu oxyzaccaro, & puluere menthæ, & absinthij, drach. i. Prouocetur sternutatio cum puluere thuris naribus impositio, uel cum puluere candidi, piperis, uel euphorbij. Ducatur mulier lento passu per domum. Et qui assistunt, non recipiant eam in uultum: quia mulieres solēt inde uerecundari in partu, & post partum. Si autem puer non egrediatur eo ordine quo debet, ut si prius tibiæ, uel brachia exeant, assit obstetrix cum parua & suaui manu, humectata in decoctione seminis lini, & fœnugræci, reponendo puerum in locum suum, ordine recto. Si uerò puer sit mortuus, accipe rutam, artemisiam, absinthium, piper nigrum: & hæc tria da in uino, uel aqua ubi cocti sunt lupini. Vel teratur satureia, & ligetur super uentrem: & exibit fœtus siue uiuus, siue mortuus. Item facit uerbena potata cum uino, uel aqua, uel aceto. Vel accipiatur a-

qua salsa, uel rosata, & lac asinæ ana, & detur ad potandum. Vel accipiatur butyrum cum melle, & uino, & detur ad bibendum. Quòd si adhuc tardetur partus, uel si fœtus mortuus sit in ea, & non liberetur: accipe rutam, artemisiam, opopanacũ, absinthium cum modico oleo, & pauco zucc. terantur, & ponantur super inguina, uel super umbilicum: & melius ualet. Item cingatur mulier despolio serpentis, de quo serpens exiuit. Idem operatur lapis Aëtites, ligatus ad femur. Vel alligetur radix cucurbitæ renibus eius, & auferatur quàm cito fœtus exierit, ne matrix exeat post egressum pueri. Præterea difficulter parturientibus subueniendum est hoc modo. Paretur balneum, & intromittatur mulier: & post exitum fiat fumigium de spica, & similibus aromatibus, ad confortandum, & aperiendum. Fiãt etiam sternutatoria de elleboro albo in puluerem bene redacto. Dixit enim Copho: conquassentur membra, & rũpãtur cotyledones, & sic fœtus egredietur. Item his quæ multum laborant, pariendo fœtum mortuum, sic succurrendum est. Ponatur patiens in linteamine, & tendatur à quatuor fortibus hominibus per quatuor angulos, capite patientis aliquantulum eleuato huc & illuc, ab oppositis angulis fortiter trahatur linteamen, & statim pariet, DEO fauẽte. Si autem secundina intus remanserit, properandum est ut exeat. Prouocetur ergo sternutatio ore clauso, & naribus. Aut fiat lixiuium de cinere facto de fraxino, cui admiscendo puluerís seminis maluæ, drach. i. detur ei ad bibendum: & statim uomet. Vel detur ipse puluius de semine maluæ cum aqua calida: & si uomat, bonum est. Et suffumigetur subtus oculis de ossibus piscium salsorum, uel de ungula caballina, uel stercore cati, uel agni: ista enim secundinam

educunt. Valet etiam decoquere semen lini in aqua calida, & dare ad bibendum. Idem facit bdellium cum uino. Si uerò sanguis non exierit post secundinam, fiant ea quæ dicta sunt ad menstrua prouocanda. Quòd si contingat difficultas partus ex cõstrictione orificij matricis, cuius cura grauior est inter omnes, ideo tale subiungimus consilium. Prouideat sibi mulier in tribus ultimis mensibus in diæta, ita ut utatur lenibus cibis & digestibilibus, ut per ea membra dilatentur: qualia sunt uitella ouorum, carnes, & iuscula pullorum, & minorum auium, scilicet perdicum, phasianorum, & piscium squamosorum cum bono condimento. Fiatq; ei balneum sæpius de aqua dulci, in qua si apponantur herbæ mollificatiuæ, sicut maturæ, & huiusmodi: & melius erit. Sed fugiat balneum aëreum, & stupham. Et cum de balneo exierit, inungatur unguentis calidis, ut oleo laurino, & oleo de semine lini, & axungia anseris, uel anatis, uel gallinæ. & hæc inunctio fiat ab umbilico inferius cum prædictis unguentis calidis.

De regimine infantis. Cap. XVIII.

INFANTIS aures premendæ sunt statim: & hoc multotiens est faciendum. Postea obseruandum ne lac subintret aures, aut nares, cum ablactatur. Et ligetur umbilicus tribus digitis à uentre mensuratis. Quia secundùm retentionem umbilici erit uirga uirilis maior, uel minor. Et ut rectius loquatur, unge palatum cum melle, & nares cum aqua calida. Et factis unctionibus, semper mundificetur, & muscilagines semper emungantur & emundentur. Puer præterea sæpe est fricandus & quælibet eius membra in

unaquaque parte fascia sunt retinenda, & iungenda: & rectificanda sunt eius membra, caput uidelicet, frons, nares, uenter, & renes temperentur, ne multa ex eis exeat unctuositas, uel humiditas. Quòd si aliquid istorum appareat, diutius à solita fasciatione cogatur abstinere, & diutius dormiat. Postea uerò in aqua calida balneetur, & ad suam cõsuetudinem reducatur: & si opus, de medicinis soporiferis parum detur, ut dormiat. Cutis eius æqualiter est mouenda: quod etiam consueuit fieri post mamillarum susceptionem. In principio natiuitatis oculi cooperiendi sunt: & summopere cauendum, est ne sit in loco lucido. Ante ipsum sint diuersæ picturæ, panni diuersi coloris, margaritæ. Coram eo cantilenis, & facilibus utendum uocibus, nec asperis uocibus cantandum, neque raucis, sicut bombardis. Postquam hora loquendi appropinquarit, nutrix eius linguam frequenter cum melle & butyro ungat. Et hoc maxime faciendum est, cum loquela tardatur. Ante eum frequenter est loquendum, & facilia uerba proferenda. Cùm uero tempus natiuitatis dentium uenerit, gingiuæ singulis diebus cum butyro & axũgia gallinæ sæpe fricandæ sunt, & aqua hordei liniendæ, gula & sphondilia inungenda. Quòd si uenter eius laxabitur, superponatur emplastrum quod fit ex cimino & aceto: & admisceatur zuccharum, gummi arabicum, bolus armenus, et similia. Cum tempus aduenerit in quo comedere incipiet, dãdæ sunt infanti magdaleones ad modum glandis, facti de zuccaro, & similia, ac lacte, quos possint in manu tenere, & cum eis ludere, & de eis sugere, & aliquid transglutire. Caro, quæ est in pectore gallinarum & phasianorum, & perdicum, est ei tribuenda. Et postquam bene capere cœperit, mamillarum substantiam mature incipiens, eas in nocte

cte sugere permittas. Ita & in die ordinate ducendus est, bene obseruando ne tempore calido à lacte remoueatur. Si unum membrum pueri sit maius alio, ad bonam habitudinem sic potest reduci, si talis dispositio fuerit recens, quia inueterata nullo modo reducitur. Fomentetur ergo primo cum decoctione brancæ ursinæ, radicis althææ, foliorum apij, petroselini, & marathri, diutius bulliendo in aqua, & membrum patientis ponatur super uas, & cooperiatur panno lineo, ut sudet. Postea camomilla & althæa incoquantur, & in illa uiscositate malaxetur cera, & totum membrum inde cooperiatur. Postea ligetur fascia linea strictè, & ita membrum patientis sudet per noctem unam: manè uerò fricetur, ut spiritus excitentur, & fluant ad locum doloroſum. Quo facto, fricetur statim cum dialthæa, ita composita, ut sint duæ partes dialthææ & tertia de oleo laurino: commiscean tur, & ungatur membrum prædicto modo ter uel quater in die. Tunc quoque accipe diacerascos, ceroneum, oxycroceum, & adinuicem puluerizentur. Deinde decoquantur al thæa, & puluis ille malaxetur cum illa uiscositate, quousq; bene adhæreat: & membrum totum patientis cooperiatur, & fascia ligetur. Et sic fomentando, & emplastra ponendo poterit alleuiari. Quibus factis iniungatur requies & otium, & utatur calida, & humida diæta, optimo uino, & mediocriter rubeo, quod bibat quousq; curetur. Insuper & balneo aquæ dulcis utatur.

De electione nutricis. Cap. XIX.

IVVENEM oportet esse nutricem, clarum colorem cum albedine, & rubore permixtum habentem, quæ non sit

partui uicina, neque multum à partu remota. Non sit maculosa: nec infirmas, neque nimis grossas habeat mammillas: pectus grossum & amplum: pinguis sit mediocriter. nõ comedat salsa, nec acuta, nec stiptica, nec porros, aut cepas: neque cæteras species, quæ admiscentur cibarijs pro sapore, ut piper, allium, erucam: & præcipuè uitet allium, sollicitudinem: ac sibi à menstruorum prouocatione caueat. Et si lac minuatur, pultes de farina fabarum, & similiter risi, & de pane simile cum lacte & zuccaro facto, dentur ei ad sorbendum: quibus augmentetur lac: in quarum decoctione parum de semine fœniculi admisceatur. Si autem lac eius fuerit grossum, nutrimentum ipsius subtiliandum erit, & ita etiam cogatur laborare. Cui insuper dandus est syrupus acetosus, & uinum subtile. Si uerò lac eius fuerit subtile, nutrimenta sint grossa & fortia, & somnis utatur longioribus. Quòd si uenter pueri solutus sit, dentur nutrici quæ constipant.

De his quæ mulieribus sæpe post partum accidunt. Cap. xx.

ACCIDIT mulieribus sæpe dolor post partum. Matrix tunc tanquam fera sylvestris, propter subitam euacuationem quasi uagando huc & illuc declinat. Vnde uehemens efficitur dolor. Accipe ergo cimas sambuci, & tere: ac succo extracto, cum farina hordei, & albumine oui distempera. & inde fac crispellas cum sanguine ad comedendum: & uinum calidum in quo ciminum bullierit da ad bibendum. Vel si post partum matrix doleat, Accipe storacis, calaminthæ, thuris, semen apij, ana drach. i. semen racemorum nigrorum, drach. ij. ponantur super carbones uiuos, & sufumigetur.

fumigetur. quia multum confert. Sunt quædam quæ ex grauitate partus incidunt in rupturam pudendorum. Vnde recipe radicem consolidæ maioris exiccatam, ciminum, & cynamomum: fiat puluis, & inijciatur in uuluam, & consolidabitur. Item quibusdam mulieribus in pariendo male accidit, propter defectum assistentium. Sunt enim quædam, quibus uulua & anus fiunt unum foramen, & idem cursus: inde istis exit matrix, & indurescit. Quibus in reponendo sic subuenimus. Matrici uinum calidum apponimus, in quo bullierit butyrum: & diligenter fomentamus, quousq; matrix efficiatur mollis, & tunc suauiter eam reponimus. Postmodum rupturam intra anum & uuluam tribus locis uel quatuor suimus cum filo de serico: postea pannum lineum uuluæ imponimus ad quantitatem uuluæ. Deinde pice liquida linimus. hoc enim facit matricem retrahi, propter sui fœtorem. Demum sanamus rupturam cum puluere facto de consolida maiori, & minori, & cimino. Huiusmodi autem puluis superaspergendus est: & collocetur mulier in lecto, ita ut pedes altiores sint, & ibi omnes operationes suas per octo uel nouem dies faciat: & quantum necesse fuerit, manducet: ibi egerat, & omnia assueta faciat. Hanc præterea oportet abstinere à balneo, usque quo uiderit quòd balneum sustinere possit. Debet quoque abstinere ab omnibus quæ tussim faciunt, & ab indigestibilibus. Ad prædictum igitur periculum euitandum, eis in partu diligentissime sic prouidendum est. Præparetur pannus in modum pilæ oblongæ, & ponatur in ano, ad hoc ut in quolibet conatu eijciendi puerum, illud firmiter ano imprimatur, ne fiat huiusmodi cõtinuitatis solutio. Sunt quædam, quibus post partum retinetur secundina. Ad illius expulsionem accipimus succum porri,

porri, & distemperamus cum oleo pulegino, uel muscatellino. Vel damus succum borraginis ad potandum, & statim educitur. quia fortasse uomet, & ex conatu uomendi educitur. quia succus ille uim habet talem, qua sufficit ad eius expulsionem. Sunt quædam, quibus muliebria uentum suscipiunt, qui incluſus dolorem & tumorem facit. Istas fomentamus cum decoctione sinapis, uel cepæ. Quibus quandoq; partes illæ pruriunt: quas scalpendo excoriant: unde quandoque oriuntur pustulæ, quæ maximam inferunt læsionem. Ideo partes illas ungamus cum unguento, quod ualet contra usturas ex igne uel aqua calida factas. Vnde ad huiusmodi excoriationes, Recipe pomum unum, bolum armenum, masticem, olibanum, oleum, uinum calidum, ceram, & sepum. Et conficiamus sic. Pomum mundatum ab interioribus, & exterioribus corticibus, tritum ponimus ad ignem in olla cum oleo, cera, & sepo: & cum bullierit, masticem & olibanum puluerizata imponimus. Postea facimus colari per pannum. Notandum quòd si aliquis propter usturam hoc unguento unctus fuerit, loco inuncto folium hederæ coctum in uino uel aceto, uel giadioli folium debet superponere. hoc enim remedium est honestum. Idem uentus per uuluam ingressus, ut supra diximus, et receptus in dextram partem uel sinistram matricis, tãtam generat uentositatem, quòd quasi ruptæ uel iliacæ appareant. Vnde communiter Trotula uocata fuit, quasi magistra operis. Cum enim quædam puella debens incidi propter huiusmodi uentositatem, quasi ex ruptura laborasset: cum eam uidisset Trotula, admirata fuit quamplurimum. Fecit ergo eam uenire in domum suam, ut in secreto cognosceret causam ægritudinis. Qua cognita, quòd nõ esset dolor ex ruptura, uel inflatione matricis, sed ex uentositate:

ſitate: fecit hoc modo ei fieri balneum, in quo coquebantur malua & parietaria: & eam intromiſit: ac eas partes frequenter & ſatis plane tractauit molliſicando: & diu fecit eam in balneo commorari, & poſt exitum à balneo faciebat ei emplaſtrum de ſucco thapſi barbati, & rapiſtri, & farina hordei: & totum illud ad ipſam uentoſitatem conſumendam calidum appoſuit: & iterum balneo prædicto inſiſtere fecit, & ſic curata remanſit. Quibuſdam poſt partum accidit immoderatus fluxus ſanguinis. Quibus ſubueniendo extrahimus ſuccum artemiſiæ, ſaluiæ, pulegij, perſicariæ, & aliarum herbarum huiuſmodi: & facimus criſipellas, damus ad comedendum: & collocamus eas frequenter ad balnea: & hoc modo reſtringendo ſanguinem eis ſubuenimus. Vel aliter. Accipe argillam, & diſtempera cum aceto: & fiat emplaſtrum ad hepar in dextro latere. Et ſi fluxerit ſanguis per nares, de hoc emplaſtro ponimus ſupra frontem & tempora, ex tranſuerſo tempora & frontem attingendo. Et nota quòd fluxus per nares non fit, niſi quando peperit filium. Sunt & aliæ quæ laborant exitu matricis poſt partum. Quibus bene ſuccurrendo, Recipe artemiſiam, publicariam, iuniperum, camphoram, abſinthium: decoquantur in aqua, & fiat balneum, in quo ſedat uſque ad mamillas. Poſtea ſuauiter ponatur ad lectum: & iaceat ſuſpenſa pedibus, ut matrix conuertatur in locum ſuum. Intromiſſaq; matrice, Recipe puluerem pulegij, galangæ, ſpicæ nardi, nucis muſcatæ, garyophyllatæ: miſce, & diſtempera cum oleo muſcellino, uel pulegino. Et accipe pannum lineum ueterem, rarum, & ſubtilem, & intus liga hos puluercs, formando ad modum pilæ. Et matrice intromiſſa, os uuluæ cum dicta pila obſtrue, ut matrix iterum non

exeat:

exeat: & pilam ibi cum fascia superliga, ut non possit exire: et facias transire retro usque ad renes et intra ilia, et ibi ligetur. Sed antequam ibi ligetur, fiat tale emplastrum super renes. Recipe nasturtij, baccharum lauri, thuris, cinnamomi, ana q. s. omnibus puluerizatis, & ad ignem calefactis, distemperatisq; cum melle fiat emplastrum, quod adhuc calidum super renes ponatur, ligando fascia, cum qua ligata est pila uuluæ, firmãdo emplastrum et pilam fortiter, ut moueant. Et ipsa iaceat supina per nouem dies, & amplius si fuerit necesse. Neque se moueat, nisi causa magnæ necessitatis. Et da ei talem diætam, ut per decem dies non eat ad sellam, uel ad urinam faciendam sæpe. Item in exitu uuluæ post partum imponimus plumaceolum, comprimendo ut non exeat, nisi cum mingit. Tertio uerò die facimus balneum: et in posterioribus facimus insufflari sequentes pulueres ne tumescant. Recip. zinziber, pyrethri, cinnamomi, ana: fiat puluis. Ad hæmorrhoides innatas uitio partus. Recipe absinthium, abrotonum, cassiam ligneam, corticem cassiæ fistulæ. coquantur fortiter in uino: & inde fiat balneum. Et cum exierit de balneo, accipe puluerem aloës: confice cum oleo muscellino, uel pulegino, et intinge bombacem, et suppone. Quibusdam accidit dolor mamillarum ex lacte. Accipe argillam, distemperetur in aceto, et fiat emplastrum: dolorem sedat, et lac constringit. sed prius locum aqua calida fomentabis. Item nota q, dolor, qui accidit in mamillis puellarum, de facili transit. Quoniam hæc passio menstruis erũpentibus sanatur, quod in quibusdam puellis morbo caduco laborantibus, fit ex suffocatione matricis compressis spiritualibus. Contra apostema autem mamillarum fac emplastrum de malua, uisco, absinthio, artemisia, & cum axungia

distempe

distemperetur. Et cum caput apparuerit, contere nucleos, & appone. & si non rumpitur, cum phlebotomo aperiatur: & exprime parum in principio, ne ex subita euacuatione fiat peius. Et tunc impone licinium singulis diebus bis uel ter illinitum uitello oui, aut, & melius, unguento facto ex butyro Maij, uitello oui, et terebinthina: quod est mirabile, et benignum. Quòd si locus iste fuerit fistulatus, cum cura hac poterimus subuenire. Recipe radicem mundatam hellebori nigri, et intinctam oleo, uel melle impone, et puluerem de lappa combusta superasperge: id enim omnem fistulam inundat, et mortificat, dummodo inter ossa non fuerit. Ideoq; ibi debet poni, quousque mortificetur, & desiccetur. Postea uulnus curetur.

De mala complexione calida, & frigida matricis Cap. xxi.

VT igitur à nobis de curatione mulierum compendiosa fiat traditio, notandum est quòd quædam mulieres sunt calidæ, quædam frigidæ. Ad quod tale fiat experimentum. Licinium cum oleo pulegino, uel laurino, uel alio oleo calido inungamus: & illud in quantitate parui digiti uuluæ intromittamus de nocte quando uadit dormitum: & ligetur cum filo forti circa crura. Quòd si intus attractum fuerit, datum est nobis indicium, quòd laborat frigiditate. Si uerò expulsum fuerit, scimus eam laborare caliditate. Sed in utraque causa subueniendum est hoc modo. Si de causa laborat calida, supponatur suffumigium de herbis frigidis in hunc modum. Quoniam contraria contrarijs curantur. Ponamus igitur maluas, uiolas, & rosas in aqua, & istarum decoctione

ctione fumigemus. Si uerò frigiditate laborat, quòd melius est, de pulegio, foliis lauri, & persicaria mulieri faciamus fumigium, similiter pessarium: & sic abundantia humorum mundificata, habilis erit ad concipiendum. Postea faciamus fumigium fœminis, quòd miro modo confortat. Recipe garyophyl. spicæ nardi, storacis, calaminthæ, nucis muscatæ, & ponantur in testa oui super carbones uiuos paucos, & paretur sella perforata, ut totus fumus ad interiora redundet.

De dolore matricis. Cap. xxii.

Ad dolorem matricis prouenientem ex duritie ipsius, Accipe saxifragiam, cretam marinam, caules ueteres, artemisiam, maluam, radicẽ spargi: omnes herbas quoque in aqua fortiter, & fac in his sedere patientem, usque ad mamillas. Et cum exierit, pista maluam, artemisiam, camphoram, & eas pistoratas in olla calefacias: & insorma magdaleones cum pauco oleo laurino, uel pulegino: & suppone. Contingit & dolor matricis ex aborsu, uel ante tempus ex retentione menstruorum. Quod fit sæpius ex frigiditate, raro autem ex caliditate. Si ex frigiditate, signum est dolor & punctura sinistri lateris. Tunc accipe pulegium, origanum, nepitam, lauri fondes, uel grana, & maluas, in aqua bene fac bullire: & inde patientem fomenta. Postea accipe garyophyllos, spicam nardi, nucem muscatam, galangam: & fiat suffumigatio, & per embotum fumum recipiat. Deinde triferam magnam, uel potionem S. Pauli in modum auellanæ, suppone cum bombace. Si autem ex calore fit, tunc usu Veneris matrix desiccatur, & calefit. Signum huius est, quòd

quòd dolor nimius circa partes illas est. Ideo accipe maluã, herbam uiolarum, flores rosarum, radices iunci: coquantur fortiter in aqua, & in eis fomentetur patiens, & eidem trifera Sarracenica omni die supponatur.

De fluxu matricis. Cap. XXIII.

SVNT quædam mulieres, quæ fluxum patiuntur matricis instar spermatis, ut sunt quædam uetulæ fluxum sanioſum emittentes. Quibus prouocando menstrua subueniendum est, cum sunt steriles. Sunt & aliæ steriles, simili modo saniem educentes. Hoc itaq; est in consueto tempore eis adueniente. Cum enim eis menstrua negantur, loco menstruorum, propter earum frigiditatem saniem emittunt, ac si ab hepate fluxus descenderet. Quibus sic subueniendum est. Faciamus eis fumigium ex uino uel aqua. in qua coctæ sint herbæ calidæ, quales ponemus infra de stranguria & lapide. Postea distemperemus triferam magnam in oleo pulegino uel muscellino, & in panno lineo, uel lana succida, uel bombace inuoluamus, & uuluæ imponamus. Sunt & aliæ iuuenes, quæ eodem modo laborant, propter defectum menstruorum, sed istæ liberantur menstruis prouocatis. Et notandum quòd quædam mulieres calidæ, steriles factæ sunt, nec laborant huiusmodi fluxu, sed siccæ tanquam uiri permanent. Sunt item quædam quæ fluxum sanioſum habent simul cum menstruis. Quas facimus sedere super massam erucæ agrestis coctæ in uino, panno lineo interposito: dummodo sit calida. Ad idem recipe pulegium puluerizatum, & in sacculo ponatur, qui intantum longus & latus fiat, ut utraque pudibunda ligari possint: quem patienti ferre debet su-

per

per uuluam ad fluxuum prohibitionem. Et priusquam ligetur, debet ad ignem calefieri, ut confortetur tam anus, quàm uulua.

De carne in matrice exorta. Cap. XXIIII.

SVNT quædam mulieres quibus frusta carnis pendent in matrice. Et nota quòd hoc eis contingit ex spermate intus retento, & inuuscato: quia post coitum se mundificant. Has igitur semper cum decoctione calida herbarum fomentamus.

De tussi acerrima puerorum. Cap. XXV.

PASSIONI puerorum, quæ est quasi tussis acerrima, sic subuenimus. Accipe hyssopum, serpillum, & in uino decoque, & da ad bibendum. Vel grana iuniperi distemperamus cum uino, & damus ad bibendum.

De sudore fœtido. Cap. XXVI.

SVNT quidam, qui habent sudorem fœtidum ultra modum. Istis facimus pannum in uino intinctum, in quo bullierint folia myrtilli, uel ipsa herba, uel ipsi myrtilli.

De dolore oculorum. Cap. XXVII.

CONTRA dolorem oculorum accipe maluam, herbam uiolariam, summitates rubi, rosas siccas, uerbenam, stlerem montanum: & oculos inde fomenta in sero, & fac emplastrum

emplastrum de eisdem herbis cum albumine oui, et super pone.

De tela oculorum. Cap. XXVIII.

SI tela sit in oculo, accipe concham marinam, et olibanum, ana æqualibus partibus: combure, et os sepiæ non combustum pulueriza: et oculis impone bis uel ter in hebdomada. Si de phlegmate fuerit, accipe polium montanum, pulegium, folia lauri, origanum, carui: et inde oculos fomenta. Vnguentum ad idem. Accipe aloë hepatici duas partes, olibani, gypsi, ana de his duobus quantum de aloë hepatico, pulueriza subtiliter, et confice cum axungia recenti. et locum inunge.

De maculis oculorum. Cap. XXIX.

AD maculas oculorum, quæ remanent post ruborem, Recipe carnis marinæ unc. II. olibani, ossis sepiæ, ana unc. V. carnem marinam, et olibanum in puluerem redige, et os sepiæ subtiliter rade. fiat puluis, et oculis imponatur. Si patiens esset puer, distemperetur cum aqua rosacea, et oculis immittatur. Vnde quæ oculis præcipuè ualent, his uersibus habes. Fœniculus, uerbena, rosa, chelidonia, ruta: ex his fiet aqua, quæ lumina reddit acuta.

De exitu matricis propter disproportionem virgæ uirilis. Cap. XXX.

SVNT et aliæ mulieres quibus matricem contingit exire alia de causa. ut sunt illæ, quæ non possunt pati uirgam uirilem, propter sui longitudinem, uel magnitudinem, coactæ tamen patiuntur: sed matrix postea exit de loco, et indurescit. Quibus subuenimus, ut dictum est suprà Cap. 20. Vel accipe pannum, et intingatur oleo calido, pulegino, uel muscellino, et imprimatur, uel illinatur, uel imponatur uul-

uæ: et ligetur quousque matrix calefacta receſserit per ſe. Sed caueat ab omnibus, quæ tuſsim inducere poſſunt.

De inflatione vuluæ. Cap. xxxi.

VVLVA *mulieris quandoque inflatur ex coitu. Tunc ſedeat in aqua decoctionis maluæ, althææ, et pulegij, et liberabitur. Vel accipe pulegium, pulicariam, folia lauri: bulliant in aqua, in qua ſedeat mulier: deinde fiat ex prædictis ſuffumigatio.*

De ruptura vuluæ. Cap. xxxii.

Ad *rupturam inferiorum partium poſt partum, accipe radicem conſolidæ maioris: deſicca eam bene, et pulueriza: et pulueres cimini ſubtilem, et cinnamomi etiam in uuluam injice: & conſolidabitur.*

De dolore vuluæ. Cap. xxxiii.

AD *dolorem uuluæ poſt partum, accipe rutam, artemiſiam, camphoram: piſta bene, et cum oleo muſcellino uel pulegino conficiantur: & madefacta in olla inuoluantur panno, & ſuperponantur.*

De mulieribus mingentibus in lecto. Cap. xxxiiii.

MVLIERES *quædam ſunt, quæ nocte in lecto, uelint nolint, mingunt: quoniam meatus naturales paralyſim patiuntur. Has igitur cum herbis calidis fomentamus.*

De modo coartandi matricem, vt etiam corrrupta appareat virgo. Cap. xxxv.

NISI *de reſtrictione amplitudinis uuluæ propter honeſtam cauſam liceret tractare, nullam de ea mentionem faceremus: ſed cum per hanc impediatur aliquãdo conceptio, neceſſe eſt tali impedimento ſic ſubuenire. Recipe ſanguinis draconis, boli armeni, corticis mali granati, albuminis, maſticis,*

masticis, gallarum, ana unc. I. uel unc. II. uel quantum uis singulorum, & in puluerem redige: & omnia simul in aqua calefacta conficiantur. & de hac confectione pone in foramen transiens in matricem. Vel, Recipe gallarum, sumach, plantaginis, cõsolidæ maioris, aluminis, chamelææ, ana unc. I. decoquantur in aqua pluuiali: & cum ista decoctione fomententur pudibunda.

De crassis mulieribus, & gracilibus. Cap. XXXVI.

SVNT *quædam mulieres, quibus non committitur carnale commercium: tum quia uoto, tum quia religione tenẽtur, tum quia uiduæ sunt. Nam quibusdam mulieribus non licet ad secunda uota transire: quæ cum uoluntatem habeãt coëundi, & non coëunt, ideo incurrunt grauem ægritudinem. Illis igitur fiat tale remedium. Accipe bombacem, & oleum muscellinum, uel puleginum, & inunge, & uuluæ impone. Quòd si tale oleum non haberes, accipe triferam magnam, & cum modico uino calido resolue, & cum bombace uel lana succida uuluæ impone. Hoc enim bene castigat & refrænat luxuriam, dolorem eius & pruriginem sedans. Nota quòd in hoc casu nullum pessarium est administrandum, ne matrix longa abstinentia restricta lædatur: quoniam os matricis uuluæ coniungitur ut ori labia: nisi fiat conceptio. tunc enim retrabitur matrix. Alia enim est cura, qua reddimus matricem aptam ad concipiendum. Sed quoniam quædam sunt crassæ quasi hydropicæ, & quædam graciles, tam illæ quàm aliæ ineptæ sunt ad concipiendum. Vtrisque ergo diuerso modo subueniendum est. Vnde si fuerit phlegmatica & crassa, faciamus ei balneum de aqua marina & salsa. Ad moderationem tamen aquæ imponimus*

iuniperum, nepetam, pulegium, laureolam, absinthium, artemisiam, hyssopum, huiusmodiq; herbas calidas. In hoc balneo faciat moram, quousque satis sudet. Postea recipiatur caute in lectum, & bene cooperiatur. Et si aliquando cibum petierit, detur ei in principio rosata nouella. Detur etiã cibus bonus, calidus, sani nutrimenti, & uinum optimum modicum sumptum. Sic ter uel quater in die fac ei balneum, & in crastino die similiter. Tertio uerò die fiat fumigium optimum, & odoriferum, quòd suprà diximus. Hanc etiam curam uiris frigidis facimus. Sed loco fumigij damus eis confortatiua calida. Si uerò sit crassa, & quasi hydropica, distemperamus stercus uaccinum cum uino optimo, & inde illinimus eam: quæ sic linita intret stupham usque ad collum, quæ stupha multum caliditatis habeat ab igne facto ex sambuco, & ebulo: & in ea cooperta multum sudorem emittat, & in stupha moretur donec quasi aliquantulum per inferiora se purget. Et erit quasi uiride illud quod exibit. Quæ postquam satis sudauerit, abluat se cum aqua prioris balnei, & sic caute intret in lectum. Et hoc fiat bis, uel ter, uel quater in hebdomada, & satis gracilis inuenietur. Istam cibabis, & bonum quoque, & odoriferum uinum potet. Viros etiam crassos hac cura reddimus graciles. Curamus etiam aliter uiros crassos multum ieiunando, & balneando. Similiter & faciendo eis sepulchrum iuxta littus maris in arena, modo dicto illinimus eos: & cum calor est fortissimus, tanquam positos in sepulchro, suffundimus arena calida, & inibi facimus multum & copiosè sudare: & postea cum aqua prioris balnei optime lauamus.

De retentione secundinæ. Cap. XXXVII.

AD difficilem partum, & educendam secundinam, accipe

cipe radicem petroselini, folia porrorum, & extrahe succum, & admisce pauco oleo: & da bibere patienti: & misce acetum in uuluam, & liberabitur.

De aborsu. Cap. XXXVIII.

CONTRA aborsum assuetum fieri quibusdam mulieribus in septimo mense uel nono. Accipe oleum, ceram, puluerem thuris & masticis: misce, & inde ungatur mulier ante & retro in hebdomada bis uel ter: quia multum confortat matricem & cotyledones.

De exitu ani. Cap. XXXIX.

ANI exitus est morbus communis, tam uiris quàm mulieribus, & facit sanguinem fluere. in restringendo igitur sanguinem, & anum reponendo, subuenimus hoc modo. Primo fomentamus patientem cum decoctione uini, in quo bullierit absinthium: & cum hac decoctione bene fomentetur anus, & liniatur per totum cum encausto ad restringendū. Postea cineres de salice, & eius radice, & arista alicuius piscis salsi facti, superaspergantur, & reponatur anus cum pāno lineo. Et hoc fiat tribus diebus bis in die, & saluabitur. Sunt & alij, quibus non exit anus, tamen maximum dolorem patiuntur: & illis taliter subueniendum est. Puluerizetur aloë hepaticum, et cum uino calido distemperetur: & cum adhuc est tepidum, intingatur in eo linum, uel lana, uel cotum, & ano imponatur: id enim dolorem mitigat, et inflationem ani aufert.

De dolore iliorum. Cap. XL.

DOLOR iliorum quibusdam accidit: quibus sic subuenire solemus. Solatrum decoquimus in aqua cum cinere, & loco dolenti apponimus. Ad idem ualet sisaminum crudum decoctum cum semine, et loco dolenti applicatum.

De stranguria. Cap. XLI.

STRANGVRIAM patiuntur tam uiri, quàm mulieres. Viris autem succurrimus decoquendo nasturtiũ aquaticum: facimus cataplasma, & pectini superponimus: & in eius decoctione iubemus sedere patientem. Mulieribus uerò eadem passione laborantibus, facimus suffumigium ex mentastro, nepita, & pulegio. Item tam uiris, quàm mulieribus, facimus stupham, in qua bullierint iuniperus, nepita, pulicaria, mentastrum, folia lauri, pulegium, absinthium, & artemisia: & in balneo damus benedictam simplicem: & sic liberabitur patiens. Nisi fiat impedimentum per lapidem confirmatum eijciendo arenulas, & se purgando per urinam.

De lapide. Cap. XLII.

SI autem lapis adesset, decoquimus saxifragiam cum radice graminis in aqua ad consumptionem medietatis: de qua decoctione damus lapidosis id potandum. Et si uinum appetunt, concedimus eis ipsum lymphare cum huiusmodi aqua. Et hoc facimus bis uel ter in die, continuando per quatuor uel quinque dies. Quòd si tunc non minxerit, erit signum lapidis confirmati. Tunc ergo, si fuerit in collo uesicæ, accipe maluam, cretanum, cauliculum agrestem, saxifragiam, parietariam, nasturtium aquaticum, ameos, & semen urticæ: et decoque ista in liquore, cuius tertia pars sit uinũ, et tertia oleum, et quarta aqua marina, uel salsa. Cum hac ergo decoctione fomentetur patiens bene, maxime circa partes illas, apponendo herbas. Hac cura fuit quidam liberatus habens lapidem in uesica, quem post longam fomentationem fecit sugendo extrahi per foramen factum circa peritoneon, et fecit inungi uirgam, et maxime caput uirgæ cum oleo laurino, uel unguento aureo.

De

De dyſenteria. Cap. XLIII.

FIT *dyſenteria quandoque ex cholera, quandoque ex phlegmate. Cura igitur dyſenteriæ phlegmaticæ eſt, ut primo ſuffumigemus cum thymo, epithymo, uel colophonia: poſtea fomentemus cum eruca agresti. Contra dyſenteriam uerò ex cholera, Recipe flores roſarum rubearum, decoquantur in aqua pluuiali: in qua decoctione intingatur cotum, ſeu bombax, & ano imponatur.*

De pediculis naſcentibus in pectine, & ſub aſſellis, & circa oculos. Cap. XLIIII.

AD *pediculos, qui in pectine, & ſub aſſellis naſcuntur, diſtemperamus cineres cum oleo inungentes illa loca. Contra pediculos uerò generales circa oculos, facimus unguentum ſatis ualens ad expulſionem eorum, & ruborem oculorum, & ad mitigationem doloris eorum. Recipe aloës, unc. 1. ceruſæ, olibani, ana unc. V. laridi quod ſufficiat, larido minutim contrito: cætera pulueriza ta imponantur, & fiat unguentum.*

De ſcabie coxarum, & aliarum partium. Cap. XLV.

AD *hanc infectionem cutis ualet tale unguentum. Recipe radicem enulæ, aceti, argenti uiui, olei ana ad placitũ, cum axungia ſic conficiendo. Radix enulæ mundetur, & incidatur minutim: & poſtquam ſatis decocta fuerit in aceto, teratur in mortario cum axungia: poſtea argentum uiuum ponatur cum oleo & cum aceto in quo cocta ſit enula: diſtemperetur. Valet hoc unguentum illis, qui per pruritum ſe ſcalpendo excoriant. Notandum tamen quòd ſi quis hoc unguento ſe unxerit, aquam frigidam in ore teneat, ne dentes lædantur ab argento uiuo, quod circumquaq; fluit.*

De Cancro. Cap. XLVI.

CANCRVM, *ubicunque sit in corpore, mundamus, & puluerem factum de cimino, & uiridi ære superaspergimus, ut decet. Postea locum infirmum desiccatum inungimus hoc unguento. Recipe olibanum, masticem, ceram, oleum, picem græcam, galbanum, aloën, absinthium, artemisiam, parietariam, rutã, saluiam. Conficiantur sic. Terantur herbæ, & infundatur oleum, & misceatur super ignem: & cùm fuerit in supremo calidum, oleum coletur, & iterum igni apponatur hoc unguẽtum. Signum autem decoctionis est, cum gutta super marmor posita resederit, & induraue rit. Et nota quòd loco cancroso fõlia hederæ syluestris satis ualent in uino decocta, & superposita.*

De cancro nasi. Cap. XLVII.

AD *cancrum nasi, Recipe pallam marinam, saluiam, colophoniam, & hermodactylos, atramentum, id est, terram Campaniæ, omnia æqualiter: & puluerizа. Sed ante quàm puluerem istum ponas, ablue locum cum uino calido, in quo coctum sit absinthium: postea pone desuper puluerem prædictum.*

De formicationibus & syronibus. Cap. XLVIII.

AD *formicationes & syrones ubicunq; sint in corpore, maxime in faciei, & in fronte, frumentum distemperamus cũ uino, puluere olibani appositо: & ad modum emplastri loco apponimus.*

De inflatione pedum. Cap. XLIX.

CONTINGIT *aliquando pedes inflari ex dolore matricis. Tunc accipe tribulos marinos, & coque in aqua*

marina

marina uel salsa, & fumiga sæpe pedes: & post fumigium cum fomentum erit tepidum, lauabis pedes.

De inflatione uirgæ uirilis, & testiculorum. Cap. L.

SVNT quidam qui in uirga uirili patiuntur inflationem, sub præputio foramina multa cum excoriatione: quibus sic subuenimus. Maluam in aqua bullimus: & bullitam exprimimus, ut nihil aquæ remaneat. postea pistamus cum sanguine calido, uel butyro sine sale, uel oleo, & igni apponimus, ac calidum super foliis caulium, & super pannum lineum positum, membrum uirile circundamus. Et hoc tale sit remedium ad inflationem tollendam. Deinde præputio euerso, cum aqua calida lauamus collum præputij ulcerosum, & puluerem de pice græca, & carie lignorum, uel uermium, & rosarum, & de radice tapsi barbati, & myrtilli superaspergimus. Quòd si deesset myrtillus, alia quatuor sufficiũt. Et hoc sic fiat bis uel ter singulis diebus, donec sanetur. Ad testiculos uerò inflatos fiat talis fomentatio. Accipe maluã, absinthium, uerbenam, bismaluam, cassilaginem, artemisiam, & caules: hæc omnia coquantur in uino forti uel ueteri, & inde fomentabis bis uel ter in die: & eas herbas pista, & misce cum melle, & bulliant: & hoc totum cum uino superpone.

De pustulis paruis puerorum. Cap. LI.

QVANDO pustulæ nascuntur pueris paruæ, tunc illæ cum sale trito solui debent, & cum fascia ligari, ut resoluantur: quibus pueris nec unctuosa, neq; dulcia dari debent. Si uerò in corpore pueri anthrax aparuerit, detur nutrici aqua hordei, & quandoque scarificetur. Similiter & ipsa neque dulcia, neq; salsa comedat. Quo casu lac nutricis hoc

modo

modo debet cognosci. Si gutta una distillata super unguem nec nimis subtile, nec nimis liquidum, nec nimis grossum, nec nimis coagulatum apparuerit, habens bonum odorem, & puram dulcedinem. Salsum autem lac, aut male redolens, in fantis nutrimento non est conueniens.

De fœtore oris. Cap. LII.

AD fœtorem oris uitio stomachi, summitates myrtæ terantur, & coquantur in uino, usque ad medietatem: & stomacho mundato tale uinum propinetur.

De casu uuluæ. Cap. LIII.

HIS qui casum uuluæ patiuntur, sic subuenimus. Puluerem zingiberis, pyrethri, & cinnamomi decoquimus in uino, & facimus gargarizare, & puluerem horum calidum uuluæ apponimus.

De uerme manuum, & pedum. Cap. LIIII.

AD eijciendum uermem de manibus & pedibus, scilicet syronem. Accipe laterem calefactum, & aliquod uas plenum aqua: et postea super laterem candentem ponatur semen iusquiami: & patiens teneat pedes super fumum, & uidebis uermes quasi pilos in aquam cadentes. Item ad idem, *accipe paleam auenæ et combure in cineres: postea apponatur aqua calida quantum patiens poterit sustinere, & in ea teneat pedes quousque infrigidentur. Postea coletur, ita quòd nihil aquæ remaneat, & stringantur bene cineres, ut aqua exeat, & separentur paulatim, & inuenies uermes in star fili per fumum iusquiami expulsos. Sic similiter cadunt syrones manuum. Nota quòd si locus corrodatur à uermibus: accipe paleam, & incinera, & postea ponatur in aquam calidam: & in illam aquam, quantum calidam sustinere poterit, collocet patiens membrum, & exibunt uermes: postea curetur locus, ut aliud uulnus:*

De surditate aurium. Cap LV.

AD *surditatem aurium accipe pinguedinem anguillarũ recentium, quæ apparet post decoctionem illarum, & succum caprifolij, & barbæ Iouis, & ouorum formicarum plenam palmam: tere, & cola: & hæc omnia simul cum oleo misceantur, & decoquantur. Post decoctionem admisceatur ei acetum: ut magis sit penetratiuum, uel uinum quod sufficit, & auri sanæ infunde: & obturetur auris infirma, et super sanam iaceat partem: & mane caueat ne uento appropinquet. Et fac illum per aliquantulum tempus super aurem sanam iacere: & iterum super infirmam.*

De glandulis. Cap. LVI.

AD *glandulas artemisia calefacta simul trita & superposita, glandulas dissoluit. Quæ etiam in uino trita, & in melle cocta, glandulas faciei superposita mollificat maturat, & attenuat.*

De hæmorrhoidibus. Cap. LVII.

AD *hæmorrhoides innatas uitio partus, accipe absinthium, abrotonum, cassiam ligneam, cassiam fistulam, coquantur fortiter in uino, & facias mulierem ibi balneari: et cum exierit de balneo, accipe puluerem aloës cõfectum cum oleo muscellino, uel pulegino: & intinge bombacem, & superpone. Aliter, accipe sotulares ueteres, & pineam herbam, & coquantur ea in uino, & inibi fac sedere eam quàm diu pati poterit: & cum exierit de fomento, accipe alumen album puluerizatum, & suppone. hoc enim ita consolidat, ut reddat uiolatam plusquàm uirginem.*

De dolore dentium. Cap. LVIII.

AD *dolorem dentium, & eos confortandos, si moti fuerint, Recipe salis ammoniaci drach. XI. costi drach. XIIII.*

melon,

melon, piperis, drach. IIII. folij, drach. II. confice sic. Sal & furfur in ollam dimitte, donec carboneſcant: & cum infrigidatum fuerit, cum cæteris ſpeciebus tere, & in puluerem ſubtiliſſimum redige, & inde dentes & loca ulceroſa frica. Item aliud, & eſt pimpinella, uel ſuccus eius: dentes enim optime dealbat. Similiter herba eius trita, & appoſita tumorem gingiuarum emendat.

De fiſtula. Cap. LIX.

EXPERIMENTVM probatum ad Fiſtulam. Accipe foliorum caulis rubei, & ſeminis eiuſdem, radicis rubiæ maioris, ana partes æquales: terantur, & in uino optimo decoquantur uſque ad tres partes, fiat colatura, & addito melle coquatur ad ſpiſſitudinẽ: dentur quotidie duo cochlearia mane et ſero patienti. Nota quòd ſi fiſtula fuerit in aliquo loco, cuius cannale penetret ad oculos, ut iuxta naſum, incurabilis eſt: quia nec inciſionem, nec aliquam medicinam ibi adminiſtrare poſſumus, propter teneram ſubſtantiam oculorum. Quidam tamen teſtantur, quòd talis fiſtula poſſit curari per ſolam agrimoniam, ex multo uſu habitam, ſiue in potu, ſiue in puluere. Ad idem ualet filipendula, & grana in fine radicis eius inuenta.

De ſcabie manuum. Cap. LX.

AD ſcabiem manuum ſanandam accipe lapatium acutum, & fumum terræ, confice in modum unguenti cũ axungia porcina, & butyro facto in Maio, quo inunge manus.

De ornatu, & partium eius: adque faciem dealbandam. Cap. LXI.

RADICEM accipe draconteæ, & munda, & radicem iari, ana, tere in mortario cum axungia, & diſtempera cum aqua calida, & cola per pannum, & poſtea bene mo-

ueas & sic stet per noctem: & in mane aquam suauiter remoue, aliam infundendo aquam: ad cuius linimenti confectionem optima esset aqua distillationis florum caprifolij. et hoc reiterando continua per quinque dies, ad reprimendam malitiam eorum, quæ possent inferre faciei læsionem. Sexta uerò die, abiecta aqua, expone, ut desiccetur: Postea accipe prædictæ confectionis, unc. 11. ceruſæ unc. 1. camphoræ unc. v. boracis, gummi arabici, ana drach. 1. Dissoluatur borax in aqua rosacea, fricãdo inter manus: & postea distemperentur hæc omnia cum aqua rosacea. De quo faciem dealbando accipe ad quantitatem fabæ, & distempera cũ pauca aqua frigida inter manus fricando, & cum ambabus manibus facicm illinias, prius facie lota cum aqua & sapone, deinde cum aqua frigida aspergatur, & pannus subtilis superponatur, siue mane, siue serò hoc fiat: & talis decoratio faciei per tres uel quatuor dies durat. Vnguentum ad faciem dealbandam. Recipe ceruſæ optimæ unc. 11. teratur, postea cribelletur per pannum, et quod in panno remanebit abijciatur: et aqua pluuialis admisceatur, et coquatur usque ad consumptionem aquæ, quod potest cognosci, quando uidebimus id coctum ferè esse desiccatum. tunc infrigidetur, et huic infrigidato et desiccato addatur aqua rosarum: & iterum bulliat quousq; fiat durum & spissum, ita quòd inde possint formari pilulæ minutæ. & cum uolueris inungi, accipe pilulam unam, et liquefiat in manu cum aqua, et inde fricetur facies bene, ut desiccetur: deinde cum aqua pura abluatur, et hoc durabit per octo dies. Secundo ad faciem rubificandam, accipe radicem uiticellæ, et munda, et incide minutim, et desicca. Postea pulueriza et distẽpera cũ aqua rosacea, et cum bombace, uel panno lineo subtilissimo illinendo

illinendo inducit riuborem faciei. Mulieri autem satis albæ, si rubore careat, facimus colorem rubeum, ut submentita uel palliata specie albedinis color rubeus, quasi naturalis appareat. Item ad rugas faciei uetularum, accipe spatulam, id est gladiolum, & succum extrahe, & cum illo succo in sero faciem inunge, & in mane erit cutis eleuata, et erumpetur. Quam rupturam curamus cum prædicto unguento, in quo radix lilij recipitur, et puluere cutim extrahendo, quæ post rupturam lota satis apparet subtilis. Item ad lentigines faciei, quæ sunt ex accidenti, accipe radicem draconteæ, & in puluerem redige, & ossa sepiæ, & olibanum, & de omnibus istis fac puluerem, et cum pauca aqua misce, & inde manus illinias fricando in mane cum aqua rosata, uel aqua furfuris, uel cum mica panis fricando, donec remoueas. Aliud. Pone in acerrimo aceto oua septem integra, et tandiu dimitte ibi, donec exterior testa in modũ interioris pelliculæ mollescat, et cum eis admisce pulueris sinapis, unc. iiij. & simul tere, et inde faciem inunge frequenter. Item ad tollendos rubores faciei, Sanguisugas, quæ uariæ sunt, apponimus in calamo, loco prius loto cum uino, cui debent adhærere scilicet circa nares et aures ex utraque parte: aut uentosas ponimus super scapulas. Item ad uenas quæ apparent in facie, uel in naso. Accipe de sapone partes quatuor, et quartam partem de pipere, et puluerizata apponimus loco, et prædicto modo curamus. Item ad asperitatem faciei ex sole, uel uento, et ad eam dealbandam et clarificandam. Accipe sepum ceruinum, bulliat in aqua, deinde in aliam aquam coletur, & colatum diu manibus malaxetur, & tunc adde puluerem cristalli et uermis. Nota singulare unguentum ualens ad solis adustionem, et quamlibet fissuram, maxime ex uento, et contra

pustulas

pustulas faciei ex aëre, similiter contra maculas, & excoriationes faciei, quo utuntur mulieres Salernitanæ. Recipe radicis lilij unc. i. ceruſæ unc. ij. maſticis, olibani, ana unc. v. camphoræ drach. i. axungiæ unc. i. aquæ roſatæ, q. ſ. Conficiantur ſic: radix lilij mundata decoquatur in aqua, & hæc extracta bene teratur, axungia uerò liquefiat ad ignem, & bene colata, & à ſale mundata: ſimul hæc duo diſtemperentur prius, addendo ceruſam in aqua roſacea diſſolutam: deinde reliqua ſecundum artem pulueriza ta, & fiat unguentum. Hoc igitur unguento ſolent prædictæ mulieres ſe ad ignem inungere in ſero, ut in mane à prædictis, ſcilicet à ſolis aduſtione, & fiſſuris, & puſtulis, & huiuſmodi, tam per aërem quàm per ſolis ardorem illæſæ de die permaneant. Id enim eleuat cutem, & pulchrè colorat. Neque mane lotionibus, uel aliquibus alijs eſt opus ad remouendum à facie: quoniam non derogat colori quoquo modo. Valet etiam ad repreſſionem puſtularum in leproſis, & ſatis mundificatiuum eſt. Quoniam huiuſmodi ornatus mulieribus in frequẽti uſu eſt. quia ſi fuerint deformes, paleat eas. Ideo notandum quãdo uoluerint ſe ornare, primo abluant faciem cum ſapone gallico, & cum aqua calida, & cum colatura furfuris, & hoc fiat in balneo: poſtea inungant faciem prius deſiccatam cum oleo de tartaro, continuando per ſeptem noctes, & totidem dies, uel etiam per quindecim, ſi uultus multum fuerit pannoſus, & lentiginoſus. Et quando uerecundantur inungere faciem de die, tunc ſolent ſe inungere de nocte, & mane lauare cum aqua tepida, in qua reſoluta fuerit pinguedo amidi, ad mitigationem. Volens ergo mulier faciem ſuam decorare, uadat ad balneum, & intret ſtupham, ibiq; faciem inungat cum oleo tartarino, & ſic inuncta ſudet optimè: poſtea

ctea lauet faciem, ut patet ex supradictis. Et si uoluerit tol lere pilos in facie, tunc post balneum faciem suam bene desic catam cum panno, illiniat hoc psilothro. Recipe colophoniã & ceram, & in uase fictili resolue: et his resolutis addatur parua gutta galbani, et diu coquantur, mouendo cum spatula. Deinde accipe masticem, olibanum, gummi Arabicum, et cæteris commiscеantur. hoc facto, ab igne deponatur: & cum fuerit tepidum, faciem suã liniat: sed non tangat super cilia. Dimittat per horam, donec sit infrigidatum, postea remoueat illud: subtiliat enim cutem, & pulchram reddit fa ciem, et pilos remouet, et omnem spurcitiam reddit colo ratam et lucidam. Item ad pannum remouendum post par tum, illinias faciem cepa uel squilla, et inde cutis eleuabitur. eleuata autem cute sepum hircinum recens faciei superpone, et postea eleuatam cutem remoueas. Aliud ad pannum fa ciei remouendum. Accipe tartarum de uino albo fortissimo, et cum urina pueri madefactum stuppis inuolue, et cũ pan no lineo per noctem sub cinere calido dimitte: mane uerò proijcias pannum, et tartarum tere, et distempera cum melle, et unge faciem, ut supra diximus. Item ad cutem in facie subtiliandam. Accipe draconteam, uel maluam tere, uel bryoniam, pista fortiter, et postea misce cum melle albo, et fac bullire per duas horas, et in fine decoctionis adiunge pul uerem camphoræ, boracis, salis gemmæ, cum spatula diu mo uendo, et usui reserua, et utere facie lota in aqua tepida, uel furfure, ter in hebdomada, et in die Dominica de hoc un guento inunge. Recipe camphoram, radicem lilij in aqua eli xam, et axungiam porcinam recentem, hæc omnia confice cum aqua rosacea, et utere. Item ad uermes faciei delẽdos, qui depilant. Accipe lapatij acuti, olibani, draconteæ, ossis sepiæ,

sepiæ, ana partes æquales: fac puluerem, & ter in hebdomada frica, prius tamen facie bene lota in aqua furfuris, & in die sabbati faciem bene laua cum albumine oui, & amido, & per unam horam in facie remaneat: prius laua cũ aqua recenti, & illini eam. Item ad serpiginem faciei accipe lapatium paruum, id est, acutum: pista fortiter, & frica locũ patientem diu: postea accipe furfur, & infunde in aqua bullienti, & inde laua locum patiẽtem, & postea desiccetur, & fiat tale unguentum. Recipe enulam campanam bene incisam, et in aceto diu decoque: postea pista fortiter, & immisce puluerem olibani, masticis, litharg yrij, aloës, auripigmenti, cimini, argenti uiui extincti cum saliua, ana unc. iii. ossis sepiæ unc. i. saponis & axungiæ, ana q.s. Confice cum aceto, in quo cocta sit radix enulæ. Mulieres Salernitanæ ponunt radicem uiticellæ, id est bryoniæ, in melle, & cum tali melle inungunt faciem suam, & miro modo rubescit. Aliter mulieres ornant facies et labia sua, accipientes mel despumatũ, cui addunt parum bryoniæ, uiticellæ, cucumeris agrestis, & parum aquæ rosaceæ. Hæc omnia usq; ad medietatem bulliant: quo unguento inungantur labia in nocte, & mane lauentur cum aqua calida. consolidat enim cutem labiorum, & eam subtiliat, & reddit tenerrimam, & ab omni ulceratione præseruat, & si ulcerationes in eis fiant, sanat. Si uerò mulier uoluerit se colorare, tunc optimè fricet labia cum cortice radicis arboris nucum, & super dentes & gingiuas habeat bombacem, & intingat in colore composito, & cum tali bombace ungat labia & gingiuas interius. Color autem compositus sic fiat. Accipe herbam marinam, de qua Sarraceni tingunt pelles in colore uiridi. hæc bulliat in uase fictili nouo cum albumine usque ad tertiam partem: colaturæ ad-

datur breſilium fruſtatim inciſum, et iterum bulliat, et iterum dimittatur infrigidari. Et cum tempus fuerit, apponatur puluis aluminis, et tunc in ampulla aurea uel uitrea ponatur, et uſui reſeruetur. Hoc igitur modo tingunt mulieres Sarracenæ facies ſuas, quibus unctis deſiccatis, ponunt ad dealbandam faciem aliquid prædictorum, ut cerotum, uel aliquid aliud, et apparet color pulcherrimus admixtus rubori & albedini. Item ad guttam oris lauamus os cum uino tepido, dentes bene fricando: & hoc in mane, & idem facimus in ſero, poſtea oleum roſatum circundamus per noctem, & liberabitur in breui. Item ad dentes nigros & male coloratos. Accipe cortices nucum maiorum bene mundatos ab interiori cortice, qui eſt uiridis, & fricamus ter in die dentes: & cum bene fuerint fricati, alluimus os cum uino calido & cum ſale admixto, ſi placet. Similiter dentes ſic dealbantur. Accipe marmor album combuſtum, & oſſa dactylorũ combuſta, & uitrum album, & tegulam rubeam, ſal, pumicem: & de his omnibus fac puluerem, in quo lana ſuccida inuoluta, in panno lineo ſubtili dentes interius & exterius frica. Aliud ad idem, quod dentes emundat & albiſſimos reddit. Patiens poſt prandiũ os lauet uino optimo: deinde bene exiccare debet, & abſtergere cum panno albo nouo: poſtea maſticet quotidie fœniculum, uel leuiſticum, uel petroſelinum, quod melius eſt maſticare, quia bonum reddit odorem, & bene gingiuas emundat, & dentes facit albiſſimos. Puluis item ad dentes nigros dealbandos, & confirmandas gingiuas corroſas, uel comeſtas, & ad os male olens optimè facit. Recipe cinnamomi, garyophil. ſpicæ nardi, maſticis, thuris, frumenti, abſinthij, pedum cancrorum, oſſium dactylorum & oliuarum, ana partes æquales, terantur omnia, & in puluerem

rem ſubtilem redigantur, et inde loca fricentur. Ad idem Recipe pumicis uſti, ſalis, ana drach. x. cinnamomi antifolij ana drach. ii. micellis, q.ſ. pumicem, et ſal cum ſufficienti melle commiſce, et in patella rudi ſuper carbones pone donec incendantur, et aliæ ſpecies in puluerem redigantur, et cum opus fuerit, dentes inde fricentur. Linimentum ad manus dealbandas, et leuigandas. Aphodilli decoquantur in aqua usque ad conſumptionem aquæ, et bene mouendo tartarum admiſce, et poſtea duo oua: et fiat linimentum, quo manus fricabis. Item ad fœtorem oris, nota, ſi mulier habeat os fœtidum cauſa putredinis gingiuarum, illi ſic ſubueniendum eſt. Accipe calcem uiuam, ſulphur uiuum, et auripigmentum de calce et ſulphure, et puluerem cucurbitæ combuſtæ, & piperis. Et habeas peciam unam ſcarletæ, uel alicuius panni rubei, eamq; minutim incidas, quanto plus poteris, & adde prædictis. Tunc habeas acetum fortiſſimum, & ponas in alio uaſe fictili, & aliquantulum dimitte bullire: & poſtea pone auripigmentum, deinde ſulphur, poſtea puluerẽ cucurbitæ & piperis per interualla, ad ultimum ponas peciam panni, & remoueas ab igne: & tunc extrahas ab olla, & ponas ſuper tabulas diuiſim per paſtilla, ad ſolem, & dimittas ſiccari: de his autem ſiccatis fiat puluis, & ponatur ſuper gingiuas cancroſas & putridas, eis tamen prius ablutis cum aceto tepido, in quo bullierit radix tapſi barbati. Putredine conſumpta, deſuper ſpargatur puluis cinnamomi, & roſarum rubearum. Ego autem uidi quandam Sarracenam cũ hac medicina multas liberare, quæ accipiebat parum de fõlijs lauri, parum de muſco, & iubebat mulieres tenere ſub lingua, ne perciperetur ab eis grauis anhelitus. Id ego quoque laudo, ut mulier teneat hoc medicamen ſub lingua die & no-

cte,& maxime quando debet coire cum alio. Si autem fœtor oris fuerit causa stomachi,uel intestinorum,sic curetur. Fiat puluis de meliori aloë quod inueniri poterit, & distemperetur in modum syrupi, cum succo absinthij, de quo accipiat quotidie sole oriente 4.cochlearia: quibus acceptis,accipiat totidem de melle,& sanabitur. Item ad remouendas labiorũ fissuras, debent ipsa perungi cum oleo rosato,uel semine lini decocto in ciclamine concauato,& etiam ex semine saxifragiæ cum succo centaureæ, uel aristolochiæ rotundæ trito liniantur. Ad idem ualet succus absinthij.Contra fissuras autem labiorum,propter nimios amplexus,& osculationes amantium, ualet inunctio facta de muscilagine seminis psyllij, uel unguento de lilio. Si uerò tales fissuræ fierent ex uento, uel aëre,& similibus causis, tunc liniantur labia cum melle, & postea super aspergatur puluis colophoniæ. Vel accipe nucem magnam,et decoquatur sub cinere calido, & nucleus teratur,& fissuris apponatur, admixto oleo tartarino: & sanabitur. Item ad labiorum grositiem fiat eorum attenuatio cum unctione mellis,aut aqua, in qua bullierit radix draconteæ, ireos, uel scrophularia,uel etiam amidum, in mulsa dissolutum,& puluis marmoris, & puluis pumicis assi, & ossis sepiæ: misceantur,& ungatur locus mixto puluere algithiræ (id est draganti) cum mastice siccatæ. De his ergo bene siccatis fiat puluis, & ponatur super gingiuas cancrosas & putridas,prius bene ablutas cum aceto tepido, in quo bullierit radix tapsi barbati.Putredine autem consumpta,habeat puluerem cinnamomi, & rosarum, et desuper aspergat. Item ad subitam inflationem faciei sufficit sola aquæ calidæ suffumigatio. Similiter ad inflationem eiusdem, et oculorum, accipiatur axungia recens, et cum senatione teratur,

tur, et ſuperponatur. Et hæc de ornatu faciei et eius partium ſufficiant. Vnguentum ad capillos aureos faciendos: Recipe medianum corticem ſambuci, flores geniſtæ, crocũ, uitella ouorum. hæc coquantur in aqua, et quod ſupernatauerit, colligatur, et inde capilli inungantur. Item ad capillos candidos faciendos, apes quàm plures in olla noua include, et ita incende, et cum oleo tere, et inde caput unge. Ad idem ualet agrimonia trita cum lacte caprino. Item ut capilli creſcant ubi uis, accipe panem hordeaceum cum cruſta, et ſale, et adipe urſino: tere, ſed prius combure panẽ hordeaceum, et ex tali mixtura unge locum, et creſcent capilli. Item ut capilli fiant flaui, Recipe corticem nucis exteriorem, et corticem interiorem ipſius arboris: et coque in aqua, et cum ipſa aqua alumen diſtempera, et gallas: et cum iſtis diſtemperatis caput prius lotum linias, fõlia ſuper ponẽdo, et cum faſcia ligando per duos dies poteris ſic colorare. Et pectina caput ut quod capillis adhæret, tanquam ſuperfluum recedat. Poſtea appone tincturam quæ ſit de croco orientali, ſandalis, alcanna, cuius maior erit pars diſtemperata cum decoctione breſilij, et ſic remaneat per tres dies, et quarta die abluatur cum aqua calida, et nunquam de facili remouebitur. Vel accipe radicem chelidoniæ et agrimoniæ, et raſuram buxi, et ſuperliga ſtramen auenæ: deinde cineres auenæ, uel uitis, et fac lixiuium, et caput laua. Vel recipe radicem chelidoniæ, et rubeæ maioris, ana partes æquales, tere, et cum oleo in quo diligenter ciminum, raſura buxi, chelidonia, et parum croci ſunt cocta, diſtempera: et caput unge, et unctum maneat die ac nocte, et laua cum lixiuio facto de cinere caulis, et paleæ hordei. Item fæcem uini albi coque ad ſpiſſitudinem ceroti cum melle, et

unge capillos. Si uis eos habere flauos, prius prædicto modo parentur, ut inueniantur habiles ad tincturam. Postea gallæ cum oleo ponantur in testam, & comburantur, deinde pulueriz entur: & imponantur aceto, in quo posttum sit atramentum, quod fit in Gallia, & simul distemperentur. Item ad idem. Puluerem galangæ cum succo nucis misce, & fac bullire, & inde fiat inunctio ad tincturam capillorum. Item flores myrtæ, & galitrici coquantur in aceto, & ungatur caput. sed caueat à uino forti, & à forti lixiuio, quia capillos corrumpit, & corrodit. Item ad capillos crispandos teratur radix ebuli cum oleo, & inde caput ungatur, & cum foliis eiusdem superligetur caput. Item ut capilli fiant spissi, accipe agrimoniam, & corticem ulmi, radicem uerbenæ, radicem salicis, abrotonum, semen lini combustum, & puluerizatum, radicem cannæ. hæc omnia decoque cum lacte caprino, uel aqua, & ablue inde locum prius rasum. Item stipites, & radices caulium puluerizentur, & cum eis admisceatur rasura buxi uel eboris puluerizata, & ex istis puluueribus fiat lixiuium, quod facit capillos aureos. Item ad capillos longos faciendos, teratur radix althææ cum axungia porcina, & diu bulliant in uino: postea apponatur ciminum bene tritum, & mastix, & uitella ouorum bene cocta, parum simul miscendo: & postquam cocta fuerint, fiat colatura per pannum lineum, & dimittatur donec infrigidetur, deinde pinguedo supernatans accipiatur, & inde caput bene ablutum ungatur. Item ad syrones capillos rodentes, Recipe flores myrtæ, geneste, gallitrici, coquantur in aceto usque ad aceti consumptionem, & inde extrema capillorum assidue fricentur. Hoc idem remouet fissuram capitis ex eo bene abluti. Item lupini amari puluerizentur, & in aceto bulliant,

bulliant, & inde capilli fricentur intra manus, hoc enim syrones expellit & occidit. Cum autem singulare studium sit mulieribus ornare capillos, & post ornatum capillorũ ornare faciem (cuius ornatus si fuerit pulcher, deformes paleat mulieres) pro illarum explenda uoluntate recurre ad proxime narrata. Quòd si mulier uelit habere longos capillos, & nigros, accipiat lacertam uiridem, & remotis capite, et cauda, decoque in oleo communi: & tali oleo inũgat caput. reddit enim capillos longos, & nigros. Experimentum Sarracenicum ad denigrandos capillos. Accipe corticem mali granati, maxime dulcis: teratur, & bulliat in aceto, uel aqua, coletur: & huic colaturæ addatur puluis gallarum, et aluminis in multa quantitate, ut fiat spissum in modum pultis, & hoc tali quasi quadam pasta capillos inuoluat. postea furfur distemperetur cum oleo, & ponatur super ignem in aliquo uase, quousque furfur totum fiat ignitum. hoc tale aspergat radicitus super caput, postea madefiat, & iterum caput in eadem colatura prædicta inuoluat, & dimittat per noctem, ut melius inungatur, postea abluatur, & erit totum nigrum. Ad idem. Si mulier multos, & nigros capillos habere uelit, accipe pomum coloquintidæ, abiectis carnibus, oleo lauri impleatur, addito semine iusquiami, & modico auripigmenti, & adiungantur sæpe cineres. Si uerò molles, & lenes, & subtiles habere uoluerit, abluat eos sæpe cum aqua calida, in qua sit puluis nitri, & orobi. Sed ut mulier suauissima, & planissima fiat, & sine pilis à capite usque inferius, in primis eat ad balnea: & si non consueuerit, fiat ei stupha hoc modo. Accipe tegulas & lapides candentes, et eis in stupha positis sedeat mulier in ea. Vel aliter. Accipe tegulas calidas, uel lapides nigros calidos, & ponas in stu-

pham, uel foueam factam in terra: tunc superinfundatur aqua calida, ut fumus resoluatur, & superſedeat mulier bene circundata pannis, ut ſudet. Cumq; bene ſudauerit, intret aquam calidam, & abluat ſe optimè, & ſic exeat à balneo, & abſtergat ſe bene cum panno lineo. Poſtea inungat ſe totam hoc piſilothro. Recipe calcem uiuam bene cribellatam, & de ea pone in uaſe figuli, uncias 1111. & decoque in modum pultis: poſtea accipe auripigmenti unc. unam, & iterũ coque, & proba cum penna an ſit ſatis coctum: caue autem ne nimis coquatur, & ne nimis ſuper cutem moretur, quia maximum faceret ardorem. Sed ſi ex pſilothro accidat cutem uri, accipe populeon cum oleo roſacco, uel uiolarũ, uel cum ſucco ſemperuiuæ, diſtempera applicando, donec ſedetur calor, poſtea inungatur unguento albo, donec ceſſauerit ardor. Aliud depilatorium. Calx uiua, & auripigmentum in ſacculo lineo poſita bulliant, donec decocta ſint: hanc decoctionem probabis ut ſuperiorem. Si autem depilatorium ſit nimis ſpiſſum, appone aquam recentem ut rarefiat, & attenuetur. Nota quòd puluis eius deſiccatus ualet ad carnes malas corrodendas, & etiam ad capillos reparandos in capitibus tineoſorum. Sed prius cum oleo uel melle capita eorum inungantur, deinde puluis ſuperaſpergatur. Item ut fiat perpetua ablatio capillorum, Recipe oua formicarum, auripigmentum rubeum, & gummi hederæ, cum aceto: miſce, & inde locum depilandum fricabis. Vnguentum pro nobilibus quod pilos remouet, cutim ſubtiliat, & maculas aufert. Recipe ſuccum foliorum cucumeris agreſtis, & lac amygdalarum: his in uaſe poſitis admiſce calcem uiuam, & auripigmentum, ſubtiliter pulueriza ta: poſtea galbanum contuſum diſtemperatum cum modico uino, per diem & noctem, &

cum

cum ipso decoque. quo bene decocto remoueas substantiam galbani, & addas parum olei, uel uini, & argenti uiui. facta decoctione, remoueas ab igne, et puluerem istarum specierum appone. Recipe masticis, olibani, cinnamomi, nucis muscatæ, garyophyllatæ, omnium istorum ana partes æquales. Istud unguentum suauiter redolet, & lene est ad mitigandum. Hoc psilothro nobiles Salernitanæ uti consueuerunt. Cum igitur mulier se totam hoc psilothro inunxerit, sedeat in stupha multum calida: nec fricet se, quoniam excoriarentur membra eius: sed cum parum steterit, tentabit pilos euellere à pectine: si uerò leuiter non cadant, aquam calidam faciat super se infundi, & abluat se totã trahendo palmam suauiter. si enim cum impetu fricaret, cum cutis sit tenera, ex psilothro cito excoriatur. Hoc facto intret aquam tepidam, & bene abluatur, deinde exeat: & tunc accipiat furfur distemperatum cum aqua calida, et postea colet, & super se fundat. Istud carnem mundificat, & lenit. Deinde lauet se aqua tepida, et stet parum, ut cutis aliquantulũ desiccetur. Postea accipiat alcannam cum albuminibus ouorũ, & inungat omnia membra. hoc enim carnẽ lenit: et si qua fuerit ustura ex psilothro, hanc remouet, et lucidam reddit et suauem. et sic uncta stet parum, et tandem cum aqua calida abluat se, et postremo panno lineo albissimo inuoluta uadat ad lectum. Post exitum quoq; balnei ornet capillos suos, et in primis abluat eos cum tali lixiuio. Recipe cineres uitis combustæ, nodos paleæ hordei, et lignum liquiritiæ, ut melius liniant, et panem porcinum. paleam, et panem porcinũ bulliant in aqua, de pane, palea, et cinere repleatur olla, habens in fundo duo fõramina, uel tria parua. aqua, in qua panis porcinus et palea prius decocta sint superducta fundatur

in

in olla, ut per foramina coletur. Tali lixiuio mulier abluat caput suum: post ablutionem dimittat siccari per se, unde capilli flaui et lucidi fiunt. Cum autem pectinauerit se, habeat hunc puluerem. Recipe *rosas siccas, garyophyl. nucem muscatam, cardamomum, galangam. hæc omnia puluerizata distemperentur cum aqua rosarum, & tali aqua aspergat capillos, & pectinet illos pectine eadem aqua intincto, ut melius redoleant: & fasciculos faciat, & prædictum puluerẽ superaspergat, & miro modo redolebunt.* Nobiles, *tam uiri quàm mulieres ferãt muscũ in capillis suis, aut garyophyl. aut utrunque: caute tamen, ne ab aliquo uideatur: peplum etiam cum quo caput ligatur, ponatur cum garyophyllata, & musco, & nuce muscata, & alijs redolentibus.*

Pro conseruatione corporis humani ab aliquot infirmitatibus, aqua mirabilis effectus. Cap. LXII.

RECIPE *aquæ uitæ de uino meliore distillatæ, lib.* IIII. *salis usti, lib.* II. *sulphuris mortui, lib.* II. *tartari albi, unc.* IIII. *de carbonibus ligni auellanæ, unc.* IIII. *salis petræ, unc.* III. *Hæc omnia terantur, & cribellentur, & misceantur inuicem: & superinfunde aquam uitæ supradictæ: & ponatur totum ad distillandum.*

Operatio eiusmodi distillationum.

Distillatio prima attrahit uirtutes omnium spirituum, ut nullum animal uenenosum poterit appropinquare ei. In ea conseruantur carnes, pisces sicut in balsamo. Facit etiam recedere omnes lentigines, nec non & omnes maculas faciei: ipsamq; clarificat. Expellit etiam omnem scabiem corporis: mundificat quoque omnes lacrymas oculorum.

Secunda Distillatio expellit apostemata, & superfluitates

tes corporis. Dentes inualidos expellit, & ſanat, Expellit etiam inflaturam hepatis.

Tertia Diſtillatio expellit omnes maculas, & omnem lepram. Anhelitum fœtidum, & omne phlegma ſtomachi purgat, utputa cibum indigeſtum.

Quarta Diſtillatio expellit ſanguinem coagulatũ in corpore, ſimiliter & ſanguinem refrigeratum.

Quinta Diſtillatio expellit morbum caducum à corpore humano.

Sexta Diſtillatio expellit omnes languores & infirmitates ex parte guttæ accidentes.

Septima Diſtillatio expellit podagram.

Octaua Diſtillatio præualet balſamo. Quod bene reſerues.

Nona Diſtillatio ualet & reſeruat hepar: ſi aurum in ea ſoluatur.

Decima Diſtillatio. Si una gutta iſtius aquæ ponatur in ſcyphum in quo ſit uinum, & quòd ſcyphus ſit deauratus: inuenitur ibi ſpuma natans ſupra uinum, quod eſt purum aurum. Et omne illud quod tingitur cum eo, eſt aurũ pulchrũ.

Notandum tamen, quòd poſt quamlibet diſtillationem, fæces debent teri & cribellari, ſicut in principio.

Aqua alia, ſeu Balſamus ad idem fermè.

Recipe Terpentinæ tribus uicibus diſtillatæ: ultimo coniunctim, lib. 1. ligni aloës ſimiliter tribus uicibus diſtillati, lib. 1. ambræ crudæ, lib. 1. muſcatæ tritæ ſuper lapidem ad modum liquidi unguenti, cum eisdem ſuperaddito oleo, ut fiat unum corpus. Et diſtilla nouem uicibus. Balſamum hunc cõſerua. quoniam ipſum eſt perfectum, & ſuſtinet.

Primo, omne iudicium ignis & aquæ.

Secundo, manum penetrat.

Tertio,

Tertio, ungendo faciem, iuuentutem conseruat.

Quarto, omnem incisionem consolidat.

Quinto, oculos mirè purificat.

Sexto, ungendo cum ea totum corpus, nunquam putrescere ferunt: nec uermes ipsum ascendere.

Hermes philosophus posuit. Et ego feci, & probaui: & est uerissimum.

Aqua alia per quam medicus mirabilia facit, & quasi propheta reputabitur.

Recipe limaturam argenti, æris, ferri, plumbi, chalybis, auri, spumæ argenteæ & aureæ, storacis, secundum diuitias & paupertates patientis. Ponantur primo in urina pueri uirginis primo die. Secundo die in uino albo calido. Tertio die in succo fœniculi. Quarto die in albumine oui. Quinto die in lac mulieris lactantis puerum. Sexto die in uino rubeo. Septimo in septem albumina ouorum. Et hoc totum ponatur in Capellam ad lentum ignem: & quod distillauerit, serua in uase aureo, uel argenteo.

De laude aquæ huius est silendum. quia emi non potest. Virtus enim eius palliat leprosos. Lepram enim puram sanat, & destruit, omnem maculam delet, conseruat iuuentutem, oculum pulchrum facit. super omnia taceo de secreto huius aquæ, quia timeo, ne habentes superbia extollantur.

Puluis ad conseruationem uisus. Cap. LXIII.

RECIPE betonicæ, rutæ, chelidoniæ, saxifragiæ, leuistici, pulegij, anisi, cinnamomi, euphrasiæ, ana M. 1. cardamomi, zingiberis, fœniculi, petroselini, hyssopi, origani, sileris montani, ana drac. 1. galangæ, unc. 1. zuccari, unc. 1

unc. 1. Ex istis fiat puluis, & cum cibo cõtinue sumatur: & uisus recuperatur, & seruatur.

Puluis prædictus ordinatus est per magistrum Geraldum: cuius probam senex expertus est: qui annis duodecim usus fuit specillis uitreis, ita quòd grossas literas sine ipsis uidere nõ poterat: sed postquam usus est hoc ipso puluere sola una quadragesima, liberatus est: intantum quòd toto tempore uitæ suæ uidit, & legit literas minutissimas.

Ad visum item.

Recipe tutiæ præparatæ, drach. 1. masticis, drach. v. charabe, scrup. 1. camphoræ, scrup. v. uitrioli albi, scrup. 11. fiat puluis omnino subtilis, ut athobol. ponatur in quartam partem aquæ rosatæ optimè distillatæ ad solem tribus aut quatuor diebus: serua in uitro bene obturato: & mane 1. uel. 11. guttas in hirquos oculorum impone.

FINIS.

INDEX IN METHODVM CAMILLI THOMAII RAVENNATIS.

A

APOPLEXIAM curandi methodus pag. 399
Asthma curandi methodus 418
Arthritidem curandi methodus 450

C

CARON curandi methodus 400
Congelationem curandi methodus 401
Catarrhum curandi methodus 410
Choleram curandi methodus 426
Colicum dolorem curandi methodus 435
Calculum renum & ueſicæ curandi methodus 439

D

DOLOREM capitis curandi methodus 393
Dolorem uentriculi curandi methodus 427
Dolorem hepatis curandi methodus 429
Dolorem ſplenis curandi methodus 434
Diabetem curandi methodus 441

E

EPILEPSIAM curandi methodus 404
Exitum uteri curandi methodus 444

F

FLVOREM ſanguinis narium curandi methodus 415
Fluxum uentris curandi methodus 436
Fluorem menſium curandi methodus 445

Gonorrhœam

G

GONORRHOEAM *curandi methodus* 446

H

HYDROPEM *curandi methodus* 433

Hæmorrhoides curandi methodus 443

I

INCVBVM *curandi methodus* 406

Imaginationem & ſuffuſionem curandi methodus 413

Imbecillitatem uentriculi curandi mthodus 426

Immoderatam appetentiam curandi methodus 429

Imbecillitatem hepatis curandi methodus 431

Icteritiam curandi methodus 431

Iſcuriam curandi methodus 438

Iſchiaticum dolorem curandi methodus 451

L

LETHARGIAM *curandi methodus* 398

M

MELANCHOLIAM *curandi methodus* 407

Mictum ſanguinis curandi methodus 441

Molam matricis curandi methodus 448

O

OPHTHALMIAM *curandi methodus* 412

Obſtructionem hepatis curandi methodus 432

P

PHRENITIDEM *curandi methodus* 397

Paralyſim curandi methodus 401

Pleuritidem curandi methodus 419

Phthiſim curandi methodus 422

Palpitationem cordis curandi methodus 423

Phlegmonem uentriculi curandi methodus 428

Phlegmo-

Phlegmomem hepatis curandi methodus 430
Procidentiam ani curandi methodus 444
R
RHAGADES curandi methodus 448
Ramicem curandi methodus 449
S
SPASMVM curandi methodus 402
Stuporem curandi methodus 409
Synanchem curandi methodus [illegible]6
Sanguinis ſputum curandi methodus [illegible]
Syncopem curandi methodus 42[illegible]
Singultum curandi methodus 42[illegible]
Stranguriam curandi methodus 440
Suppreſsionem menſtruorum curandi methodus 445
Suffocationem matricis curandi methodus 447
T
TORTVRAM oris curandi methodus 409
Tremorem curandi methodus 410
Tuſsim curandi methodus 417
Teneſmum curandi methodus 438
V
VERTIGINEM & ſcotoma curandi methodus 305
Voluulum curandi methodus 436
Vermes curandi methodus 442

FINIS.